Honos
Erit huic quoque
Luto.
ANDREÆ FELICIS OEFE:
LY.
Monacensis.

+

Ex Liberali Munificentia
Consultissimi Viri, Domini Joh: Georg: Loij
Staingadensis Bavari, Discipuli,
Autoris primarij, possidet

Andr: Felix Oefelius
Bibliothecarius Bavaricus.

Monachij IV. Sept: MDCCXLVII.

Seneca Epist: XC.

Quid Sapiens investigavit? vetuit parere opinionibus Falsis et quanti quidq; esset, verâ æstimatione perpendit.

JOAN. ADAMI L. B. DE ICKSTATT,

AUGUSTISSIMO QUONDAM IMPERATORI CAROLO VII. GL.M.
A CONSILIIS IMPERII AULICIS,
NUNC
SEREN. S.R.I. PRINCIPIS ELECTORIS, BAVARIÆ DUCIS &c.
CONSILIARII INTIMI ACTUALIS, CONSILII DUCALIS VICE-PRÆSIDIS, LIBERI ET IMMEDIATI JUDICII PROVINCIALIS HIRSCHBERGENSIS PRO-JUDICIS PROVINCIALIS, ANTIQUISS. ET CELEBERR. UNIVERSIT. ANGLIPOLITANÆ DIRECTORIS, IN EADEMQUE JURIS NATURALIS ET GENTIUM, UT ET JURIS PUBLICI IMP. ROM. GERM. SCIENTIARUMQUE OECONOMICO-CAMERALIUM PROFESSORIS PUBLICI ET ORDINARII,

OPUSCULA JURIDICA
Varii Argumenti,

Anteà Wirceburgi seorsim edita, jam vero ob raritatem, & Virorum doctissimorum desiderium collecta.

Cum Indice locupletissimo.

TOMUS I.

CUM APPROBATIONE ORDINARIA.

INGOLSTADII, & AUGUSTÆ VIND.
Sumptibus Jo. Franc. Xaverii Crätz, Bibliopolæ Acad.
& Thomæ Summer, Bibl. August.
Anno MDCCXLVII.

PRÆFATIO
ad Lectorem.

Onjunctim nunc prodeunt, quæ Wirceburgi olim partim disputationibus publicis, partim occasionibus aliis edita à me fuêre Opuscula Juridica minora

varii argumenti; ídque propoſitum ad amicorum ſollicitationes jam pridem fuiſſem executus, niſi tum occupationes magis ſeriæ, tum notæ fortunæ viciſſitudines remoram invito etiam injeciſſent. Redditus itaque Muſis meis, & in amœniſſima, juxta ac celeberrima Anglipolitana, Scientiarum, bonarúmque Artium Sede otium nactus optatiſſimum, repurgata eadem à mendis, & politiori ſubjecta limæ, publicæ committere luci, diutiùs morari haud volui. Quæ *Tomo* hocce *primo* contineantur Opuſcula, ex conſpectu, paginæ

ſe-

ſequenti ſubnexo, elucet. Sequetur mox Tomus alter, maximam partem materias Juris Pubici illuſtriores, & themata argumenti rarioris tum edita, tum inedita complectens. Comparebunt inter alia Opuſcula duo, quæ in commentariis noſtris ad J. P. W. art. V. §. 52. inter deſiderata hucusque numeravit Orbis literarius; ſcilicet Opuſculum quartum: *De cauſis ſingulorum à jure ſuffragiorum majorum exceptis*, & ſextum: *de eo, quod circa ſuffragia majora in cauſis collectarum in Comitiis Imperii Romano-Germanici juris eſt.* Cur publici eadem hactenùs juris haud facta

)(3 fue-

fuerint, causæ obstitêre sat graves, in ipsa thematis maximè lubrici elaboratione commemorandæ. Tu interim, Lector benevole, conatibus fave, & vale. Dabam Ingolstadii XIV. Junii Anno MDCCXLVII.



CON-



CONSPECTUS
OPUSCULORUM TOMI PRIMI.

OPU-

OPUSCULORUM JURIDICORUM VARII ARGUMENTI
TOMUS I.

OPUSCULUM I.

DE STUDIO JURIS ORDINE, ATQUE METHODO SCIENTIFICA INSTITUENDO.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUi de corrigendis abolendisque Academiarum nævis non invita ratione cogitationes susceperunt atque consilia, de eo præcipue fuere soliciti, ut scientias & disciplinas, quarum præ aliis in vita civili præstantia & usus elucet, a Doctoribus ad id constitutis juventuti inculcandas curarent. Nec abs re; etenim in civitate bene ordinata ferendum aut statuendum nihil, nisi quod cum fine reipublicæ, salute nimirum & tranquillitate civium consentiat; eliminanda proin, ac procul a finibus Academiarum proscribenda judicarunt, quæ in spem

 fu-

futuræ oblivionis addiſcuntur , nec uſum ullum , ſed id potius mali ſecum trahunt, quod ſciolos, vana ſcientia inflatos , efficiant ad negotia publica gerenda plane ineptos ; introducenda contra ac docenda eſſe rati ſunt, quæ futuris olim eccleſiæ , ſtatusque publici adminiſtris , juſtitiæ ſacerdotibus , atque aliis , quorum opera & ſtudio respublica facile carere nequit , notiones rerum fœcundas & practica agendorum principia ſuppeditant.

Præclara ſunt, quæ noſtro ævo in hunc finem moliti ſunt ſcientiarum ſtatores ſapientiſſimi; necdum tamen eam Academiarum Germaniæ faciem deprehendimus, ut nulla prorſus politiori lima indigeant ; quin morboſas maxime atque medicatricem manum flagitantes contueri liceat. Quis enim non indigne ferat , jus publicum, quod in controverſiis Principum , & prætenſionibus illuſtribus, quæ in imperio Romano-Germanico occurrunt, utramque facit paginam , in plerisque aut negligi prorſus , aut perfunctoria ſaltem manu tractari ? Quis non lugeat juvenum illuſtri loco natorum eandem prorſus ſortem , paria eſſe ſtudia cum iis , qui cauſas aliquando in foro ſunt acturi ; ad patrios lares remitti , ſolidioris politices , artis regnandi , juris publici, naturæ & gentium ſcientia, atque hiſtoriarum cognitione prorſus vacuos. Animadverterunt Principes, Nobiles, & Proceres Germaniæ non pauci, quantum ſit in ſtudiis noſtris inane ; hinc ad exteras terras ablegarunt filios , atque Doctorum , qui meliora ipſis ſapere videbantur , curæ erudienda commiſerunt ca-

ra

ra pignora; an satis Catholice, Germanice, atque politice, meum non est, nec hujus loci disquirere.

Quod vero creditum hactenus fuerit, eos, qui quadriennio, aut quinquennio Institutionibus atque Pandectarum libris iusudarunt, administrandis reditibus Principum atque controversiis, quæ circa regalia, jura vectigalium, stapularum, emporiorum, conductus, metallorum, forestæ &c. moventur, decidendis pares fieri; id nescio, an non risu potius quam longo verborum apparatu explodendum sit. Methodum si spectes, nec eam ordinatam satis, nec regulis logicis ex asse conformem comperies; neque enim (ut vulgari & obvio id exemplo illustrem) ad solidam juris civilis scientiam absque penitiori juris naturalis atque politices doctrina viam patere existimem; neque egregii quidquam præstare in jure publico possunt, qui historiæ imperii R. G. notitia nulla tincti, eidem sese accingunt; interea utrumque insuper haberi videris. Usque adeo machinalis rerum cognitio in amore est! Sed si verum dicere licet, non id discentium, sed docentium vitium est, ad quos præcipue pertinet, discendorum notiones distinctas tenellis animis ingenerare; his potissimum incumbit eo ordine atque methodo in tradendis disciplinis versari, ut via, qua potest, brevissima ad solidam rerum cognitionem manuducatur studiosa juventus. Tentare libuit, si quid est mearum virium, in MEDITATIONIBUS hisce PRÆLIMINARIBUS, quas tibi offero B. L. quinam in studio juris partium ordo, quænam in docendo methodus servanda

veniat. Partes juris tum naturalis, tum divini, tum publici, tum civilis adumbravi, ut, quas pro ratione muneris aut officii olim obeundi præcipuas habere debeant jurium candidati, dijudicare ante queant, quam seram malo medicinam parare necessum habeant. Si finem alium propositum non habui, quam ut ad utilem jurium cognitionem viam sternerem, memor illius, quod apud comicum Gallicum de Moliere occurrit:

Je hais seulement
La science et l' Esprit, qui gatent les personnes;
Ce sont choses en soy, qui sont belles et bonnes.
Mais j' aimerois mieux être au rang des ignorans,
Que de me voir savant comme certaines Gens.

Vale lector benevole, propensumque solida juventuti jurisprudentiæ principia tradendi studium æqui consule.



CAPUT

CAPUT I.

DE FUNDANENTO ET COGNITIONE JURIS IN GENERE.

§. I. Duplici anima humana gaudet facultate, *cognoscitiva* scilicet, qua objecta, & mutationes hujus universi sibi repræsentat; & *appetitiva*, qua mutationes vel in se ipsa, vel in rebus extra se positis, naturæ ac statui suo tum morali, tum civili convenienter producere, vel impedire annittitur. Patent hæc experientia, dum ad ea, quæ in anima nostra accidunt, cogitationes nostras dirigimus, nec demonstratione indigent.

Facultas appetitiva utrumque nisum aliquid agendi, vel impediendi ex usu loquendi complectitur. Melius forsan nisum animæ, qua mutationes naturæ, & statui suo repugnantes impedire nititur, facultatis aversativæ nomine compellares: plane ut ii, qui accuratius philosophantur, inter voluntatem, & noluntatem distinguunt; dum enim appetit anima, ducitur versus objectum, dum aversatur, ab eodem retrahitur.

§. II. Nec minus in aprico est, utramque facultatem in exercitio suo certis adstringi regulis; *cognoscitivam in vero* detegendo, dijudicando & *a falso* discernendo; *appetitivam* in eligendis, ac actuandis, quæ perfectionem, impediendis & removendis iis, quæ in perfectionem in alterutro involvunt.

Regulas facultatis cognoscitivæ discutiunt Logici; facultatis vero appetitivæ regulas examinant ii, queis intimius æqui bonique fontes scrutari animo sedet. Nos impræsentiarum brevissimis attingemus, quæ ad scopum nostrum faciunt.

§. III. Mutationes nimirum, quæ actiones animæ consequuntur, non perinde se habent ad naturam, & statum nostrum; *aliæ* siquidem eidem conveniunt, h. e. concurrunt ad finem ultimum, ad quem anima per naturam suam est determinata; *aliæ* naturæ, atque essentiæ animæ repugnant, h. e. impediunt, quo minus finis ille ultimus, qui est summa felicitas, obtineatur.

Ponamus Cajum, & Titium ambos studiorum gratia universitates invisere; Cajum omne tempus, & operam eo impendere, quo rerum olim sibi profuturarum notiones acquirat distinctas; collegia nulla negligere; ex celeb. Professorum ore assidue pendere: Titium in contraria omnia niti, commessationibus, atque compotationibus dies perdere, noctesque: quis non videt mutationes, quæ actiones Caji consequuntur, consentire cum natura, atque essentia sua, & media sua ad finem, quem sibi habet propositum, obtinendum? Alium vero & contrarium esse Titii statum, qui actiones ipsius consequitur, tum ratione corporis, tum animæ; impediunt enim, quo minus finem suum, qui fuit cognitionis solidæ acquisitio, consequatur.

§. IV. Eam esse animæ humanæ, & in genere entis rationalis cujusvis naturam deprehendimus, ut vi libertatis suæ ad actiones sese nullas determinet, nisi quas mutationes statui, ac naturæ suæ convenientes consecuturas esse, vel vere, vel apparenter ex errore judicat. Enimvero, *quod statui, ac naturæ entis convenit, perfectum*, consequenter *bonum* dicitur. Patet itaque animam non appetere, nisi quod bonum esse judicat: vel quod perinde est, *quod statum ipsius perficit.* Regula adeo facultatis appetitivæ generalissima hac propositione absolvitur:

Fac ea, quæ statum ac naturam tuam perficiant.

Similiter non omittit actiones, nisi quas mutationes statui, ac naturæ suæ repugnantes involvere, vel vere, vel erronee

nec colligit. Quod vero *statui*, *ac naturæ entis repugnat*, *imperfectum*, consequenter *malum* vocatur. Non aversatur igitur anima nisi *malum*. Resultat hinc altera regula facultatis appetitivæ:

Omitte ea, quæ statui ac naturæ tuæ repugnant.

Obiter hic tene, dum in regulis status, atque naturæ nostræ tantum fit mentio, officia erga Deum, & proximum minime excludi: demonstratum enim dedit *Celeb.* WOLFFIUS in Philosophia sua practica, inseparabilia esse a perfectione naturæ nostræ officia tum erga Deum tum erga proximum; imo in genere (§. 14. *Moral.*) ostendit, nos ad perfectionem macrocosmi æque, ac microcosmi promovendam æterna naturæ lege esse obstrictos.

§. V. Entia, quæ cognoscimus, sunt vel *substantiæ*, vel *accidentia*, sive *modi*, & *modificationes rerum*, quæ per actiones substantiarum actum consequuntur. Substantiæ aliæ sunt *simplices*, aliæ *compositæ*. *Simplices* denuo vel rationis usu pollent, vel ratione destituuntur, & ex parte rerum materialium principia constituunt. *Substantiæ*, tum *simplices*, tum *compositæ*, vi agendi gaudent, qua quidquid in universo fieri observamus, actum consequitur. Inter actiones substantiarum intelligentium ea sese prodit differentia, quod aliæ imperio voluntatis liberæ subsint, aliæ ejusdem imperio non pareant. Porro, si actiones substantiarum intelligentium liberas, sive eas, quæ imperio voluntatis liberæ subsunt, ad naturam & statum ipsarum referas; varias mutationes, habitus, & status eas consequi deprehendes. *Mutationes*, *habitus*, *&* *status substantiarum intelligentium*, *quæ actiones ipsarum liberas consequuntur*, *entia moralia* dicimus, ad differentiam ceterorum entium, quæ *physica* audiunt.

Ex. g. Felicitas est ens morale; denotat enim felicitas statum hominis, qui ab actionibus voluntatis liberæ dependet, & quem obtinere potest homo, cum legibus ex asse satisfacit. Ebrietatem inter

inter entia moralia referimus; quod status tum animæ tum corporis, quem comitatur ebrietas, per actiones voluntatis liberæ determinetur. Ex eadem ratione omnes virtutes, & vitia, habitus tum intellectus, tum voluntatis, contractus, delicta &c. entia moralia vocamus; quod nec virtus, nec vitium, nec contractus, nec delictum absque voluntate libera concipi possit. Somnium vero, licet actio sit animæ, ut & reliqua entia physica minime ad entia moralia pertinent, ab imperio siquidem voluntatis eximuntur. Notionem, ni fallor, entis moralis genuinam dedimus, quæ notas sufficientes continet, ad discernendum entia moralia ab entibus quibuslibet aliis. Maximi profecto momenti est, naturam entis moralis probe rimari, siquidem de imputatione actionum humanarum, cujus per universam jurisprudentiam, imo in Theologia, usus amplissimus est, limatum judicium ferre velis. Studio relinquimus, qui hic se campus offert enodandi, quæ jam pridem, sed infelici successu, tentavit Puffendorffius J. N. & G. C. 1. §. 2. & 3. Definitio enim entis moralis quam suggerit, naturam entis moralis confundit potius, quam explicet.

§. VI. Voluntas libera, dum ad agendum vel non agendum sese determinat, motivis utitur, quæ, cum desumantur a mutationibus, quæ statum nostrum vel aliorum consequuntur, hoc est, ab eo, propter quod voluntas libera aliquid vel appetit, vel aversatur, rationem continent, cur actiones sint vel appetibiles, vel aversabiles. *Affectio illa actionum ex motivis resultans, qua appetibiles sunt, vel aversabiles, moralitas actionum vocatur.* Motiva porro vel ab iis desumuntur, quæ actioni constanter insunt, & ab ea inseparabilia existunt; vel extrinsecus arcessuntur, nec actioni constanter cohærent. Priori casu moralitas actionum *intrinseca*, posteriori *extrinseca* erit.

Ex. g. Furtum est ens morale; cum sit actio, quæ imperio voluntatis liberæ subest, & in potestate sit entis rationalis perpensis motivis ab eo, quæ furtum consequuntur, petitis, furtum aversandi. Affectio illa furti ex motivis resultans, qua aversari illud potest ens rationale, moralitas furti audit. Quodsi motiva fugiendi furtum

furtum ab iis deſumas, quæ furto conſtanter cohærent, & ab hac actione inſeparabilia ſunt; erit moralitas furti *intrinſeca*. Pone vero Principem tranſitum per pontem lege inhibere; erit tranſitus per pontem ex voluntate Principis actio moralis: at vero, cum moralitas illa voluntatem Principis tantum pro fundamento habeat; *extrinſeca* tantum dici poterit.

§. VII. Actiones liberæ vel *bonæ* ſunt, vel *malæ* (§. IV.); conſequenter morales. (§. V.) Enimvero anima ad actiones bonas committendas; malas vero ommittendas per naturam ſuam obligata eſt. (§. X.) Facultas adeo ex hac obligatione animæ naſcitur, quod bonum eſt, committendi, & quod malum, omittendi, vel in genere aliquid agendi. Porro cum bonitas illa, vel malitia actionum earundem moralitatem abſolvat; facultatem illam *moralem* eſſe patet. *Facultatem moralem aliquid agendi*, *jus* dicimus.

§. VIII. In originem, & fontem juris dum inquirimus, duplicem illum eſſe comperimus: vel enim per ipſam naturæ noſtræ, actionumque eſſentiam jura, ſive facultates morales, nobis competunt; vel ex voluntate ſuperioris, poteſtate, aliquid cum effectu jubendi, inſtructi nobis tribuuntur.

§. IX. Jus, ſive facultas moralis, quæ per ipſam naturæ noſtræ, actionumque eſſentiam nobis competit, *jus naturæ* audit. Facultas vero moralis, ſive jus, quod voluntatem ſuperioris ſupponit, *jus poſitivum* nuncupamus.

Sic jus, ſive facultas moralis, vitam contra injuſtos aggreſſores defendendi, per ipſam hominis, & actionis hujus naturam intelligitur; nec opus eſt ſuperiore, qui ſpeciali lege id indulgeat. Pertinet itaque jus inculpatæ defenſionis ad jus naturæ. Econtra immunitas contribuendi ad onera reipublicæ citra expreſſam vel tacitam ſuperioris voluntatem concipi nequit. Eſt itaque immunitas ab oneribus reipublicæ juris poſitivi. De variis juris tum naturalis, tum poſitivi ſpeciebus diſpiciemus capite ſequenti.

civilis, quæ neceſſario ſuperiorem ſupponit, notiones ſuas abſtraxerint.

§. XIII. Leges naturales ipſa entis rationalis, rerumque extra ſe poſitarum, natura conſtitutæ ſunt. Enim vero ens rationale, & in ſpecie homo, ſub diverſo reſpectu & ſtatu coſiderari poteſt, quorum quilibet determinata ſua gaudet eſſentia, & natura: ſic conſiderari poteſt homo, quatenus vivit in ſocietate *humana*, vel quatenus vivit in ſocietate *civili*, & in utroque naturaliter ad certa officia obſtringitur. Quodſi adeo in notione juris naturalis ſtatum entis rationalis determines, & hujus naturæ conformiter officia inde deducas; plures habebis juris naturalis ſpecies: ſic leges, juxta quas natura hominem in ſtatu naturali actiones ſuas dirigere jubet, *jus naturæ ethicum:* quæ ex natura ſocietatis civilis, quæ ſint civium officia, determinant, *jus naturæ politicum* abſolvunt. Similiter, ſi in notione legis poſitivæ ulterius determines ſuperiorem, a quo proficiſcuntur; varias nanciſcêre legum poſitivarum ſpecies: ſic quæ Deum pro legislatore agnoſcunt, *leges divinas poſitivas;* quæ auctoritate humana conſtituuntur, *leges poſitivas humanas* dicimus. Utræque in varias abeunt claſſes pro diverſitate objectorum, circa quæ legislator poteſtatem ſuam exercet; ſed de his ſuo loco.

Hæc exempli loco adduximus. Capite ſequenti ex hoc fundamento omnes omnino legum & officiorum ſpecies determinabimus, ut, qui legibus operam navaturi ſunt, ſibi olim profuturarum ſelectum inſtituere, & quamque in ſuam claſſem referre valeant.

§. XIV. Lex eſt regula, juxta quam actiones noſtras inſtituere obligamur. (§. XI.) Tribuit itaque nobis lex facultatem aliquid agendi, vel omittendi; quæ cum moralitate non deſtituatur, (§. VI.) conſequenter jus ſit: (§. VII.)

patet

patet ex legibus *jura* eſſe, & vi legum *jura* demum competere.

Ex. g. Lex naturæ vult, ut bello injuſto nos invadentibus reſiſtamus. Hinc ergo facultas legitima ſeu jus nobis naſcitur, eligendi quævis media, quibus injuſtum aggreſſorem finibus arceamus, & ſecuritatem communem promoveamus. Hinc jure agere dicitur, qui legem pro facto ſuo allegare valet.

§. XV. Actiones liberas dirigunt leges (§.XI.), easque ſic inſtituendas eſſe præcipiunt, ut cum natura & ſtatu noſtro conſentiant. (§. IV.) In ſtatu igitur, & natura noſtra aliquid contineatur neceſſe eſt, ex quo intelligatur, cur hoc potius modo, quam alio, inſtituenda ſint. (WOLFIUS Phil. prima P. 1. S. 1. C. 2. §. 70.) *Id, ex quo intelligitur, cur aliquid fiat, vel fieri debeat, ratio ejus vocatur.* Liquet adeo leges ſua non deſtitui ratione. Definiri itaque poterit *ratio legis*, quod ſit illud, per quod intelligitur, cur lex lata ſit, vel ferenda.

Evidentiam ſuam mutuantur modo dicta a doctrina generali principii rationis ſufficientis, quo primum *Illuſt.* LEIBNIZIUS uſus eſt in demonſtrando; univerſalitatem vero, & veritatem luce plus quam meridiana donavit ὁ πάνυ WOLFIUS in Philoſophia prima cap. alleg. Quodſi quæras, in quonam conſiſtant rationes legum? eas quidem ſubſtrata materia, circa quam verſatur lex, & circumſtantiæ ſpeciales in quolibet caſu facile ſuppeditabunt; modo ne principiis juris generalibus prorſus vacuus examen inſtituas.

§. XVI. Porro rationes, ex quibus intelligitur, cur lex lata ſit, vel ferenda, vel in ipſa actionis eſſentia, ejusque determinationibus deprehenduntur; conſequenter actioni conſtanter, abſolute, vel ſub datis determinationibus inſunt: vel in alio principio extrinſeco v. c. voluntate legis-

latoris, latent. Priori casu rationes legum sunt *intrinsecæ*; posteriori vero *extrinsecæ* erunt.

Ex. g. Rationes legis, quæ prodigis declaratis administrationem bonorum adimit, sunt *1mo* malum, quod in rempublicam ex immoderatis ejusmodi bonorum decoctoribus redundat: *2do* ne civitas egenis & mendicis oppleatur: *3tio* ut vitiis & sceleribus, in quæ proni sunt prodigi, pessulus objiciatur. Quæ rationes cum ab ipsa prodigi, & reipublicæ natura sint desumptæ; intrinsecas esse dubium non est. Econtra statutis Herbipolensibus §. 43. **Ob die Inwohner vor denen Fremden sollen bezahlet werden /** cautum est, ne in concursu creditorum creditores extranei civibus præferantur. Vid. *Illust.* DEMERADI Fascicul. different. J. C. & Franconici, addita resp. juris 1. p. 5. Pone jam aliam civitatem extra ducatum Franconiæ & episcopatum Herbipol. eandem legem sancire civibus suis ex solo retorsionis jure: erit ratio illius constitutionis tantum extrinseca; quippe quæ ex concursus creditorum natura non elucet.

§. XVII. Leges naturales ex ipsa humana & rerum natura determinant, qua ratione actiones liberæ instituendæ sint, ut felicitatem hominis promoveant, malum vero omne avertant. Bonum igitur & malum, quod per actionem liberam obtinetur, vel impeditur, sunt rationes, ex quibus leges naturales intelliguntur. Quamobrem, cum bonum vel malum, quod rationem legis naturalis constituit, per ipsam essentiam & naturam actionum determinetur; *rationes* legum naturalium *intrinsecas* esse constat (§. XVI.).

§. XVIII. Leges positivæ superiorem supponunt, (§. XII.) a quo demum vim obligandi habent. Quodsi adeo legum positivarum rationes scruteris; non ad actiones tantum, seu objectum legum, sed & ad voluntatem legisla-

giſlatoris reſpiciendum erit, ut, quæ motiva legibus ferendis anſam dederint, eruas.

§. XIX. Quodſi legislator iisdem motivis, quæ actioni per naturam ſuam, & ſub determinatis circumſtantiis cohærent, inducatur, ut legem ferat; erunt motiva, ſive rationes legum *poſitivarum intrinſecæ*, (§. XVI.) & eædem cum rationibus legum naturalium. (§. XVI.).

Ex. g. lege naturali furtum prohibitum eſt; nec enim ſocietates humanæ, nec dominia rerum, nec pleraque hominum officia cum libertate furandi conſiſtere poſſunt. Poſitis itaque ſocietatibus humanis, introductis itidem ex naturali ratione dominiis rerum &c. furtum per neceſſariam ſequelam prohibitum eſt. Pone jam legislatorem iisdem rationibus moveri, ut furtum lege inhibeat, & pœnas ſtatuat rem alterius inſcio ac invito domino doloſe ſurripienti; erunt legis hujus poſitivæ *rationes* eædem cum rationibus naturalibus, nempe *intrinſecæ*. Rationes legum popoſitivarum intrinſecæ in civitate dicuntur *publicæ*, ſubinde *politicæ*; quod ad tranquillitatis publicæ conſervationem, & ad ſtatum politicum plerumque comparatæ ſint. Publicas etiam dicimus illas, quas conſervatio formæ reipublicæ, jurium ſummorum imperantium, atque natura ſocietatis civilis ſuggerunt.

§. XX. Cum rationibus legum intrinſecis concurrunt ſæpius facta hiſtorica, quæ legi poſitivæ ferendæ anſam ſubminiſtrant; id quod evenit etiam in actionibus de ſe indifferentibus, quæ ſub certis demum, & determinatis circumſtantiis juberi poſſunt, vel prohiberi: non enim niſi his exiſtentibus ſub legislatoriam poteſtatem cadunt. *Facta hiſtorica*, quæ legislatorem movent, ut legem condat, *rationes legum hiſtoricas* dicimus.

Ex. g. S. C. Macedoniano cavetur, ne filiusfamilias ex credita ſibi pecunia efficaciter conveniri poſſit. Non deſunt rationes intrinſecæ ab ætate juvenili in vitia & prodigalitatem proclivi deſumptæ,

sumptæ, quæ naturalem hujus legis æquitatem loquantur: legislatores tamen Romani a factis nefariis, & sceleribus Macedonis improbi fœneratoris ansam sumpsisse videntur hanc legem sanciendi, ut fœneratoriam pravitatem coercerent; quod verba S. C. ab Ulpiano L. 1. ff. de S. C. Maced. relata testantur.

Similiter capitulatione augustissimi Imperatoris CAROLI VI. artic. XX. novus modus declarandi statum imperii in bannum præscriptus est. Quodsi, quæ superiori sæculo circa proscriptionem Friderici V. Elect. Palat., recentiori circa declarationem in bannum Coloniensis, & Bavarici Electorum contigerunt, recolligas: *rationes historicæ* novæ hujus constitutionis obscuræ esse nequeunt. Sic itidem frumenta e republica ad exteros transportare in se malum non est, imo necessarium subinde, & civitati & commerciis proficuum. Pone vero bello civitatem implicitam, vel frugum inopia aliunde premi; alia frugum exportandarum ratio est, & lege utique cavendum erit, ne civitas annona prorsus denudetur. Circumstantiæ, quibus existentibus ea lex ferenda est, sunt facti, consequenter historicæ; sunt ergo rationes historicæ, quæ in sanctionem hujus legis influunt. Plerasque Principum constitutiones a factis antecedaneis originem ducere deprehendes, ubi in rationes earundem inquisiveris.

§. XXI. Dum legem condit legislator, vel *publicam*, vel *privatam* utilitatem intendit. De motivis a publica utilitate desumptis diximus §. XIX.: restat ut de privatis dispiciamus. Legislatorem v. c. summum magistratum; in civitate propriæ saluti & utilitati salutaribus legibus consulere nil vetat: modo ne publicam salutem insuper habeat. Quamobrem cum motiva & facta, quæ occasionem dant legi ferendæ, sint rationes legum; eo casu, quo Princeps, vel magistratus legislator propria tantum utilitate impellitur ad legem ferendam, erunt *rationes* legis *privatæ*; quas, si cum salute publica consistant, *justas*, sin eidem repugnent, *injustas* esse apparet.

Ex.

Ex g. æquum eſt, ut Princeps curis publicis defatigatus innocenti recreatione v. c. venatione, animum interdiu refocillet: nihil adeo prohibet, quo minus legibus caveat, quæ venationem jucundam & opimam efficiant; nec juſtas ſubditi conquerendi cauſas habent, dum nihil, vel modice ſaltem inde ſe gravatos ſentiunt. *Rationes* legum circa *venationem* hoc caſu erunt *privatæ*, juſtæ tamen. Pone vero prohiberi ſubditos vicinos ſylvæ agros ſepibus claudere, ita ut feris liber in ſata & fructus aditus pateat, & alia multa conſtituere Principem in propriam utilitatem, quæ cum ſalute ſubditorum pugnant: privatas, ſed injuſtas eſſe hoc caſu legum rationes dubitandum non eſt.

§. XXII. Legum tationes propalare modo publica civitatis, modo privata legislatoris utilitas vetat, quo intuitu *legum rationes arcanas* dicimus.

Exempla rationum arcanarum paſſim in jure Romano, publico & canonico occurrunt. Suaſorias dicit. H. Grotius J. B. & P. L. 2. C. 1. quod præcipue voluntatem legislatoris moveant; & ut a juſtificis eas diſtinguat, quæ eum in finem ſaltem propalantur, ne ſine ratione ſtatuiſſe aliquid videatur legislator. De cetero non ſemper injuſtæ ſunt rationes legum arcanæ; quin potius ſapientiam & prudentiam legislatoris arguunt.

§. XXIII. Tantum de rationibus legum intuitu legislatoris. Quodſi rationes legum in relatione ad cognoſcentem ſpectes; alias quidem demonſtrativa ratione ex natura & eſſentia legis & legislatoris, factisque antecedaneis demonſtrare valebit; vel confuſe ſaltem liquet, quæ ſint *rationes legum*: priori caſu *rationes legum certas*, poſteriori *incertas* dicimus.

Ex. g. Lege naturali Imperans ſalutem civium pro virili promovere tenetur, rationibus a natura civitatis & ſubditorum deſumptis. Quodſi adeo ex natura hominis & ſocietatis civilis demonſtrare valeas *rationes*, quæ pro hac lege militant; eas *certas* eſſe conſtat. Pone vero ſtudioſum juris publici, neç juris publici uni-

versalis scientia, nec superioris sæculi, & belli tricennalis historia imbutum, instrumentum pacis perlegere: cum rationes eorum, quæ in dicto inst. P. constituta sunt, tum ex J. publico universali, tum ex factis historicis, & statu politico superioris sæculi petendæ sint; *rationes* sane eorum, quæ in instrumento pacis continentur, non perspicit: *incertæ* igitur ipsi sint necesse est.

§. XXIV. Quoniam ex rationibus legis innotescit, cur lata fuerit; erunt rationes legum sufficientes, si positis illis evidenter appareat legem latam fuisse, aut ferendam esse.

Legis ex. g. quæ intercessiones mulierum suo modo irritas esse jubet, rationes allegant JCti Rom. *L. 1. & 2. π. de S. C. Vellej.* 1mo, fragilitatem, & imbecillitatem sexus, 2do, periculum rei familiaris, 3tio, quod, quibus officia, in quibus commodum ipsarum versatur, moribus adempta sint, injustum sit, ea relinqui, ex quibus utilitatem raro, damnum frequentissime sentiunt. Quibus si jungas facta historica, quæ, feminas inconsideratis intercessionibus sæpius læsas fuisse palam fecerunt; evidenter cognoscis, cur lex illa lata fuerit: *sufficientes* adeo sunt *rationes* S. C. Vellejani modo allegatæ.

§. XXV. Ex quo colligere licet, *insufficientes* eum tenere legum *rationes*, qui aliquas tantum allegare valet, ex quibus legislator permotus fuit, ut legem sanciret.

Ex: g. Si rationem redditurus, cur Carolo V. capitulationem præscripserint Electores, id ideo factum esse afferat, ne jura statuum in incerto fluctuarent, atque ut potestas imperatoria certis limitibus circumscriberetur; insuper habitis iis, quas persona Caroli V. & nimia ejus præpotentia suggerebat: *insufficientes rationes* capitulationis Carolo V. præscriptæ allegat. Non eo inficias, sufficere potuisse rationes modo dictas ad capitulationem Carolo V. præscribendam; sed cum facti sint, in quo quidquid discerni potest, certo modo determinatum est; demonstrandum erat,

erat, eas ſolas in dato caſu extitiſſe, nec alias concurriſſe: cujus tamen contrarium hiſtoriæ teſtantur.

§. XXVI. Determinationes & circumſtantiæ, ſub quibus legislator legem obligare voluit, *mentem legis* abſolvunt.

Ex. g. vigore inſtr. pac. art. VII. §. 2. in fine, generali lege ſtatuitur, præter religiones tres ſcilicet Romano-Catholicam, Auguſtanam, & reformatam, nullam aliam in imperio R. G. ferendam eſſe. Rationes conſtitutionis ſalus imperii publica, & hiſtoria reformationis & pacis Weſtphalicæ ſuppeditat. Determinationes vero, quæ eam ingrediuntur, partim ex ipſa lege, partim ex intentione legislatoris eruuntur, & in præſenti caſu huc reduci poſſunt: 1mo, quod omnes religiones præter dictas tres ab imperio exulare debeant, 2do, quod pro conſervanda tranquillitate, & ſalute imperii lata ſit, 3tio, quod omnes omnino ſtatus obliget, 4to, quod non ſolum hac ſanctione præter tres dictas religiones, quæ tempore legis conditæ fors jam irrepſerant, ſed & quocunque tempore diverſæ a tribus extituræ excludantur. Habes adeo determinationes ex ipſo inſtrumento pac. imperii Germanici indole & natura petitas, quæ dictæ legis mentem conſtituunt. Mentem adeo ejus pervertit BRUNNEMANUS in *Ex. J. pub. C. 6. q. 8.* dum Evangelicos ab ejus obſervantia liberos pronunciat.

§. XXVII. Scire in genere dicimur id, quod ex immotis principiis demonſtrare valemus. *Scire itaque leges*, erit habitu pollere, leges ex inconcuſſis principiis demonſtrandi; h. e. ex natura actionum, quas dirigunt, ex circumſtantiis, & factis, item ex motivis & intentione legislatoris evidenter deducendi 1*mo*, cur lex lata ſit; 2*do*, ſub quibus circumſtantiis obliget; & 3*tio*, ad quos caſus legislator legem reſtrictam voluerit. Enimvero cum id demum per rationes, de quibus hactenus diſſeruimus, & mentem legum pateat; fruſtra ad legum ſcientiam aſpirat, qui nec de rationibus, nec de mente legum ſollicitus eſt.

In sequentibus demonstrabimus, quæ sint legum principia propria, & fundamenta, quibus via sternitur ad solidam juris scientiam. Magni profecto interest, ne qui ad clavum reipublicæ sedent, aut consiliis suis negotia publica dirigunt, rabularum more verba tantum legum teneant; mentem vero vim atque potestatem, quam solidior Politices & reipublicæ doctrina suggerit, insuper habeant.

§. XXVIII. Rationes legum sunt vel in- vel extrinsecæ, (§. XVI.) publicæ, (§. XIX.) historicæ, (§. XX.). privatæ & arcanæ. (§. XXI. & XXII.) Rationes legum intrinsecæ, cum actioni constanter cohæreant, nunquam non in potestate nostra sunt; modo sufficienti acumine polleas, discernendi, quæ actiones liberas, vel absolute, vel in hypothesi consequuntur. *Historicæ* vero, cum facti sint; *arcanæ* autem a legislatore recelentur: utrarumque notitia tractu temporis evanescere potest. Quamobrem, si legis cognitio factum historicum, aut rationem legis arcanam necessario supponat; illis antiquatis, his vero latentibus, rationem legis reddere non poteris.

Unde sensum legis 10. π. de legibus colligere licet. Quæstio nimirum est de legibus civilibus a majoribus latis; quas uti propter rationes supra allatas facti semper aliquid ingreditur; ita facile evenire potuit, ut in obscuro esset earum origo. Nec desunt in jure publico Romano Germanico exempla legum, quarum origo ob deficientem rationum historicarum notitiam ignoratur: sic in A. B. c. 1. numeri electorum septenarii origo ad antiqua tempora refertur; quo autem præcise tempore septenarius Electorum numerus primum stabilitus fuerit, non adeo liquet; ut vix ullibi Publicistas magis dissentire videris. Vide LEIBNIZ. *Cod. J. G. dipl. Tom. 1. in præfatione.*

§. XXIX. Jura ex legibus nascuntur, (§. XIV.) & vi legum demum competunt. Quamobrem si cognoscere velis,

lis, quæ nobis vel aliis jura competant; legum notitia neceſſario erit præmittenda. Pendet adeo cognitio juris a cognitione legum, hancque præſupponit. Enimvero cum promiſcue accipiant JCti cognitionem juris & legum, propter *indivulſum nexum*, qui inter leges & jura intercedit; nec nos impoſterum inter cognitionem juris & legum diſtinguemus.

Leges ſunt determinantia, jura determinatum. Quare, cum determinantia ſint ratio ſufficiens determinati; is jura noſſe dicendus eſt, qui perſpicit, quæ, & quomodo jura per leges determinentur. Uſui hic eſſe poſſunt, quæ de principio rationis ſufficientis P. 1. Sect. 1. C. 2. de determinato, & inderminato Sect. II. C. 2. in Philoſophia prima tradidit *perill.* L. B. de Wolff. Præſtantiam notionum directricium in meditando nos quotidie experimur. Elegantem de earum uſu diſſertationem conſcripſit idem laud. auct. in horis ſubſeciv. *Trim. vern. diſſ.* 4.

§. XXX. Cognitionem hiſtoricam in genere dicimus eorum, quæ ſunt, atque fiunt, ſive in mundo materiali, ſive morali accidant; habitis inſuper rationibus, ex quibus intelligitur, cur ſint, vel fiant. Enimvero qui leges & jura tantum memoriter tenent, rationibus eorum nec perſpectis nec perpenſis; nihil aliud cognoſcunt, quam leges fuiſſe latas, & jura huic vel illi competere. Quapropter *cognitio* juris, quam poſſident, *hiſtorica* non incongrue vocari poterit.

Ex. g. Qui ex §. 3. *Inſtit. de teſt. ord.* novit, in teſtamento ſolemni ſeptem teſtes idoneos eſſe adhibendos, rationes vero tum *juris naturalis*, quam *politici*, quæ ſingularem legislatorum curam exigunt, ut ultimas voluntates certis & indubiis legibus, altercationum & litium, ex incertitudine teſtamentorum plerumque propullulantium, præſcindendarum gratia circumſcribant; tum hiſtoricas numeri ſeptenarii teſtium ex antiquo teſtandi more Romanorum per æs & libram adhibitis quinque teſtibus libripende,

& antestato ignorat: is sane legis de numero septenatio testium cognitionem aliam habere quam historicam dici nequit. Similiter, qui ex capitulatione CAROLI VI. art. IV. novit, Imperatori jus esse, imperium, etiam irrequisito consensu statuum, contra violentos invasores quovis modo statibus & imperio innocuo defendendi, neglectis rationibus politicis & historicis, ex quibus eluceat, cur hunc casum a sanctione generali, vi cujus alioquin omnium statuum consensus necessarius est, exceperint Electores; is historica tantum juris hujus majestatici Imperatori competentis cognitione imbutus est.

§. XXXI. Nihil fit sine ratione sufficiente: possibilis ergo est cognitio rationum eorum, quæ sunt atque fiunt, quam *philosophicam* dicimus. Enimvero leges suis non destituuntur rationibus (§. XV. XVI. & seq.): non ergo implicat *cognitio legum philosophica*, quam definio per *cognitionem rationum legum vel juris*.

Ex. g. Maximilianus I. in pace publica & profana art. I. diffidationes in imperio R. Germanico sustulit. Qui in historica legis hujus notitia non acquiescit, sed ex rationibus status politici universalibus, turbis, quas in imperio R. Germanico pepererunt diffidationes, & historia temporum Maximiliani I. æquitatem ac necessitatem pacis publicæ & profanæ demonstrat; is philosophica legis, quæ diffidationes sustulit, cognitione instructus est.

§. XXXII. Quo pluribus adeo rationibus leges & jura firmare quis novit: eo major erit cognitionis juris philosophicæ gradus, quam possidet.

Ex. g. qui ex constitutione CAROLI VI. de judicio imperii aulico anno 1714. promulgata §. I. novit, nemini ad augustum hocce tribunal aditum patere, qui quovis modo Principi, aut statui imperii nexu subjectionis, stipendiisve obstrictus est; rationes vero allegare nescit, nisi casus quosdam speciales, ubi consiliarii judicii imperii aulici, vinculo ejusmodi ligati, non judices se, sed patronos causarum, dominos suos concernentiam gesserint: ei minor

minor erit cognitionis philoſophicæ hujus conſtitutionis gradus, quam illi, qui præpterea ex rationibus juris publici univerſalis, & judiciorum imperii noſtri indole, naturalem præfatæ conſtitutionis æquitatem contuetur.

§. XXXIII. Qui memoria tantum tenet, quas rationes legis alleget legislator, vel JCtus; eas vero ex natura actionis & civitatis indole, perinde ut legislator, demonſtrare minime novit: is hiſtoricam cognitionem habet cognitionis philoſophicæ legum alterius. Patet aſſertum ex eo, quod cognitio philoſophica legum, legislatoris, vel JCti ſit res facti: qui ergo novit tantum, quæ ſit alteri cognitio legum philoſophica, rem facti ſcit; conſequenter *hiſtoricam* tantum habet *cognitionem* cognitionis legum *philoſophicæ* alterius. (§. XXX.)

Ex. g. in ordinatione politica de anno 1577. *art. XXXV. §. de Typographis* &c. conſtitutnm eſt, ne abſque cenſura & approbatione cenſorum libri imprimantur in imperio. Qui rationes conſtitutionis, a conditoribus ordinationis politicæ ex rationibus generalibus juris publici univerſalis, ex ſtatu imperii Rom. Germ. & difformitate religionum erutas, §. 2. allatas, memoria tantum tenet; is hiſtorice tantum novit, quæ conditoribus ordinationis politicæ fuerit cognitio hujus legis philoſophica. Licet enim rationes conſtitutionis alleget, nimirum: ut unio & charitas Chriſtiana firmetur; pax ſtabiliatur; tranquillitas publica, quæ relicta libertate, libros quoscunque evulgandi inſigne periculum ſubit, illæſa conſervetur: illas tamen, perinde ut conditores legis, cognitione philoſophica pollentes, ex intimiori ſtatus indole demonſtrare non valet.

Et hæc quidem eſt illa juris cognitio, quam legum ſtudioſi, abſque juris naturæ atque politices ſcientia & ſine principiis hiſtoricis ad civilem prudentiam accedentes, in Academiis ſibi comparant. Cum enim vegeta plerisque ſit memoria, ingentem farraginem legum in cerebrum congerunt; rationes etiam quascunque ab idolis auctoribus conſarcinatas avide devorant: doctrinam vero

eorum

eorum, si proprius lustres, intra historicæ cognitionis legum limites eam vix subsistere deprehendes.

§. XXXIV. Quidquid finitum est, determinata gaudet quantitate; qualitates igitur morales finitæ determinata gaudent quantitate. Quamobrem, cum *cognitio* quantitatis rerum *mathematica* vocetur; possibilis est *cognitio mathematica* qualitatum moralium. Enimvero in determinatione jurium, sive facultatum moralium, qualitatum moralium ratio habenda est. Quodsi igitur in determinatione jurium ex qualitatibus moralibus quantitatis earumdem rationem habeas, & ex illa jura determines; erit ea *cognitio juris mathematica*. Definiri itaque potest cognitio juris mathematica, quod sit *notio distincta quantitatis qualitatum moralium*, secundum quas jura determinantur.

Non abhorrent dicta ab iis, quæ JCti docent de justitia distributiva & commutativa: & verosimile est, Aristotelem ab ipsa hac notione cognitionis juris mathematicæ ansam arripuisse, ut doctrinam mathematicam de proportionibus iis applicaret, dum justitiam distributivam, proportionem geometricam, commutativam arithmeticam observare asserit. Distributiva docet, qua ratione ea, quæ concernunt cives, quatenus sunt membra societatis civilis, ita dividenda sint, ne pars ulla conquerendi causam habeat. Ad cives, quatenus sunt membra societatis civilis, pertinent honores, munera, & onera reipublicæ. Honores conferendos esse propter bene merita, munera pro capacitate dispertienda, onera pro cujusque facultate imponenda esse, nemo est politicorum, qui diffiteatur: quod enim praxi subinde aliud obtinet, nihil ad nos. Quodsi plurium in civitate bene merita, in gerendis officiis capacitates, in sustinendis oneribus facultates inter se conferas; quantitates earundem determines, illisque proportionales honores, munera, & onera distribuas; jus suum cuique tribuis, nec ulli conquerendi causam relinquis; si insuper demonstrare valeas honores, múnera, & onéra exacte meritis, capacitatibus, & facultatibus esse proportionalia: mathematicam habebis juris cognitionem, quod cuique tribuis. Idem

patet

patet de juſtitia commutativa, quæ docet, qua ratione in commutationibus partim ſpontaneis, partim invitis procedendum ſit, ne pars alterutra juſtam conquerendi cauſam habeat; h. e. ne in commutationibus unus plus habeat, alter minus. Quodſi adeo ex quantitate pretii, quo res æſtimantur, vel alio quocunque modo, determinare valeas, num, & quanto unus contrahentium plus habeat, alter minus; ſecundum hanc determinationem jus cuique ſuum tribuas: æqualitatem ſervas arithmeticam, & querelarum cauſam tollis. Enimvero, ſi in caſu ſuppoſito demonſtrare poſſis ex quantitate pretii, quantò unus habeat plus, alter minus; juris, quod cuique competit, *cognitione mathematica* polles. Nota tamen, improprie modum hunc computandi æqualitatem inter contrahentes dici proportionem: revera enim nihil aliud eſt, quam ſubtractio & additio. Reductio ad æqualitatem melius diceretur: ratio tamen denominationis a proportione arithmetica, quæ eſt inter æque differentes, deſumpta eſt. Vide *perill.* L. B. de Wolff horas ſubſecivas *trim. vern. de definit. Juſt. Ulpiani.*

§. XXXV. Difficillima eſt in caſibus ſpecialibus applicatio cognitionis juris mathematicæ: quod quantitates qualitatum moralium, & earundem inter ſe relationis confuſæ nobis tantum notiones ſunt; modulo præterea deſtituamur, juxta quem emetiri easdem valeamus. Hinc in praxi in probabilibus ut plurimum, aut veritati quam proxime accedentibus, ſubſiſtimus, ἀκρίβειαν mathematicam parum curantes; ut adeo, ſi ipſam praxin ſpectes, parum utilitatis ea promittere videatur. Verum enimvero, præterquam, quod in diſtributione onerum & commutationibus pretii, ac facultatum certa quantitas maxima ex parte explorari poſſit: ubi de diſtribuendis oneribus, collectis imponendis, & æqualitate in contractibus & læſionibus ſervanda agitur, cognitionis juris mathematicæ multiplex ſe uſus exerit. In generalibus vero æquitatis principiis demonſtrandis uſus ejus plane inſignis eſt; & quatenus principia generalia ad caſus in vita obvios applicamus, in ipſam praxin

D vitæ

vitæ influit. Errores præterea evitare docet, quos in determinanda æquitate committunt solida juris scientia destituti.

Cognitionis hujus juris mathematicæ usum amplissimum specimine eximio confirmavit *perillustris* L. B. de CRAMER, exemplo emptionis spei, in quo ex natura contractus emptionis spei, & ope principiorum quorundam generalium universaliter docet, qua ratione æquitas in contractu emptionis spei determinanda sit. Hallucinationes vero commentatorum vix non omnium circa æquitatem emptionis spei determinandum non minus solide, quam erudite ostendit; quo ipso in ruborem dedit, quotquot solidiora aspernantur.

§. XXXVI. Rationes legum sunt fundamentum cognitionis juris philosophicæ (§. XXXI.). Quapropter cum rationes legum ab ipsa actionum liberarum natura (§. XVI. & XVII.), societatum civilium indole (§. XIX.), legislatorum voluntate & affectibus (§. XVI.) & factis historicis antecedaneis (§. XX.) desumantur: patet ad cognitionem juris philosophicam adspiranti principia partim ex *Philosophia prima*, *Psychologia*, *Theologia naturali*, *Philosophia practica* & *civili*, partim ex historia, præsertim *patriæ* petenda esse.

Liquet hinc difficultas cognitionis juris philosophicæ, ut proinde mirum non sit paucos esse, qui philosophantur in jure. In sequentibus monstrabimus, qua ratione studium juris instituendum sit, ut optatos progressus sentias: tædium vero, quod ex multitudine partium juris subnasci poterat, cum voluptate ex cognitione veritatis, & utilitatis olim percipiendæ plus quam compensetur.

§. XXXVII. Cognitio legum philosophica rationes & principia juris sub incudem revocat, & earundem veritatem demonstrat, (§. XXXI.) Enimvero *habitus*, *leges sive jura ex*

immotis principiis demonſtrandi juris ſcientia *dicitur*. Viam itaque ſternit cognitio juris philoſophica ad juris ſcientiam.

§. XXXVIII. Si rationes legum demonſtrare vales, atque in legibus poſitivis inſuper leges latas eſſe conſtet, *cognitio juris certa eſt*. In legibus naturalis præter rationes intrinſecas aliæ attendendæ non veniunt; quippe quæ ſufficiunt ad obligationem enti rationali conſtituendam. Quodſi ergo rationes legum naturalium certo cognoſcas; leges naturales & jura demonſtrare potes inde fluentia. Quapropter cum certum dicamus id, quod demonſtrare valemus; *certa* erit *cognitio* juris naturalis philoſophica, ubi leges naturales demonſtrare noverimus. Ut vero juris poſitivi, cum absque legislatore non concipiatur, (§. IX.) certa ſi cognitio philoſophica, præter rationes in-& extrinſecas, legem actu a legislatore latam eſſe conſtare debet.

Ex quo colligere licet, dari in jure veritates non minus demonſtrabiles, & evidentia ſua nitentes, quam mathematicæ. Certitudo enim veritatum geometricarum, qua non absque ratione gloriantur Mathematici, non a methodo, ſed a principiis pendet: dari vero in jure principia certa & evidentia, ex quibus concatenato ratiociniorum nexu jura deducere licet, iis obſcurum eſſe nequit, qui methodo demonſtrativa in juris naturalis ſtudio verſati ſunt.

Ex. g. demonſtraturus jus venandi in imperio R. Germanico dominis territorialibus non ſubditis competere, nec relinquendum eſſe; principia petit *1mo* ex J. P. univerſali, quod ſummo imperanti facultatem tribuit, ea ordinandi, quæ ſalutem publicam promovent: removendi, quæ ſalutem civium turbant vel impediunt: *2do* ex natura & indole venationis, quæ ſine diſpendio temporis a ſubditis exerceri nequit: *3tio* a ſtatu imp. R. Germanici antiquo & recentiori: *4to* hiſtoria imperii & territoriorum particulari, quæ ab immemoriali tempore jus venandi ad ſolos dominos territoriales, vel per modum feudi, aut privilegii ad Status

provinciales vel vafallos pertinuiffe afferit: *sto* a damno, quod ex libero venandi exercitio in rempublicam redundat, v. c. quod fylvæ devaftentur, ab agricultura, opificiis, artibus mechanicis, & a mercatura cives avocentur; latrociniis, jurgiis, & quæ funt alia, malorum fegeti anfa fubminiftretur. Quodfi ex his, & aliis, quæ cafus fpeciales fuppeditabunt principiis, concatenato ratiocinio deducas: venationem in imperio R. Germanico fubditis nec relinquendam, nec concedendam effe; jus, quod inde territoriorum dominis in imperio nafcitur, fubditis omne venationis exercitium fub gravi pœna prohibendi non minus firmo ftabit talo, quam theorema Euclidis de æqualitate trium angulorum in triangulo cum duobus rectis.

§. XXXIX. Cognitionem philofophicam probabilem dicimus eam, quæ aliquibus non tamen fufficientibus, principiis & rationibus nititur. Quapropter qui aliquas faltem pro æquitate, & fanctione legis vel juris, non vero fufficientes novit; is probabili faltem cognitione juris philofophica inftructus eft.

Ex. g. inter jura & prærogativas ftatuum quorundam imp. R. G. referunt, quod in divifione ftatuum imp. in quaterniones antiquitus locum obtinuerint. Fundamentum hujus juris in divifione ftatuum imperii in quaterniones quæritur. Enimvero cum nec ex conftitutionibus imperialibus, nec ex hiftoria, præfertim Ottonis III. quem hujus divifionis ftatuum imperii auctorem cenfet FRITSCHIUS, liqueat, an unquam ea ftatuum divifio lege fancita, aut confirmata fuerit, in recenfendis etiam ftatibus in quaterniones redactis, contra omnem fidem hiftoricam impingant quaternionum defenfores; documenta nihilominus, & diplomata fæculi XIV. & XV. paffim teftentur hanc divifionem antiquitus obtinuiffe; imo in diplomate quodam comitum Schwarzenburgicorum a Maximiliano I. fubfignato expreffis verbis comites Schwarzenburgici inter quatuor S. R. Imp. comites referantur: lex imperii publica de quaternionibus quibusdam faltem nititur rationibus, non tamen ad omnimodam certitudinem fufficientibus; quapropter probabilis faltem erit cognitio juris; quod ex divifione ftatuum imperii in quaterniones deducitur.

§. XL.

§. XL. Cum leges ſint propoſitiones practicæ voluntatis vel actionis in dato caſu directrices; uſum habet cognitio juris hiſtorica in praxi vitæ, ubi certis regulis actiones hominum vel civium adſtringunter, ut iis conformes actiones *inſtituant*. Præterea, ſi determinatæ fuerint leges, & circumſtantiæ omnes, ſub quibus obligant, exprimantur; in ipſa juſtitiæ adminiſtratione, & applicatione legum, de qua mox dicemus, cognitio juris ac legis hiſtorica prorſus contemnenda non eſt.

§. XLI. Cognitionem juris philoſophicam definivimus (§. XXXI.) per notionem diſtinctam rationum legis. Quapropter, cum ex rationibus liqueat, num, & quare lex lata fuerit; uſus præcipuus cognitionis juris philoſophicæ ſe exerit, ubi leges ferendæ, immutandæ, vel abrogandæ fuerint. Quod cum legislatoris ſit; legislatori hanc juris cognitionem propriam eſſe liquet. Præterea ubi jura ſummorum imperantium vel ſtatuum immotis principiis & fundamentis ſuperſtruenda ſunt; certam legum ſcientiam, pactorum & hiſtoriæ notitiam indiſpenſabilis eſſe neceſſitatis nulli dubitabunt, qui in deducendis juribus Principum vel mediocriter fuerint verſati. Præcipue vero gradus hic ſublimis cognitionis juris eos decet, qui erudiendæ LL. juventuti præficiuntur. Cum enim, ſi non omnes, plures ſaltem poſt exactam vitam academicam conſiliis Principum, atque negotiis publicis adhibeantur; multum refert, ſi in iis, quæ in utilitatem publicam ſtatuenda ſunt, longius, quam vulgus videant: quod quidem obtinebunt, ſi Philoſophos ſe in ſtudio juris, & methodi amantes præbeant.

§. XLII. Longis adeo paraſangis juris cognitio philoſophica hiſtoricam (quam vulgi dicere poſſes) antecedit. Qui philoſophica pollet, certus eſt de lege, & determina-

-tiones omnes novit, quæ eam ingrediuntur; non ergo applicat legem, nisi ubi datas circumstantias & rationes legis existere deprehendit; ubi a lege recedendum, cum ratione exceptionem instituit, legibus ipse ferendis aptus; præterea evidenter perspicit, quæ jura, & quare cuivis competant, in administranda justitia semper securus. Contra, qui in historica juris cognitione acquiescit, errandi, atque injustum pro justo tribuendi periculum sæpius subit, rationes legum cum ignoret, exceptiones cum ratione instituere ineptus: & quæ sunt alia, quæ cognitionem confusam comitantur.

Ex. g. qui ex capitulatione CAROLI VI. art. VIII. verbis: Derentwegen Wir dann auch ꝛc. novit statibus imperii, flumina, in Rhenum sese effundentia, navigabilia reddendi, constatus atque subditos, ut molendinna aut ædificia quæcunque, navigationis usum impedientia, demoliantur, adigendi jus esse, atque ex politicis & intrinsecis rationibus ac historia vicinarum gentium perspectum habet, quantum inde commerciis, & divitiis subditorum accedat emolumenti; atque inde, quæ motiva impulerint summos in imperio legislatores, ut sanctionem hanc conderent, concludit: is non solum citra errorem legem dictam ad casus in imperio obvios applicat; sed ex identitate rationum jus idem Imperatori & statibus imperii Danubio, aut alii flumini, vicinis asserit: quod cognitionis hujus legis philosophicæ expers iisdem negaret. Hæc tamen citra præjudicium eorum, quæ de interpretatione legum imperii in instrumento pac. & capitulationibus constituta sunt, dixerim.

§. XLIII. *Finis* in genere dicitur id, quod agens intelligens actionibus suis consequi intendit. Finem adeo cognitionis juris indagaturis examinandum primo venit, quid de legum juriumque scientia sollicitus intendat. Leges sunt regulæ actionum moralium vel civilium directrices; jura vero facultates morales ex legibus resultantes. Quamobrem, qui legibus cognoscendis operam navat, id præcipue agit,

agit, ut actionum tum moralium, tum civilium, normas sibi reddat perspectas. Porro, cum non segreges, sed in societate generis saltem humani vivamus, in actionibus liberis non nostrûm solum, sed & aliorum, in societate nobiscum viventium, ratio insuper habenda est: ut nimirum ita instituantur, ne officiis erga nos, vel erga alios adversentur. *Habitum actiones liberas, ita instituendi, ut neque in officia erga nos, vel erga alios impingant*, justitiam, & quidem universalem dicimus, quod omnibus virtutibus communis sit. Est ergo *justitia universalis finis* cognitionis juris generalis.

Inter jura cum referatur, quidquid vi legis agere, vel ab alio petere possumus, ut in utilitatem nostram agat; patet eum, qui officia tum erga se, tum erga alios exacte observat, nec alterum impedit, quo minus jure suo utatur, tribuere alteri jus suum. Coincidit adeo definitio justitiæ universalis, quam dedimus cum definitione justitiæ Ulpiana, quod nempe sit *habitus voluntatis*, *sive quod idem est*, *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Ut adeo perperam Zoesius in comm. ad *L. 1. Dig. T. 1. de just. & jur. n. 17.* cum plerisque JCtis, particularem hanc esse definitionem justitiæ asserat: notæ enim, in allata definitione recensitæ, conveniunt omni justitiæ, ut vidimus. Nec melius loquuntur, qui justitiam universalem dicunt esse complexum omnium virtutum: virtus enim in genere est habitus voluntatis actiones suas legi conformandi. Genera virtutum a diversitate legum, quibus actiones conformandæ sunt, oriuntur: sic a lege naturali dicitur *virtus moralis*, sive philosophica; a lege divina *virtus theologica*; a legibus civilibus *virtus civilis* denominatur. Species vero virtutum sub generibus contentas nancisceris, si actiones, quas leges dirigunt, determines: sic qui habitu pollet in cibi & potus sumptione actiones liberas legibus naturæ attemperandi, temperans; habitus vero quem inde sibi comparat, *temperantia* vocatur. In notione virtutis conformitatis actionis cum lege tantum habetur ratio, abstrahendo a relatione actionum nostrarum ad alios, a qua demum justæ dicuntur; ut proinde justitia universalis sit genus quoddam peculiare virtutis omni virtuti commune, ejusque quasi socia: sic temperans, quatenus in

lumen-

sumendo cibo & potu leges naturæ circa sanitatem & corporis integritatem observat, *virtuosus*; quatenus vero immoderato ciborum & potus usu abstinet, ne aliis necessaria ad vitæ sustentationem alimenta desint, *justus* dicitur. Eodem modo in omni virtute sociam justitiam deprehendes.

§. XLIV. In civitate legibus a superiore latis cives adstringuntur, ut tam, quæ naturali ratione constituta sunt, quam quæ ratio civitatis specialis exigit, officia adimpleant: judices præterea constituendi sunt, qui juxta leges latas jus suum cuique in civitate tribuant. Administratio igitur justitiæ in civitate inter officia judicis merito refertur. Cum vero nulla adsit ratio, cur non semper & constanter jus suum cuique tribuere debeat; habitum ex repetitis sæpe actibus acquirit judex jus suum cuique tribuendi. *Habitum voluntatis juxta leges civitatis jus suum cuique tribuendi*, justitiam particularem, *sive judicis* dicimus. Quapropter, cum habitus hic absque cognitione legum & juris inde cuique competentis concipi nequeat; *justitiam particularem* esse *finem* cognitionis juris particularem liquet.

Denuo hic hallucinatur Zoesius, qui in verbis finalibus definitionis justitiæ Ulpianæ: *jus suum cuique tribuendi*, notas justitiæ particularis sibi deprehendisse visus est, cum uti *§. præc.* monstravimus, notionem justitiæ generalissimam ingrediantur.

§. XLV. Pragmaticam cognitionem in genere dicimus eam, quæ scientiis solide addiscendis, atque in praxi vitæ principia fœcunda suppeditat, & ad felicitatem hominis tam privatam, quam communem promovendam comparata est. Quapropter, cum leges actiones liberas dirigant, & quod cuique jus competat, doceant; *cognitio juris, sive legum, pragmatica* erit: si in praxi & genere vitæ, quod olim amplexuri sumus, regulas certas & determinatas offerat, actio-

actionibus noſtris non minus ad felicitatem privatam, quam civilem, unitis viribus promovendam aptas; atque inſuper jura in dato quolibet caſu citra difficultatem eruere & demonſtrare doceat.

Breviter dicere poſſes, cognitionem juris pragmaticam eam eſſe, quæ media certa ſuppeditat ad finem cognitionis juris, qui eſt juſtitia, conſequendum apta.

§. XLVI. Unde apparet, quænam cognitio juris inutilis & ſuperficiaria dici mereatur: nempe inutilis & ſterilis eſt cognitio, quæ nec ſcientiis, nec praxi vitæ inſervit; neque ad felicitatem hominis promovendam quidquam confert. Superficiaria autem eſt, in qua neque notiones diſtinctæ, neque propoſitiones determinatæ, nec demonſtraiones exaſciatæ occurrunt. Quapropter cognitio juris inutilis & ſterilis eſt, in qua traduntur, quibus in vita feliciter tranſigenda, & adminiſtranda juſtitia parum aut nihil proficitur. Quodſi igitur in confuſis principiorum juris notionibus ſubſiſtas; nec leges in determinatas & certas propoſitiones reſolvas; neque ex legum rationibus easdem demonſtres: ſuperficiariam habebis cognitionem juris.

Cum juſtitia ſit finis cognitionis juris; inutilis erit cognitio juris, quæ ad juſtitiam tam in propriis, quam in officiis erga alios obſervandam, vel nihil aut parum confert.

§. XLVII. Habes proinde lapidem Lydium, quo inutilem & ſterilem juris cognitionem a pragmatica & utili diſcernas. Inutilis nimirum & ſterilis juris cognitio principia legum inſuper habet, aut confuſa ſaltem exhibet, & talia, quæ citra errorem in vita applicari nequeunt; neglectis maxime obviis, &, quorum quotidianus in vita tam privata, quam civili uſus eſt, ea tradit, quæ vel raro aut nun-

quam occurrunt, ad faftum, & vanam folum oftentationem comparata; terminis a communi fermone longe remotis & intricatis diftinctionum nodis jura ita implicat, ut, dum in forum propelluntur, non folum dignofci non poffint, fed & ludibrio, atque rifui habitu fuo fcenico cordatis fe exponant: pragmatica econtra, & utilis principiis utitur certis & evidentibus; terminorum, qui leges vel jura ingrediuntur, notiones formare docet diftinctas & completas; leges in propofitiones determinatas refolvit, quæ folæ in vita citra errandi periculum applicari poffunt; fublimia licet non refpuat, præfert tamen obvia, & quæ præfentiffimum in vita ufum fpondent; a vanis diftinctionibus, logomachiis, & terminis obfcuris abftinet; fi qui tamen, ut in omni fcientia & arte evenit, adoptandi fint, eos ante definit, ut fixus & certus iis conftet fignificatus; refpuit, quæ neque demonftrandis, neque intelligendis juribus inferviunt; nec ante jura vel leges memoriæ mandari præcipit, quam de eorum ufu conftet, quisquilias relinquens iis, qui quatuor muris, quam generi humano, philofophari malunt. Sed de his amplior erit dicendi campus, ubi capite tertio methodum docendi jurisprudentiam ex profeffo fumus tradituri.

§. XLVIII. Lex determinat, quid vel abfolute, vel fub pofitis certis circumftantiis agendum, vel omittendum; confequenter juftum vel injuftum fit. Quare, fi memoriæ mandafti legem, atque cafus fefe offerat, in quo eædem determinationes, quæ notionem legis abfolvunt, occurrunt; in mentem tibi revocas propofitionem generalem, feu legem actionis in dato cafu directricem. Quapropter, cum actionis fub illis circumftantiis norma fit; juxta illam, quid in cafu dato agendum, vel non agendum, juftum vel injuftum fit, colligis. *Ex perpenfis actionis, vel cafus oblati, natura*

tura & circumſtantiis judicare, eam juxta legis, quæ mentem ſubit, præſcriptum eſſe inſtituendam, vel decidendam, eſt id, quod applicare legem *dicimus.* Ipſa vero legis applicatio eſt *judicium practicum actionem, vel caſum, juxta legem, quæ determinationes cum caſu dato communes habet, eſſe decidendum.*

Ponamus e. g. Titium a Sejo emiſſe prædium 4000. flor. quod vix 1500. æſtimandum erat. Rogat judicem Titius, ut de facto judicium interponat, &, quid juris ſit, enunciet. Judex, dum caſum cum determinatis ſuis circumſtantiis, ſive factum expendit, in mentem ſibi revocat *legem 2. Cod. de reſcind. vendit.* quæ jubet in caſu, ubi læſio ultra dimidium aſcendit, reſcindendam eſſe venditionem; judicat itaque, ſive concludit, in dato caſu reſcindendam eſſe emtionem venditionem; ſive quod idem eſt, applicat legem ad factum, in quo eædem determinationes occurrunt, quas lex comprehendit.

§. XLIX. Ex dictis liquet, quod, dum factum, de quo tanquam de ſubjecto determinationes & circumſtantias prædicas, expendis, vi regulæ imaginationis, quæ vult, ut occaſione perceptionis præſentis, quæ partem continet perceptionis totalis præteritæ, perceptio totalis præterita reproducatur, in memoriam tibi revoces legem, quæ ſub iisdem circumſtantiis & determinationibus, quas factum præſens offert, ſtatuit, quid æquum vel iniquum, juſtum, vel injuſtum ſit. Habes igitur duas propoſitiones, quæ medium terminum, determinationes ſcilicet & circumſtantias facti & legis communem habent; ex quibus juxta regulas ratiocinandi colligis, idem circa factum in hypotheſi juſtum, vel injuſtum, committendum, vel omittendum eſſe, quod lege jubetur. Quare, cum ejusmodi oratio *ratiocinium* dicatur; patet applicationem legis, ſi eandem diſtincte efferas, ratiocinio contineri.

Ex. g. in capitulatione CAROLI VI. & legibus imperii fundamentalibus cautum est, ne collatio dignitatis, & in statum imperii evectio Principibus, & aliis statibus, ratione bonorum, quæ noviter in status imperii evecti ab ipsis in feudum tenent, uti nec jurisdictioni, neque nexui vasallitico præjudicet. Pone jam Nobili aut Comiti, qui feuda recognoscit a Principe imperii, status imperii dignitatem conferri: judicaturus, quid ratione bonorum, quæ a Principe imperii in feudum tenet, justum sit, atque, an nova dignitas nexus vasallitici ac jurisdictionis vinculum solvat, factum cum determinatis circumstantiis expendit: scilicet 1. quod Comes vel Nobilis, de quo quæstio, feuda a Principe & statu imperii recognoscat; 2. quod præterea feuda immediata ab imperio teneat; & 3. quod horum intuitu status imperii dignitas ipsi collata fuerit. At vero cum hæ sint illæ ipsæ determinationes, quæ legem imperii publicam ingrediuntur; vi regulæ imaginationis mentem subit ipsa lex, quæ dicit: quod, cui status imperii dignitas confertur, ratione feudorum, quæ ab immediato imperii statu recognoscit, sit, maneatque ejus vasallus; nec novus dignitatis gradus jurisdictioni ejusdem quidquam deroget. Duas hic habemus propositiones, legem imperii publicam, & factum cum determinatis circumstantiis, quas communes habent; ideoque colligimus, idem in dato casu obtinere, quod lege disponitur: nempe Nobilem aut Comitem, in quem status imperii dignitas collata est, ratione bonorum, quæ ab imperii Principe in feudum tenet, esse atque manere vasallum, ejusque jurisdictioni ut ante subjectum. Universalem esse hanc regulam, imo aliter jus applicari non posse, citra difficultatem ex regulis logicis, & natura animæ demonstratur. Quod vero præmissas, legem scilicet, & factum, non distincte semper cogitemus, id inde est, quod, quando familiares nobis sunt leges, oblato casu confuse saltem, &, ut Philosophi loquuntur, exercite earum recordemur.

§. L. Finem cognitionis juris, sive legum, justitiam tam universalem, quam particularem, sive judicis, supra (§. XLIII. & XLIV.) constituimus. Enimvero, cum utraque justitia id commune habeat, quod jus suum cuique tribuat juxta leges: in justitiæ tam universalis quam particularis exercitio leges applicandæ veniunt. Quatenus itaque

que applicatio legum a juſtitiæ adminiſtratione inſeparabilis eſt: eatenus pro finę cognitionis juris recte habetur *applicatio legum* ad facta.

§. *LI.* Prudentem dicimus eum, qui ſapienter decreta & conſtituta apte exequi, atque impedimenta, ex improviſo incidentia, ne fini obtinendo ſint obſtaculo, dextre removere novit. Quamobrem, cum jurisperitus pro fine ſibi propoſitam habeat adminiſtrationem juſtitiæ, (§§. XLIII. & XLIV.) hæcque absque applicatione legum ad facta concipi non poſſit: *jurisperitus*, *prudentis* nomen meretur, qui leges cum ſapientia latas ad caſus obvenientes apte applicare, quodque applicationem legum quovis modo impedit, cum dexteritate antevertere novit. Habitus inde enatus, leges ad facta apte applicandi, & quidquid applicationem legum impedit, dextre removendi, *jurisprudentia* dicitur.

Paullo aliter jurisprudentiam definit ULPIANUS *L. 10. π. §. 2. de juſtitia & jure*, quod ſit divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia; quæ tamen, ſi diſtincte evolvatur, noſtræ nequaquam adverſatur, ut potius cum ea conſentiat. Notæ, quæ definitionem jurisprudentiæ, ab Ulpiano allatam, ingrediuntur, ſunt *1mo*, quod ſi notitia rerum divinarum atque humanarum; per res divinas atque humanas intelligit JCtus, quidquid quovis modo divina vel humana officia reſpicit, ſive in ſtatu naturali, ſive in ſtatu civili, aut eccleſiæ vivat homo; ita ut nec facta, nec caſus ſpeciales excipiendi ſint, in quibus vel divina vel humana officia verſantur. Notitiam itaque ſupponit ULPIANUS caſuum tam generalium, quam ſpecialium, cum circumſtantiis, in quibus vel Dei, vel hominum, atque ſocietatis civilis ratio habenda eſt. Porro ait ULPIANUS, quod ſit juſti atque injuſti ſcientia. Scientia juſti atque injuſti definitur, quod ſit habitus demonſtrandi, qua ratione actiones liberæ ſint inſtituendæ, ut cuique ſuum tribuatur, nemo vero lædatur. Quod cum fiat, ſi ſecundum leges vivamus: patet ſcientiam juſti atque injuſti non eſſe absque legum ſcientia. Supponit itaque ULPIA-

NUS in jurisprudente *1mo*, legum scientiam; *2do*, notitiam factorum, sive casuum specialium, circa quos leges determinant, quid justum vel injustum sit. Sed positis facti notitia & legis scientia applicatio legis prona est (§. XLVII. & XLVIII.): per sequelam adeo necessariam in definitione jurisprudentiæ Ulpiana applicatio legis continetur. Nimirum in definitione ULPIANUS ponit determinantia: patet autem positis determinantibus necessario poni determinatum, cujus sunt ratio sufficiens. Porro, qui leges scit, & facta novit, citra difficultatem leges in dato casu applicat (§. XLVIII. & XLIX.); consequenter habitu pollet leges applicandi. Quapropter cum ad jurisprudentiam, scientiam legum & notitiam facti requirat ULPIANUS: in jurisprudente habitum applicandi leges ad facta eum supponere evidens est.

§. LII. Ideo leges ad facta, sive casus obvenientes, applicari queunt, quod eædem in facto occurrant determinationes, quæ legem ingrediuntur. Quapropter, ut leges applicari possint, determinationes legum evolvendæ; sive, quod idem est, leges interpretandæ sunt: ut adeo *interpretari* leges nil aliud sit, quam determinationes legum distincte evolvere. *Interpretatio* vero legum erit distincta *evolutio* determinationum, leges ingredientium, & circumstantiarum, sub quibus obligant.

Cum determinationes & circumstantiæ, sub quibus lex obligat, mentem legis absolvant: patet eum recte interpretari leges, qui mentem genuinam legum assequitur.

Ex. g. Instr. Pac. art. V. §. 52. sancitur in causis religionis; in omnibus negotiis, ubi status imp. tanquam unum corpus considerari nequeunt; ubi Catholici & Augustanæ confessionis status in duas partes eunt, solam amicabilem compositionem lites dirimere, non attenta votorum pluralitate. Legem hanc imperii publicam interpretaturus *1mo* distincte evolvit, quænam sint causæ religionem concernentes, easque, de quibus certo constat tales esse, separat ab iis, de quibus dubium est, an inter causas religionis sint referendæ; nec ante legalem eorum decisionem, penes

quos

quos in imp. Rom. Germanico eſt leges publicas ferendi poteſtas, judicium deproperat: *2do*, ex notione corporis politici, & ſtatu imperii R. Germanici determinat negotia, in quibus ſtatus imperii tanquam unum corpus conſiderari nequeunt; nimirum definit corpus politicum, quod ſit ſocietas plurium ſtatuum, communis ſalutis ac tranquillitatis promovendæ gratia inita; exinde, & ex imp. R. Germanici indole, ſtatu, & juribus colligit, ſtatus imperii conſiderari ut unum corpus, quatenus communi conſilio, quæ ſalutem ac tranquillitatem imperii tangunt, expediunt; cum vero ſuperioritate territoriali gaudeant, & majeſtatica jura in territoriis ſuis exerceant ſtatus imp.; eatenus ut corpus unum eos nemo cum ratione habebit: *3tio*, notionem ſibi format, quid ſit ire in partes, atque ex mente ſummorum paciſcentium, & fine inſtrumenti pacis eruit, an indiſtincte valeat diſpoſitio, in quacunque cauſa in partes eant, an vero ad caſus altioris indaginis, & ubi non de juribus ſtatuum particularium, ſed collegiorum agitur, reſtringenda ſit; ex articulo VII. ejusdem J. P. recolit, ſic dictos reformatæ religioni addictos, quoad omnia jura, privilegia, & prærogativas in cauſa religionis cum Auguſtanæ confeſſioni addictis eſſe parificatos; hinc ea, quæ hoc §. 52. ſtatuuntur, reſpectu ſic dictorum reformatorum æqualem vim legis habere arguit. Quodſi, quæ hic indigitavimus, prout decet, exequare: dubium non eſt, quin legem hanc publicam recte interpreteris; cum omnium determinationum, quæ eam ingrediuntur, notiones diſtinctas evolvas.

§. LIII. In iis, quæ de interpretatione & applicatione legum ſuperius dicta fuerunt, easdem in facto & lege determinationes ſuppoſuimus, nec alias in lege admiſimus, quam quas ipſe legislator verbis expreſſit; aut per ea, quæ in lege poſita ſunt, neceſſario determinantur: ut proinde hactenus dicta intelligenda ſint de *interpretatione ſimplici*; quam definire licet, quod ſit *diſtincta evolutio determinationum, in lege expreſſarum, aut earum, quæ per neceſſariam ſequelam inſunt.* Coincidit interpretatio ſimplex cum cognitione legis diſtincta: uti ex iis, quæ de notione cognitionis legum philoſophicæ (§. XXXI. ſeq.) dicta ſunt, liquent.

Obi-

Obiter hic nota, dum in *Instr. Pac. art. 8. §. gaudeant*, statuum imperii consensus requiritur, quando leges imperii interpretandæ sunt, minime sermonem esse de interpretatione declarativa, sive simplici, quod per se clarum est; cum applicare leges absque interpretatione, qualem hic intelligimus, absurdum sit.

§. LIV. In juris naturalis doctrina demonstramus, nullam posse concipi actionem, neque casum in vita humana obvium, cui naturalis sua non constet æquitas, vel iniquitas. Sed cum in civitate præsertim, ubi jus suum cuique tribuendum, multæ prostent rationes, cur æquitatis, & rationum naturalium non omni tempore ratio possit haberi; consequenter leges civiles sub generalibus, determinatis tamen circumstantiis, concipiendæ, atque ad certos casus sint restringendæ, ne & litium infinitus esset numerus, & difficilis justitiæ administratio: non evenire sane non potuit, quin in pluribus casibus, ubi legibus præcise standum foret, quibus jus erat tribuendum, insigniter læderentur; sicque jus in summam injuriam degeneraret. Quapropter si casus se offerat, in quo vel plures, vel pauciores, quam in lege determinationes & circumstantiæ occurrant; consequenter, si stricto jure procederetur, ex lege decidi non posset, quem tamen decidendum ratio æquitatis postulat: lex erit extendenda, vel restringenda; h. e. ex æquitate supponendum est, in lege determinationes plures vel pauciores contineri, quam quidem eidem insunt, ut æqualitas determinationum legis & facti obtineatur, atque sic ei applicabilis fiat lex. (§. LIII.)

Supponimus nimirum in interpretatione tum extensiva, tum restrictiva, legem, non habita ratione, quod ad casus sub ea non contentos fuerit applicata, manere eandem; nec desunt rationes a societate civili desumptæ, quæ id suadeant; quas quisque prudens facile eruet. Periculosa uti omnis mutatio in republica, ita legum periculosissima. Conservandæ igitur leges

civi-

vitatis in robore ſuo, quamdiu ſine ſummo diſpendio fieri id poſſit; hinc interpretandæ potius, quam abrogandæ, aut mutandæ. Deinde ſi ob particulares quasque in facto circumſtantias nova lex ferenda eſſet; quot quæſo legum voluminibus obruemur? Tacite itaque vel expreſſe imperantes collegiis conſilii ſecretioris, aut, qui in provinciis jura dicunt, id indulgent, ut, cum leges novas ferendi poteſtate deſtituantur, leges interpretentur; ut ULPIANI verba *L. 13. π. de legibus* clare teſtantur: ubi, quoties lege aliquid introductum eſt, cetera, quæ ad eandem utilitatem tendunt, vel interpretatione, vel jurisdictione, ſuppleri jubet; ut adeo jurisdictionem ab interpretatione diſtinguat. Legislatoribus & JCtis Romanis ſancta adeo erat legum firmitas, ut, pro integritate earundem conſervanda, ad fictiones ſæpe recurrerent, ubi ob prægnantes æquitatis rationes a lege fuerat recedendum: ut in poſtliminio reverſis novimus fuiſſe obſervatum. Cum enim ex principiis J. R. ſervitus eſſet J. G. non poterant illi non pro ſervis haberi, qui ab hoſtibus capti fuiſſent. Enimvero durum videbatur, civem Romanum, ab hoſtibus captum, poſtliminio reverſum non jura civitatis recuperare. Quapropter ut & ſervitutis jura intacta manerent, & civibus reverſis conſuleretur, ſupponebant eos ſemper in civitate fuiſſe. Indignum adeo JCto errorem erravit G. Ger. TITIUS, dum in diſſert. *de inconcinnitate & inutilitate fictionum Romanarum* indiſtincte omnes omnino fictiones in jure explodit. Non latuit JCtos Rom. æquitas naturalis in caſibus fictionum obvia; & perinde ipſis fuiſſet ex illa æquitatis ratione, quam Titius inculcat, novam legem ferre. Verum cum a lege recedere piaculo ſimile fuerit habitum; nec tamen injuſtos eſſe legislatores deceret: utrique conſuluerunt per fictiones veri vicarias, quo ipſo eundem finem conſecuti ſunt, quem nos ab interpretatione extenſiva vel reſtrictiva expectandum eſſe innuimus. Sed de his ex profeſſo alio tempore.

§. LV. Quodſi factum plures determinationes contineat, quam lex, ita ut latius pateat lege; nec ſtricta interpretatione ex ea dijudicari poſſit: ſupponis id, quod plus eſt in facto, in lege contineri, ut exacte ad caſum præſentem quadret; h. e. *extendis legem*. Eſt adeo legem inter-

pretari *extenſive*, plures in lege determinationes ſupponere, quam in eadem ſunt, ut caſui, ſub iisdem dato, applicari poſſit. Si vero lex latius pateat facto; ſive, quod perinde eſt, plures in lege determinationes occurrant, quam quidem caſus offert, ita ut itidem ei applicari nequeat: ſupponis quod minus eſt in facto, non eſſe in lege; h. e. reſtringis legem. Eſt proinde *reſtringere legem*, ſive interpretari legem reſtrictive, pauciores in lege determinationes ſupponere, quam in ea ſunt, ut ad caſum ſub iis datum quadret.

Ponamus e. g. lege ſancire Principem, ut bonis, quæ in republica quisque poſſidet, ſive mobilia ſint, ſive immobilia, ſive in numerata pecunia conſiſtant, proportionalia cives onera ferant. Ex lege pecuniæ, in cambiis extraneis depoſitæ, ſub cenſum & æſtimationem non cadent; cum ad ea bona, quæ quisque in republica poſſidet, lex reſtricta ſit, ea vero, quæ alibi poſſidentur, in cenſum non veniant: quis enim ſubdito ex. g. epiſcopatus Herbipolenſis injunget, ut ratione bonorum immobilium, quæ in Auſtria poſſidet, ad onera publica epiſcopatus Herbipolenſis contribuat? Verum ſi contingat, cives maxime opulentos pecunias ſuas, in republica partas, in cambiis extraneis deponere, ſicque oneribus publicis ſe ſubtrahere cogitent: alia plane & diverſa eſt ratio bonorum, quæ extra rempublicam poſſidentur; & utique æquitati convenit, ut inter bona, oneribus publicis obnoxia, reputentur pecuniæ, ſive, ut vulgo dicunt, capitalia, in cambiis extraneis depoſita. Cum vero hæc determinatio lege non contineatur: quamdiu nova non fertur, ſupponitur in lege, eadem includi; h. e. lex ampliatur ſive extenditur ad caſum in ea non expreſſum.

Similiter pone *Titium*, cui tenuis ſupellex, & numeroſa præterea familia alenda eſt, in contractu emtionis venditionis a *Sejo* graviter quidem, non tamen ultra dimidium, læſum eſſe: judex, legi civili inhærens, actionem *Titio* contra *Sejum* negabit; eo quod determinationes, quæ *legem 2. C. de reſcind. vend.* ingrediuntur, in dato caſu non exiſtant. At vero ſtatum Titii, resque ejus anguſtas domi, & damnum, quod inde ſentit, perpendens,

dens, legem dictam ad caſum præſentem applicare vix hæſitabit: ſupponet itaque, non plures, ſed easdem eſſe determinationes in lege, quæ in dato caſu deprehenduntur.

§. LVI. Dubium moveri hic poterat contra ea, quæ de fundamento interpretationis tum extenſivæ, tum reſtrictivæ, attulimus: nimirum, cum legem extendimus ad caſum latius patentem, ſupponimus in lege id, quod plus eſt in facto, ut ei poſſit applicari. Similiter, dum reſtringimus legem, ſupponimus id, quod minus eſt in facto, nec in lege eſſe, ut facto congruat. Enimvero nonne in caſu priori pauciores, in poſteriori plures circumſtantias in facto licet ſupponere, ut ſic idem conſenſus facti cum lege obtineatur, quem antea ex principiis noſtris deduximus? ut proinde diverſo reſpectu utraque interpretatio & *extenſiva* & *reſtrictiva* dici poſſit. Verum, licet eorum, quæ hic objiciuntur, veritatem non diffiteamur; & perinde ſit, quacunque ratione conſenſum facti cum lege obtineas, ſi novam ferre nolis: communi tamen, & receptiori loquendi uſu, non facta, ſed leges extendi vel reſtringi dicuntur; cui nos inhærere maluimus, quam novum effingere. Deinde cum interpretatio legum extenſiva & reſtrictiva ſub legislatoriam poteſtatem cadat; leges vero, non facta, in poteſtate ſint legislatoris: magis propria eſt locutio, dum leges, quam cum facta extendi, vel reſtringi dicimus.

§. LVII. Dum lex extenditur vel reſtringitur, a mente legis receditur. (§. XXVI. & LV.) Enimvero cum mens legis declaret, quæ ſint determinationes legis, & ſub quibus circumſtantiis legislator eam obligare voluerit: (§. eodem) patet non obligare legem ſub circumſtantiis, ad quas vel extenditur, vel reſtringitur; niſi expreſſus vel tacitus legislatoris conſenſus accedat, qui, magiſtratibus ſubalternis

id indulgeat. Quapropter summi magistratus est extendere vel restringere leges.

Sermo nobis est de interpretatione legali, non doctrinali, quæ cuique jurisprudenti relinquitur. In foris Germaniæ interpretatio passim tribunalibus & collegiis jurisprudentum, ex tacito summorum magistratuum indultu, & antiquis Germanorum moribus, quibus æquitatis ratio, quam legum integritas potior habita fuit, concessa intelligitur. Aliud tamen in summis imperii tribunalibus, judicio intellige imperii aulico & camerali, obtinet, cujus illustribus membris leges imperii publicas applicare quidem, extendere vero, vel restringere ad casus, sub lege non contentos, minime conceditur; utpote quod *art. VIII. Inst. P. O. §. gaudeant*, verbis: *ubi leges ferendæ vel interpretandæ. Item. capit. CAROLI VI. art. II. §.* Desgleichen auch andere des heil. Römischen Reichs ꝛc. verbis: Viel weniger neue Ordnungen und Gesätze: legislatoriæ potestati comitiali reservatum est. An idem intelligendum sit de interpretatione identica & analogica, infra dispiciemus.

§. LVIII. Inquirendum nunc erat in rationes speciales, ex quibus leges extendendæ, vel restringendæ veniunt, atque inde regulæ, in interpretatione legum observandæ, eruendæ erant. Verum, cum id paucis fieri non possit; insuper regulæ speciales jurisprudentiæ, tum naturalis, tum civilis, perfectam doctrinam supponant: eas studio hic præterimus. Videatur interim H. Grotius *de J. B. & P. L.* 2. *C.* 16. In compendio præcipuas exhibet Puffendorffius *de offic. hominis & civis L.* 1. *C.* 17. quarum tamen nonnullas non immerito in notis perstrinxit Barbayracus, JCtus Groningensis magni nominis.

§. LIX. Similia sunt, quæ eodem modo determinantur; seu quæ eadem habent determinantia. Facta adeo seu casus similes erunt, si determinationes & circumstantiæ, quæ in uno occurrunt, etiam in altero deprehendantur.

Qua-

Quapropter ſi legislator legem ſanciat ſub determinationibus & circumſtantiis illis obligantem; occaſionaliter vero ex rationibus hiſtoricis & extrinſecis determinationes alias in lege expreſſerit, quæ ad tationes eſſentiales, & mentem legis non pertinent; conſequenter in applicatione legis inſuper haberi poſſunt: lex minus late patere videbitur, quam re ipſa patet. Quamobrem ubi caſus ſeſe obtulerit, easdem determinationes intrinſecas & eſſentiales cum priori communes habens: ex eo, quod in primo caſu determinationes illæ fuerint ratio ſufficiens legis, in poſteriori itidem easdem ſufficere concludimus; cum, ubi eadem ſunt determinantia, eadem eſſe determinata liqueat. Quamobrem ad caſum ultimum propter îdentitatem rationum legis legem eandem applicamus.

Pone ex. g. tempore peſtis, ubi teſtium, ad ſolemne teſtamentum requiſitorum, numerus haberi nequit, lege ſancire Principem, duos teſtes ſufficere ad teſtamentum validum conficiendum; rationes intrinſecas & eſſentiales, quæ moverunt legislatorem, ut teſtium numerum, in teſtamento ſolemni alioquin requiſitorum, reſtringeret, alias non fuiſſe, quam difficultatem habendi numerum teſtium ordinarium, & ut teſtandi facultas nemini absque ratione aufferretur; extrinſecas, hiſtoricas, & accidentales legis rationes fuiſſe contagionem, & teſtamenta forſan nonnulla privatorum, tempore peſtis condita, quæ ex hoc capite pro nullis habita fuerunt. Pone jam moribundum in via, aut navi, teſtamentum condere, adhibitis duobus ſaltem teſtibus, quos ſolos tum comites habebat. Cum eædem pro præſenti caſu rationes intrinſecæ & eſſentiales, nempe difficultas habendi numerum teſtium ordinarium, & quod nemini facultas teſtandi absque ratione ſit adimenda, itinera tamen ſæpiſſime negotiorum tam publicorum quam privatorum cauſa ſuſcipienda ſint, militent; accidentales vero ab itinere, negotio exequendo, via, vel navi deſumtæ, hic attendi non mereantur: legem eandem, quæ de teſtamento, tempore peſtis condito, lata fuit, ad teſtamentum, a moribundo in via, vel navi, confectum, applicamus. In lege

posuimus numerum testium quemcunque; jure Romano nonnisi consociatio remittitur; moribus vero duos saltem in casibus suppositis requiri testatur MEVIUS *ad J. Lubecens. p. 2. tit. 1. a. 2. n. 59.* STRUV. *Jurisprud. pract. forens. L. 2. T. 16. §. 11.* Non adeo proprie in hac interpretatione extenditur lex; sed eadem manet in omnibus casibus, quibus propter mentem eandem applicatur: determinationes namque accidentales, uti diximus, insuper habentur.

§. LX. Quodsi determinationes intrinsecæ & essentiales legis omnes omnino coincidant cum iis, quæ in dato casu occurrunt: erunt casus legis, & qui datur, omnino similes; consequenter determinationes utrimque eædem. Interpretationem, quæ instituitur propter rationes easdem casus, in lege expressi, cum casu dato, *identicam* vocare lubet.

Exemplum dedimus §. præc. Supponit doctrina præsens de interpretatione legum ex similitudine rationum legis theoriam exactam, de determinato & indeterminato, de identitate & similitudine, a qua lucem mutuantur, quæ de similitudine legum traduntur. Denuo hic apparet usus, quem in disciplinis, methodo demonstrativa tradendis, præbent notiones directrices; præsertim ubi veritates reconditæ in apricum producendæ, & notiones confusæ ad distinctas reducendæ sunt.

§. LXI. In interpretatione identica eædem in utroque casu sunt determinationes legis intrinsecæ & essentiales (LX.); consequenter eadem mens legis (§. XXVI.). Quapropter, cum mens legis declaret, sub quibus circumstantiis lex obliget: patet ejus esse interpretari leges ex identitate rationum, cujus est applicare leges: siquidem rationum identitatem demonstrare valeat.

Non igitur hoc casu nova sanctione opus, sed judicis arbitrio hæc interpretatio relinquenda est; quod tamen in plurimis rebus publi-

publicis eo limitatur, ut ſummo imperanti neceſſario de eo referendum ſit: niſi urgens neceſſitas aliud jubeat; quo caſu ipſis imp. R. G. ſummis tribunalibus facultatem, legem ex identitate rationum interpretandi, vix negaverim. Pone enim ab Imperatore R. G. bello a diverſis Europæ Potentiis v. c. Rege G. & R. D. oppreſſo, lege publica ſtatus atque ſubditos imperii, qui ſub Rege G. merentur, avocari; arma vero contra patriam ſumentium bona fiſco applicanda juberi. Cum evidens ſit, easdem hic militare rationes ex parte eorum, qui ſub R. D. quem hoſtem patriæ ſupponimus, arma gerunt: eandem quoque, citra novam ſanctionem imperii, legem publicam iis applicandi, avocatorias promulgandi, renitentium bona fiſco adjudicandi facultas, cur ſummis imperii tribunalibus negari debeat, ego non video. A legibus imperii publicis ſaltem non abhorrent, quæ hic aſſerimus; quippe quæ de iis caſibus loquuntur, ubi interpretatio novam legem argueret, cujus contrarium in interpretatione identica evicimus.

§. LXII. Applicatur ſubinde lex, ubi aliquæ ſaltem determinationes eſſentiales eædem ſunt, cum iis, quæ caſu ſuppoſito obtinent: (quam ſimilitudinem legis & facti partialem dicimus) eſt igitur ſimilitudo legis & facti partialis *fundamentum interpretationis analogicæ*; quam definio, quod ſit actus, quo lex ad factum applicatur propter aliquas ſaltem determinationes legis eſſentiales, quas communes habent.

Cum in interpretatione analogica a mente legis recedatur (§. XXVI.); a mente vero legum in applicatione recedere citra legislatoris voluntatem non liceat: patet leges ex interpretatione analogica applicare integrum non eſſe niſi iis, queis leges ferendi poteſtas eſt; aut quibus expreſſe vel tacite id conceſſum intelligitur.

§. LXIII. Per univerſam jurisprudentiam ſe diffundit utiliſſima hæc doctrina de interpretatione legum, & tanta ſe exerit ejus in omnibus partibus juris utilitas, ut peculiare ſtudium mereatur; ſiquidem plus quam legulejum, aut rabulam in foro agere velis. Plura de interpretatione trademus,

mus in jurisprudentia civili elementari; quæ propria hujus doctrinæ sedes est, principiis ex veriori Logica, Philosophia prima & politica accersitis. De usuali interpretatione dicere nil attinet, cum speciem a reliquis diversam non constituat; sed tantum denotet interpretationem, qualiscunque fuerit, moribus & usu forensi jam receptam esse.

§. LXIV. Jurisprudens habitu pollet, leges sapienter latas ad facta applicandi, & removendi, quidquid applicationem legum impedire potest. Quaprópter cum nihil magis impediat applicationem legum ad facta, quam diversæ determinationes, quæ tum in factis, tum in legibus occurrunt; hæc vero obstacula per genuinam interpretationem simplicem (§. LIII.), restrictivam, vel extensivam, (§ LIV. & LV.), identicam, vel analogicam (§. LXI. & LXII.) tollantur: patet jurisprudentis esse interpretari leges.

Cum vero interpretari leges nequeat, nisi qui rationes earundem perspectas habet (§. LIII.): rationes legum inquirendas esse de novo confirmatur, ut adeo jurisprudentis nomen inane gerat, qui *in L. 10. π. de legibus* ignorantiæ suæ asylum quærit.

§. LXV. De mediis nunc, atque impedimentis cognitionis juris solidæ atque pragmaticæ agendum erat; ut appareret, qua ratione ad praxin transferenda forent, quæ de cognitione juris hucusque inculcavimus. Enimvero, cum media præcipue a methodo docendi, ordine, atque principiis juris dependeant; impedimenta vero, tum ab ipsis docentibus, tum discentibus proficiscantur: præsens tractatio tum demum cum fructu institui poterit, ubi partes jurisprudentiæ, earum ordinem, atque principia solide adstruxerimus, & methodum docendi jurisprudentiam ex genuinis methodi regulis derivaverimus. Ex notione partium juris, quas, si Deo placet, dabimus distinctas, elucef-

elucefcet, quodnam cuivis pro genere vitæ, quod olim amplexurus eſt, ſtudium juris præcipuum haberi debeat; ut officio, tum boni viri, tum boni civis, ex aſſe ſatisfaciat. Non enim inter minimos ſæculi noſtri nævos referendum eſt, quod vana illa perſuaſio animis hæreat, quaſi qui herculeo labore ingens juris Romani volumen memoriæ mandaverunt; caſuum atque quæſtiuncularum, eo pertinentium, myriadibus ſuffarcinati, expediendis maxime arduis in vita civili negotiis ſufficerent; quæ de jure naturæ, jure gentium, jure publico, tam univerſali, quam particulari, jure œconomico, ſeu camerali, noſtro ſæculo in Academiis addiſcenda inculcantur, vana eſſe novaturientium Doctorum deliramenta, queis in vita civili facile carere quis poſſit, non minus inepte, quam præfracte aſſerentes. Sed dabunt, ſpero, veniam, ſi contrarium ego ſentiam. Ita enim in animum induxi meum, non omnem prudentiæ civilis partem ſtudio juris privati contineri; eſſe & alia, ad civitatem bene regendam non minus utilia, quam neceſſaria; quæ proinde recte in Academiis tradenda præcipiuntur; ut ſic principiis ſaltem, & notionibus rerum agendarum inſtructi ad negotia publica Principis & reipublicæ ſeſe applicent: cujus rei oculatam fidem facient, quæ capite ſequenti, quod aggredimur, dicturi ſumus.



CAPUT II.

DE PARTIBUS JURIS, EARUM PRINCIPIIS, ET ORDINE.

§. I. PArtes juris determinaturi notionem juris in genere evolvendam primum nobis ſumpſimus; quo palam faceremus, quænam, eſſentialibus, notionem generis ingredientibus, manentibus iisdem, diverſo modo determinari poſſent, atque diverſas ſic nanciſceremur juris ſpecies. Jus hic ſumimus pro complexu legum, per complexum indigitantes totam aliquam ſeriem legum, ſub genere, vel ſpecie eadem contentarum; per leges vero intelligentes normas, ſeu regulas, juxta quas actiones liberas inſtituere obligamur. Apparet adeo, non de juribus in individuo, ſed de eorumdem generibus atque ſpeciebus, quæ totam quandam diſciplinam abſolvunt, conſtituendis, nos hic eſſe ſolicitos: atque ideo in determinatione eſſentiali, quod ſit *complexus legum*, nihil occurrere liquet, quod mutari, vel alio modo determinari poſſit; cum omnes partes juris id comune habeant, quod ſunt *complexus legum*. Recurrendum itaque erit ad notionem legis alteram, quæ notionem juris in genere ingreditur, determinationem inveſtigaturis, utrum in ea ulterius quidpiam determinandum occurrat, ex quibus ſpecies juris derivare liceat. Notæ, quæ definitionem legis ingrediuntur, ſunt 1. quod ſit norma ſive regula, 2. quod dirigat actiones liberas; 3. quod obliget, ſive quod motivum volitionis, vel nolitionis cum actione connexum ſit. Quod primum attinet, leges ſine exceptione prædicatum hocce commune habent; nec ſalva legis eſſentia alias determinationes admittit. Quapropter in notione normæ, ſive regulæ, fruſt-

ra

ra legum aliqua differentia quæritur. Aliud eſt de actionibus liberis, quas dirigunt, atque de obligatione, ſine qua lex nulla neque eſt, neque intelligi poteſt. Obligatio, ſcilicet *activa* legislatori propria, de qua nobis ſermo eſt, in genere dicit connexionem motivi cum actione libera. (§. XXI.) Quare cum legem neceſſario ingrediatur: eadem erit cauſa efficiens obligationis, quæ legis. In notione obligationis cauſa efficiens, ſeu illius, per quod intelligitur eam eſſe conſtitutam, determinatum non eſt, ſed inter ea referri debet, quæ ulterius determinanda ſunt: quo ipſo diverſæ naſcuntur obligationum ſpecies, quæ notionem generis communem habent, determinationibus vero, a cauſis earum efficientibus petitis, differunt. Quapropter cum obligatio vel per ipſas rerum eſſentias, & naturam entis rationalis intelligatur; nec præterea aliud ſupponat, ut voluntatem liberam moraliter determinet ad agendum, vel non agendum; vel ab ente rationali, ſufficientibus viribus, id, quod lege jubet, exequendi inſtructo, conſtituatur, nec citra ejusdem voluntatem intelligatur: duæ ſeſe produnt obligationis activæ ſpecies; altera, quæ per ipſas rerum eſſentias, & naturam entis rationalis conſtituitur, atque ideo *intrinſeca* & *naturalis* dicitur; altera, quæ ex voluntate legislatoris actioni ſuperaccedit, nec per eſſentiam ejus intelligitur, atque *extrinſeca* & *poſitiva* a nobis ſalutatur. Quamobrem, cum obligatio inter eſſentialia legis locum obtineat: pro diverſa obligationis natura diverſæ enaſcentur legum ſpecies; quarum complexus juris ſpecies, ſive partes diverſas pariet, in ſpecies, ſive partes ſubalternas, ulterius dividendas, donec ad individua, ſive omnimode determinata pervenias. Leges enim tam naturales, quam poſitivæ, certum entis rationalis, & in ſpecie hominis, ſtatum ſupponunt, cui leges ſunt conformandæ. Quodſi itaque diverſos hominis ſtatus naturales, morales, & civiles, atque relatio-

lationes tum ad Creatorem ſuum, tum ad proximum determines: mira ſeſe prodet legum tum naturalium, tum poſitivarum, varietas, ut non ſine ſumma voluptate univerſi hujus ſapientiſſimam oeconomiam uno quaſi obtutu contemplari liceat.

Hæcque eſt illa via, qua utemur in determinandis partibus juris; nec dubitamus, quin, methodi amantes inſtitutum noſtrum probaturi ſint. Etenim nihil eſt, quod progreſſum in ſcientiis magis promoveat, quam ſi, quæ in iis pertractanda ſunt, in genera & ſpecies apte diſtribuere noveris. Supponimus hic exactam de ente ſingulari & univerſali ſcientiam, qua deſtituti fruſtra hunc laborem tentant. Vid. *perill.* L. B. de WOLFF, *Phil. prim. P. 1. S. 3. C. 2.*

§. II. Indicavimus §. *præced.* fontem, ex quo diverſa juris genera, & ſpecies derivare liceat; obligationem nimirum naturalem & poſitivam, cum diverſis ſtatibus, circa quos tum leges naturales, tum poſitivæ verſantur. Non igitur præter obligationem naturalem alio fundamento opus eſt, ut juris naturalis notionem in nobis efformemus.

§. III. Etenim ex obligatione naturali, quæ oriuntur leges, *leges naturales*, harumque complexus jus naturæ conſtituunt. Definiri proinde poterit *jus naturæ*, quod ſit complexus legum, juxta quas ipſa natura actiones noſtras inſtituere nos obligat. Non hic definimus jus naturæ, quatenus pro facultate morali, in legibus naturæ fundata, accipitur (§. IX. C. 1.); ſed partem illam jurisprudentiæ univerſalis, a qua ceteras omnes principia ſua & fundamenta mutuari ex ſequentibus eluceſcet.

§. IV. In notione juris naturalis ſtatus, quem leges naturæ reſpiciunt, & ad cujus perfectionem tendunt, nullam

feci-

fecimus mentionem. Quodſi igitur ſtatum hominis, vel entis rationalis, eique conformes leges naturæ determines: citra difficultatem partes juris naturalis in apricum produces. In ſtatu naturali homo conſiderari poteſt absque relatione vel ad ſuum Creatorem, vel ad alios, quoad id ſolum, quod eſſentiam ejus atque naturam abſolvit. Quapropter, cum per ſuam eſſentiam & naturam homo, citra reſpectum ad Creatorem, vel ad alios, ad certa officia obligatus ſit: fundamentum ſufficiens habemus, ex quo jus naturæ ethicum derivemus.

Multum intereſt in ſcientiis practicis ſtatus diverſos hominis probe ſecernere; cum nulla fere ſint jura, nulla officia, quæ non certum & determinatum ſtatum præſupponant, ex quo demonſtrari debeant.

§. V. Complexum legum naturalium, quæ actiones hominis in ſtatu naturali, citra reſpectum ad Creatorem, vel ad alios, determinant, *jus naturæ ethicum* vocare lubet.

Latius accipiunt juris naturalis ethici vocabulum auctores; qui tamen inter ſe non conveniunt. Plerumque Philoſophiam practicam univerſalem, officia honeſti, juſti, atque decori ex mente Doctorum complectitur. Ipſe *perill.* WOLFFIUS ſub jure naturali ethico, præter officia erga ſe, officia erga Deum, & alios, comprehendit. Verum, cum in re mihi cum ipſo conveniat, in verbis, quod ſcio, erit facilis.

§. VI. In jure naturali ethico homo citra reſpectum ad alios conſideratur. Objectum igitur juris naturalis ethici conſtituunt leges, & illa officia, quæ ex ipſa hominis natura & eſſentia immediate derivari poſſunt: quorſum referimus 1. officia hominis erga ſe ipſum, quæ potiſſimum inde derivantur, quod ad perfectiones, tum animæ, tum corporis, homo per naturam ſuam obligetur. Animæ perfectiones

in duas classes commode dispescuntur, facultatis scilicet cognoscitivæ & appetitivæ, utriusque inferioris & superioris. Hinc officia erga intellectum, cujus perfectiones virtutes intellectuales dicunt Philosophi. Quod vero earum numerum ad quinquenarium cum Aristotele plerique restringunt, omni caret fundamento. Quid enim obstat, quo minus præter intelligentiam, sapientiam, prudentiam, scientiam & artem: acumen, ingenium, profunditas, ars inveniendi &c. inter virtutes intellectuales referantur? 2. Officia intuitu sensuum, memoriæ, & reminiscentiæ. Cum tamen hæ facultates animæ ex parte a corpore organico, & structura cerebri dependeant: mixta quodammodo dici possunt. 3. Officia erga voluntatem liberam, cujus perfectiones virtutes morales audiunt, ac infinitæ numero constitui possunt, pro officiorum varietate. 4. Officia intuitu passionum & affectuum. Officia hominis, quæ ex natura corporis derivantur, in tres denuo abeunt classes: ad 1. refero officia ratione victus & alimentorum; ad 2. officia circa vestitum; ad 3. officia circa habitationem commodam. Separatam quandam classem officiorum hominis, in statu naturali considerati, constituunt, quæ intuitu status externi ipsum natura docet: quorsum refero. I. Officia circa bona fortunæ 1. acquirenda, 2. conservanda, 3. eroganda. II. Officia circa honorem, infamiam &c. III. Officia hominis in fortuna prospera & adversa; quæ tamen, ut honoris & infamiæ naturam, & media patientiæ in fortuna adversa consideranti patet, citra societatem saltem humanam & officia erga Deum vix intelliguntur.

§. VII. Homo, dum in rationem sufficientem existentiæ hujus universi, (cujus contingentiam ex Cosmologia demonstratam supponimus) consequenter & sui ipsius inquirit, rationem ultimam & sufficientem existentiæ, tum uni-

univerſi, tum ſui ipſius, in ente a ſe, ſive Deo, deprehendit. Quare cum ex hoc fundamento, ſolo rationis lumine, pleræque divinæ eſſentiæ perfectiones infinitæ in Theologia naturali demonſtrentur: ex divinarum perfectionum contemplatione naturaliter quædam reſultant officia homini erga Creatorem ſuum incumbentia, atque obſervanda; quæ, cum absque revelatione homini innoteſcant, officiorum erga Deum, ſive juris naturæ divini fundamentum conſtituunt.

Dixi, quod pleræque divinæ eſſentiæ perfectiones ex ſolo rationis lumine cognoſcantur; dantur enim & aliæ perfectiones Dei, quas ſolo rationis lumine non attingimus, ſed ex ſpeciali revelatione homini inſinuantur: ut de myſteriis fidei, & opere ſalvationis conſtat.

§. VIII. Quapropter definiri poterit *jus naturæ divinum, ſive officia erga Deum*, quod ſint complexus legum naturalium, quæ homini in ſtatu naturali, citra lumen revelatum, intuitu divinarum perfectionum incumbentia officia manifeſtant.

Cum in eccleſia, non vero in ſtatu naturali, vivamus: ſupervacaneum videri poterat de officiis erga Deum in ſtatu naturali diſſerere. Verum, cum revelatio naturam officiorum erga Deum, ex lumine etiam rationis innoteſcentium, non tollat, ſed confirmet partim, partim nova ſuperaddat: ubi de jure naturæ perfectam doctrinam tradere velis, nihil eorum prætermittendum erit, quorum in natura atque eſſentia hominis ratio deprehenditur.

§. IX. Conſiſtunt vero officia erga Deum in ſtatu naturali in actionibus, quarum motiva a perfectionibus divinis deſumuntur, quæ proinde cultum divinum naturalem abſolvunt. Enimvero, cum actiones aliæ ſint internæ,

aliæ

aliæ externæ, quæ per ſigna externa ſe produnt: cultus naturalis alius erit internus, alius externus. Ad cultum internum referimus 1. honorem Dei, qui conſiſtit in judicio de magnitudine perfectionum divinarum: 2. timorem filialem, qui circumſpecta ſollicitudine, ne quidpiam committamus, quod divinæ eſſentiæ repugnet, abſolvitur: 3. amorem Dei, qui ex voluptate, quam ex contemplatione perfectionum divinarum haurimus, naſcitur: 4. gratitudinem & invocationem Dei, quæ ex conſideratione bonitatis infinitæ & benefactorum erga homines oritur: 5. fiduciam in Deo, certitudinis aſſiſtentiæ, gratiæ, & auxilii divini fructum: 6. acquieſcentiam in voluntate divina firmæ perſuaſionis, divinam ſapientiam in regimine univerſi optime cuncta diſpoſuiſſe, neceſſariam ſequelam &c. Ad cultum externum ſpectant actiones externæ, quarum motiva ſunt perfectiones divinæ: huc refer preces, cantus, cærimonias, &c.

§. X. Enimvero ea eſt hominis conditio & natura, ut, ſiquidem officiis ſuis erga Deum, tum erga ſe ipſum ex aſſe ſatisfacere velit, non ſegregem vel ſolitariam, ſed ſociam cum aliis vitam agere debeat: quin & per ipſam naturam hominem in diverſis ſocietatibus, v. c. humana, conjugali, paterna &c. conſtitutum deprehendimus. Naſcuntur inde certa officiorum genera, homini intuitu aliorum, quibuscum in ſocietate vivit, obſervanda; quæ, cum ex natura humana & ſocietatis indole deducantur, ipſa natura conſtituta, atque fundamentum *juris naturalis ſocialis* eſſe, patet.

Ex quo apparet, in quantum ſocialitas pro fundamento juris naturæ reputari poſſit. Socialitas eſt ſtatus hominis, in quo juxta alios vivere ponitur; non igitur niſi officia erga alios, ſive homines, ſive cives, ſive gentes, ex ſocialitate derivare licet. PUFFENDORF

DORFFIUS pro univerſali principio juris naturalis ſocialitatem venditat, *vid. J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 15.* ſed perperam, ut recte monet BARBAYRACUS *in notis ad Puffend. cit. loc.* ibique melius triplex juris naturalis fundamentum ponit 1. religionem, 2. amorem proprium, ſive philautiam, & 3. ſocialitatem: in quo quam proxime ſequitur HEDINGERUM *in conſpectu Jurispr. nat. q. 4. §. 13. p. 13.*

§. XI. Complexum adeo legum, juxta quas natura hominem, in ſocietate cum aliis viventem, actiones ſuas inſtituere obligat, *jus naturæ ſociale* dicimus.

§. XII. Prima, in qua hominem per naturam conſtitutum cernimus, eſt magna illa generis humani ſocietas. Relatio inde naſcitur homini ad alios: quæ cum naturalis ſit homini, ipſa quoque officia, quæ per hanc relationem intelliguntur, naturalia erunt. Enimvero, cum ſocietatem generis humani ſupponant leges naturæ, quibus officia erga alios determinantur: *ad jus naturæ ſociale* hominis, in ſocietate generis humani conſtituti, referendæ erunt.

§. XIII. Hinc definire licet *jus naturæ ſociale hominis, in ſocietate generis humani conſtituti*, quod ſit complexus legum naturalium, quibus officia erga alios continentur.

Pars iſta juris naturæ præcipua eſt, quæ in ſocietatibus reliquis, præſertim civili, attendi meretur. Hinc H. GROTIUS in opere ſuo præſtantiſſimo de jure B. & P. vix alia in medium affert jura hominis & officia, quam quæ ex jure naturæ ſociali humano fluunt.

§. XIV. Eadem ſunt aliorum officia cum iis, quæ nobis ipſis incumbunt. Quapropter ſic in ſocietate generis humani actiones inſtituendæ erunt, ut neque noſtris, neque aliorum, officiis repugnent, ſed conjunctis potius vi-

H ribus

ribus promoveantur. Objectum adeo juris naturalis socialis humani constituit, quidquid de officiis hominis erga animam, corpus, & statum externum in jure naturali ethico demonstratur. Porro homines, quibuscum vivimus, vel amici sunt, vel inimici; resultant hinc officia 1. erga amicos & inimicos, 2. circa honorem, auxilium, & opem aliis præstandam, 3. circa injuriam propellendam, 4. sui, suorumque, necessariam defensionem &c.: imo ipsam dominii & proprietatis rerum necessitatem ex natura hominis & societatis generis humani indole fluere, in jure naturali evincimus. Quapropter in jure naturæ sociali in societate generis humani, 1. de fundamento & origine dominii & proprietatis rerum, 2. de modis acquirendi dominia, tum primitivis, tum derivativis, 3. denique de modis, quibus dominia in alios transferuntur, agendum erit. Enimvero cum acquisitio, tum alienatio, dominiorum ut plurimum pactis & contractibus, ultimis voluntatibus (nam & de suo post mortem disponendi facultatem introducti dominii necessariam sequelam esse, alibi ex professo ostensurus sum) subinde & usucaptionibus nititur. Quapropter in jure naturæ sociali hominum, in societate generis humani viventium, de juribus, & officiis circa sermonem, pacta, contractus, ultimas voluntates, atque usucaptiones, disquisitio instituenda erit.

§. XV. Præter societatem illam magnam generis humani particulares quædam dantur societates, in quas homo, partim ipsa sic disponente natura, ac citra ipsius factum, partim vero accedente ipsius consensu incidit: tales sunt societas conjugalis, societas paterna, herilis, & familia; atque oeconomicæ vulgo audiunt.

§. XVI.

§. XVI. Quapropter, ſi ex ipſa ſocietatum oeconomicarum, & hominis natura, qua ratione ſint conſtituendæ, quæque membris earundem incumbunt, officia determines: erunt leges circa dictas ſocietates naturæ earundem conformes & naturales. *Complexum legum naturalium*, quibus formæ ſocietatum œconomicarum, & officia membrorum, easdem conſtituentium, determinantur, *jus naturæ ſociale œconomicum* vocamus.

§. XVII. Docentur igitur in hac jurisprudentiæ naturalis parte 1. officia mariti & uxoris mutua, & quæ in ipſa conſtitutione, & duratione ſocietatis conjugalis natura obſervanda præcipit; 2. officia parentum erga liberos, & liberorum erga parentes, uti &, qui poſt eorundem obitum ipſorum vicibus funguntur, tutorum erga pupillos, & reciproce; 3. expenduntur, & ex natura ſocietatis herilis deducuntur, officia dominorum erga ſervos, & ſervorum erga dominos; 3. quæ in familia tum patris, tum matrisfamilias, & ceterorum membrorum, familiam conſtituentium, ſint officia ex natura familiæ ſolide adſtruitur.

In ſequentibus, ubi in principia juris civilis & canonici inquiremus, patebit, quanti ſit momenti ſocietatum œconomicarum naturam probe perſpectam, & officia inde fluentia familiaria experiri; ut legibus concinnis ad ſtatum civilem adaptentur.

§. XVIII. Videri poterat ſufficere ſocietates tum generis humani, tum œconomicas, in quarum fundamenta hactenus inquiſivimus, ut homo per omnia tranquillam, beatamque vitam ageret: præſertim ubi plures ſocietatum ſimplicium in unam domum, ſive familiam, coaleſcerent, atque unitis viribus bonum commune promoverent. At vero ſi hominum non barbarorum, ſed cultiorum, mores,

& vivendi genera penitius introspicias: ne numerosissimam quidem familiam (siquidem inter familiæ limites subsistas, nec rempublicam pro familia sumas) sibi soli sufficere deprehendes. Sane si calculum bene ineas eorum, quæ ad domum unicam vel mediocriter instruendam requiruntur: tot hominum operas requiri comperies, quot ne quidem respublica, ne dicam familia caperet. Conjungi itaque oportebat tot societates simplices, sive œconomicas, quot scopo huic assequendo pares essent. Hocque primum est fundamentum, ex quo necessitatem societatum civilium demonstramus. Deinde speciali ratione ex dominii & proprietatis inducto jure apparet, separatas domus, sive familias, absque civili nexu juxta se invicem vivere non posse. Cum enim, quibus ad corporis conservationem, & vitæ commoditatem egent homines, non sine duro labore, & indefessa industria parentur: non potuit non evenire, quin inter corruptos adeo hominum mores plurimi, sensuum stantes judicio, laborem, & in parandis ad vitam necessariis solertiam fastidirent; iis vero, queis alios frui cernerent, carere nolentes vitæ adminiculis, aliorum rebus atque fortunis insidias struerent: quibus sane efficacius remedium opponi non poterat, quam plurium in societate civili coadunatæ vires; ut propellendis nefariorum injuriis pares forent. 3. Denique alenationum & contractuum, ex dominiis rerum resultantium, varietas non poterat non infinitas controversias progenerare, quibus dijudicandis & decidendis consensu plurium domorum vel familiarium, societatem civilem ingredientium, magistratus destinandi, atque potestate, judicata exequendi, instruendi erant. Quæ ratio penes politiores saltem gentes rerum publicarum constituendarum necessitatem arguit: ut proinde in his tribus fontibus, sive rationibus, necessitate scilicet 1. parandi, quæ ad vitæ sustentationem & commoditatem requiruntur; 2. defen-

defendendi ſe, ſuaque ab aliorum injuriis; 3. ſopiendi controverſias ex contractibus & alienationibus enatas, rerumpublicarum, conſequenter juris naturæ ſocialis politici, originem recte quæramus.

§. XIX. Ex his principiis igitur derivandæ erunt regulæ ſive leges, quæ in conſtituendis, regendis, conſervandis, ac reſtaurandis ſocietatibus civilibus ipſa ratio naturalis docet: ut proinde *jus naturæ ſociale politicum* definire liceat, quod ſit complexus legum naturalium, iuxta quas ſocietates civiles, ſive reſpublicæ, conſtituendæ, adminiſtrandæ, conſervandæ, ac collapſæ reſtaurandæ ſunt.

§. XX. Leges juris naturalis politici ſi expendas, alias quidem circa rerumpublicarum conſtituendarum formas, rite & pro genio cujusvis populi ſtabiliendas, nec non circa officia & jura, tum imperantium, tum ſtatuum, atque ſubditorum, inde emanantia, determinanda verſari apparebit.

§. XXI. Partem juris naturæ ſocialis politici, quæ circa formas rerumpublicarum, officia & jura tam imperantium, quam co-imperantium ſtatuum, nec non ſubditorum, inde deducenda verſatur, *jus publicum univerſale* dicimus: ut adeo definiri poſſit *jus publicum univerſale* per complexum legum naturalium, quæ in eligendis & conſtituendis rerumpublicarum formis, officiis & juribus imperantium atque ſubditorum inde determinandis obſervandæ veniunt.

Retinemus hic uſitatum juris publici univerſalis ſignificatum, quem ipſi auctores tribuunt. Vid. VITRIARII *J. Publ. L. 1. t. 1.* BRUNNEMANNI *Examen J. Publ. L. 1. C. 1. q. 3.* HUBERUM *de J. Civitatis L. 1. ſect. 2. C. 1.*

§. XXII. Ex dictis haut erit difficile determinatu, quæ in jure publico univerſali tradenda ſint, atque adeo ejusdem objectum conſtituant. Cum enim circa modum, quo ſalus atque tranquillitas publica per ſummos imperantes procurari atque promoveri debeat, potiſſimum occupetur jus publicum univerſale: poſt generaliſſima juris naturalis politici principia, 1. ſummorum magiſtratuum in republica neceſſitas demonſtranda erit, 2. Determinandi ſunt modi, quibus in ſummos imperantes, ſive unum, ſive plures, cura ſalutis & tranquillitatis publicæ conferri poſſit, ut prodeant rerumpublicarum formæ tam ſimplices, quam mixtæ, tam primitivæ, quam compoſitæ, tam regulares, quam irregulares, quarum natura & prærogativæ unius præ altera ſolide erunt adſtruendæ. 3. De modis ſuccedendi in regnis tam hereditariis, inſtitutivis, electivis, & popularibus agendum. 4. Ex forma reipublicæ, & ſocietatis civilis natura deducenda erunt jura, quæ ſummis imperantibus competunt, atque nomine jurium majeſtaticorum veniunr. 5. Docendum erit, qua ratione ſumma majeſtas limitari, ſtatus reipublicæ in communionem jurium majeſtaticorum vocari, & jura inde particularia, ipſis competentia, determinari poſſint. 6. Denique officia & jura ſubditorum ex natura ſubjectionis, & fine civitatis derivanda ſunt.

§. XXIII. Similiter conſtat, ideo in ſocietates civiles coaluiſſe homines, ne iis mediis carerent, quibus vita jucunda atque beata efficitur. Alterum igitur, quod poſt conſtitutam pro genio cujusvis populi reipublicæ formam, & jura inde in imperantes, tum ſubditos, emanantia expendendum venit, ſunt media, de quibus imperantem ſollicitum eſſe decet, ut cives & ſubditi finem hunc conſequantur; ſive ut felicitatem ac ſecuritatem civium pro virili promoveat.

§. XXIV.

§. XXIV. Ut apta eligat media imperans, naturam hominum, & civitatis indolem probe perſpectam eum habere juvat. Quomodo enim ſtatui vel publico, vel civium privatorum, legibus proſpiceret, cui nec ſocietatis civilis, nec hominum natura atque officia innoteſcunt? Complexus legum naturalium, juxta quas ſummus imperans civium æ reipublicæ ſalutem promovere tenetur, *Politica* a me ſalutatur, atque non incongrue in duas partes diſpeſcitur; generalem ſcilicet, & ſpecialem. Pars Politices generalis complectitur principia, ſeu theoriam, eorum, quæ in republica bene ordinanda occurrunt; ſpecialis vero, quæ etiam regimen dicitur, docet, qua ratione, quæ in parte generali traduntur, in republica ad actum transferenda ſint.

Strictius Politicæ ſignificatum ſumimus, quam quidem uſu receptus videtur; plerique enim etiam jus publicum univerſale ad Politicam referunt, ut Politica ipſis idem ſit, quod nos jus naturæ politicum ſociale dicimus. Verum, vel ideo has diſciplinas diſtinguendas eſſe cenſuimus, ne principia, quæ inde in jure publico ſpeciali & civili petuntur, confundatur. Politicam alii quoque definiunt per ſcientiam eorum, quæ in civitate ad ſalutem & tranquillitatem civium adminiſtranda, obſervanda ſunt. Sed neque hi a nobis diſcrepant. Accipiunt illi Politices vocabulum alio ſenſu, nempe pro habitu, quem Politicus ſerio reipublicæ ſtudio acquirit; nos vero ipſam diſciplinam, quæ leges comprehendit intelligimus.

§. XXV. Unde obſcurum eſſe nequit, quænam in parte generali Politices doceri debeant. Cum enim eadem ſint officia hominum, in ſtatu naturali & civili viventium; ſi ea excipias, quæ ipſius reipublicæ gratia obſervanda ſuperveniunt: præcipua Politici induſtria verſabitur 1. qua ratione ſcholæ, Academiæ, Univerſitates ſcientiarum atque artium, tam liberalium, quam mechanicarum, ſint inſtituendæ; ut pro vitæ genere neceſſariam quisque cognitionem ex ore & manuductione docentium haurire queat: quo ipſo effi

cietur,

cietur, ut officiis erga intellectum cives satisfaciant. 2. Cum internam virtutem non minus, quam externum actionum cum legibus consensum in civitate a summis imperantibus urgendum esse liqueat: ea, quæ virtutis exercitium quovis modo facilitant, sedulo curet. Efficacissima hic esse religionis præcepta, cultum divinum, & sermones publicos etiam aliunde scimus. At vero & imperanti multa circa virtutis propagationem relicta, atque in ipsius potestate sunt: quorsum refero curam de instruenda juventute in disciplinis practicis, inspirando virtutis amore, & in ingenerando odio contra vitia, in quibus non exiguus historiarum, fabularum, comœdiarum, atque tragœdiarum, (si recte instituantur) est usus. 3. In media erit inquirendum, ut tum in contractibus, tum in læsionibus, suum quisque habeat; hinc 4. De pretiis rerum figendis, pœnis, & præmiis constituendis tractatio instituenda. 5. Quid circa paupertatem, morbos, pestem præsertim, & alia civium infortunia avertenda sanior Politica doceat inquirendum: cujus tractationis capita præcipua huc redeunt, ut ne otiosam & ignavam cives vitam agere patiatur imperans, sed fucos, & ignavum pecus procul e reipublicæ limitibus exterminet; mercenariorum operis talia figat pretia, ut vitam inde sustentare possint; agrorum, metallorum, hortorum, sylvarum, rei quoque pecuariæ curam pro virili promoveat; Medicinæ atque Chirurgiæ studium efflorescere faciat; sumptibus superfluis, tum in vestibus, tum in conviviis, compotationibus & commessationibus ansam præscindat; salubritatis aeris & aliarum commoditatum in exstruendis ædificiis atque urbibus rationem habeat, eaque fini ordinationes architectonicas condat; ne incendia vel inundationes noceant, salutaribus constitutionibus caveat; vias publicas, & commodas & securas præstet, &c. 6. Quæ circa jucunditatem civium, & ornamenta reipublicæ consideran-

da ſint, perſcrutandum eſt: quo faciunt pulcritudo ædificiorum, tam publicorum, quam privatorum, hortorum, floribus, arboribus, & plantis rarioribus inſtructorum, amœnitas, & alia plura innocentis animi oblectamenta, quæ luci, deambulacra, picturæ, fontes, circulatores, muſica, tam vocalis, quam inſtrumentalis, Poetæ, theatra, luſus &c. ſuppeditant; ut vel ex hoc appareat, utiliſſimam ſummeque neceſſariam eſſe verioris Politices doctrinam; ſiquidem de omnibus in republica rationem reddere velis.

§. XXVI. In parte vero Politices ſpeciali occurrit 1. judiciorum tam inferiorum, quam ſuperiorum, tam civilium, quam criminalium, fundamentum, natura & ordo; non prætermiſſis, quæ de judicum officiis, proceſſuum ordine conſtituendo, eorundem ambagibus amputandis, & circa modos exequendi mandata atque judicata expendi merentur: 2. quid circa commercia, ſocietates mercatorum, cambia, rem monetariam & metallariam, politicæ & publicæ conſiderationis ſit: 3. quoque huc trahuntur, quæ de ærario Principis, & reipublicæ oneribus & collectis imponendis, colligendis & erogandis, noſſe oportet Politicum: 4. huc pertinet doctrina de honoris & dignitatum gradibus, cuique pro meritis & muneribus ſecundum capacitatem conferendis: ex quo diverſi civium ordines, & collegiorum inſtituta, & alia plurima derivantur; quæ ſpecialius hic perſequi non licet.

§. XXVII. Perinde, ut (§. XVIII.) oſtendimus, homines extra ſocietatem civilem vivere non poſſe, ſiquidem iis carere nolint ſubſidiis [t], quæ ad vitam beate ac jucunde exigendam conducunt: ita ſimiliter, ſuppoſitis præter ea, quæ ipſa naturali ratione innoteſcunt, erga Deum officiis, ex lumine revelato nobis incumbentibus, facile liquet, ex-

tra cœtum, sive societatem ecclesiæ, iis ex asse satisfieri nequaquam posse; quod ex multitudine officiorum, lege divina nobis injunctorum, Doctorum, fideles erudientium, atque personarum, sacra administrantium, necessitate, haud prolixa demonstratione deducitur. In cœtum itaque congregari oportuit fideles. Quapropter cum præter ipsam divini Numinis voluntatem, nobis manifestatam, tum cœtus, sive universitatis Dei, natura, uniformitas religionis & fidei summe necessaria, imo ipsa reipublicæ salus & tranquillitas exigat, ut fideles uno summo rectore gubernentur: ecclesiæ & necessitas atque rationabilitas amplius obscura esse nequit.

Quod dixi ab uno summo Rectore, Salvatoris in terris Vicario, ecclesiam gubernandam esse, id non minus S. pagina, quam sana ratio inculcat, & perpendenti, quantæ in rempublicam & genus humanum ex difformitate religionis propullularint malorum myriades, indubium esse debet. Atque utinam tristia in Germania exempla non extarent, quibus id confirmatur! Et sane ne quidem rerumpublicarum salus, citra uniformitatem fidei & præceptorum religionis concipi potest. Quamobrem, cum ex jure publico universali, æque ac historia constet, nullas rerumpublicarum formas (est enim reipublicæ universalis quædam species ecclesia) factionibus atque dissensionibus minus esse obnoxias, quam monarchias; nullas etiam promptius & efficacius hostium insidias & machinationes præscindere aptas esse: monarchicam formam ecclesiæ quam maxime convenire liquet. Consentit doctrina nostra ex asse cum iis, quæ Theologi de Christi in terris Vicarii, summi Pontificis, regimine docent.

§. XXVIII. Quapropter definiri poterit ecclesia, sive universitas Dei, quod sit cœtus, sive societas, Fidelium sub uno summo rectore, salutis ecclesiæ & fidelium conjunctis viribus promovendæ gratia, congregata.

Theo-

Theologicæ potius, quam politicæ conſiderationis modo dicta eſſe videntur. Verum, cum juris canonici fundamenta & principia absque præſuppoſita notione eccleſiæ non intelligantur: inſtituti ratio vix improbabitur.

§. XXIX. Leges adeo, in regimine eccleſiæ obſervandæ, ex ipſa eccleſia & religionis indole derivandæ ſunt: ut proinde definiri poſſit *jus eccleſiæ univerſale* per complexum legum naturalium, atque divinarum, juxta quarum normam eccleſia conſtituenda, conſervanda atque reſtauranda eſt.

Sed has Theologis relinquimus diſcutiendas; ne in alienam meſſem falcem noſtram immittamus.

§. XXX. In ſocietate civili uniuntur vires, ut, quæ ſeparatæ ad felicitatem hominis promovendam pares non erant, conjunctæ ſufficerent. Vires igitur civium ſingulorum in republica aggregatum quoddam, ſive unum, conſtituunt. Porro cum una itidem in bono communi promovendo omnium debeat eſſe mens, atque voluntas; ut ex notione ſocietatis generali patet: reſpublica corpus unum, anima rationali una animatum, repræſentat. Quare cum corpus, anima rationali animatum, perſonam moralem conſtituat: rempublicam inſtar perſonæ moralis conſiderare licet. Enimvero cum ſuperiorem non agnoſcant reſpublicæ; eas in ſtatu naturali vivere liquet. Plures igitur reſpublicæ, ſive gentes, inſtar perſonarum ſimplicium, juxta ſe invicem in ſtatu naturali viventium, conſiderandæ ſunt. Quamobrem idem erit fundamentum generale officiorum atque jurium rerumpublicarum, ſive gentium, juxta ſe invicem viventium, quod perſonarum ſimplicium, in ſocietate generis humani conſtitutarum.

Utimur hic principio reductionis in arte inveniendi fœcundissimo; uti Mathematicorum exemplo dudum comprobatum scimus.

§. XXXI. Videri poterat ex reductione rerumpublicarum ad personas simplices, in statu naturali viventes, omnia gentium officia derivari posse; cum alia re opus non sit, quam ut, quæ de officiis erga alios in jure naturæ sociali, sive in societate generis humani, inculcantur, ad actiones rerumpublicarum, & summorum imperantium applicentur: ut proinde justum sit inter status, sive respublicas liberas, quod inter privatos justum est; neque alia norma in dijudicandis actionibus earundem liberis opus sit. At vero licet de regulis juris naturæ, præsertim socialis, generalibus extra dubitationis aleam positum sit, quod ad respublicas integras applicari possint: notandum tamen alias esse actiones personarum simplicium, alias compositarum. In determinanda porro æquitate ac justitia actionum, præsertim in statu naturali, omnes omnino determinationes tum generales, tum speciales, attendendæ, ac proinde in discutiendo, quæ inter respublicas, sive civitates liberas, æqua sint, vel justa, alia præterea principia a natura societatis civilis, & personæ moralis compositæ indole accersenda sunt; ut exasciatum de actionibus gentium liberarum judicium ferre queas. Multa negotia inter gentes liberas celebrantur, quæ inter personas privatas vix aut nunquam obveniunt: fundamenta igitur aliunde quam ab officiis hominum, in statu naturali consideratorum, petenda sunt.

§. XXXII. Partem adeo juris, quæ jura & officia inter gentes liberas continet, definire licet, quod sit complexus legum, juxta quas gentes liberæ actiones suas instituere obligantur.

Ali-

Aliter jus gentium accipiunt JCti Romani, uti ex definitione Gaji *L. 9. π. de Juſtitia & Jure* liquet: nimirum per jus gentium intelligunt ea jura, quæ naturali ratione inter homines conſtituta ſunt, & apud omnes peræque cuſtodiuntur. Naturalis ratio eſt attributum hominis proprium, per quod homo a ceteris animalibus diſtinguitur: conſequenter quæ ex mente JCtorum Romanorum ad jus gentium referuntur, ex natura hominis propria, ſive quatenus ratione præditus eſt, derivantur. Atque eatenus jus gentium diſtinguunt a jure naturali, quod in natura hominis, cum ceteris animantibus communi, ſive animalitate fundant. Ad jus naturæ referunt generis propagationem, maris & feminæ conjunctionem, liberorum procreationem atque educationem, corporis ſuſtentationem &c. quæ omnibus animalibus communia ſunt: inter jura homini propria recenſent religionem, obedientiam parentibus præſtandam, dominia, contractus, rerumpublicarum originem, commercia, bella &c. h. e. tum ea, quæ naturalis ratio inter homines privatos inculcat, officia, tum quæ integros populos concernunt; ut proinde jus naturæ & gentium Romanorum ſimul ſumptum, omnem juris naturalis ambitum exhauriat. Enimvero cum animalitas & rationalitas in homine conjunctæ ſint; nec ſeparatim exiſtant; neque illa ipſa jura, quæ JCti Rom. juris naturalis eſſe ſtatuunt, rationis imperio eximantur, ſed ſecundum ejus dictamen gubernanda, & dirigenda ſint: recte recentiores, GROTIUS, PUFFENDORFFIUS, & alii, inter jus naturæ & gentium Romanorum non deſtinguunt, ſed utraque & naturalia & gentium jura juris naturæ nomine dignantur, juris gentium nomen iis, quæ reſpublicas, ſeu gentes integras, reſpiciunt, reſervantes. Jungantur, quæ hanc in rem doctiſſime diſſeruit *perill.* WOLFFIUS in *Hor. ſubſec. Trim. brum. diſſ. 2.*

§. XXXIII. Quodſi in delineando jura atque officia inter gentes integras nonniſi ad naturam civitatis & perſonæ moralis compoſitæ reſpicias, ac inde, quid inter gentes liberas juſtum vel injuſtum, licitum aut illicitum ſit, determines: jura & officia illa gentium naturali ratione conſtituta eſſe apparet.

§. XXXIV. Complexus legum naturalium, ex quibus jura atque officia gentium, sive rerumpublicarum, deducuntur, *jus gentium naturale* audit.

Ex Sententia GROTII *de J. B. & P. L. 1. C. 1. §. 14. n. 4.* jus gentium vim obligandi a voluntate populorum habere, atque proinde arbitrarium, non naturale, esse videtur. Verum cum laudatus auctor consuetudines tantum, inter gentes moratiores receptas, juris gentium nomine dignetur; reliqua vero gentium jura ad jus naturæ referat, vid. *dict. loc. & L. 3. Cap. VII. & IX.*: assertum GROTII jus gentium, quod nos naturale dicimus, non evertit; cum, uti vidimus, prægnantes subsint rationes, cur jus naturæ hominum privatorum a jure naturæ integrarum gentium distinguendum sit. Jus gentium, de quo GROTIUS loquitur, consuetudinarium ego voco, ac proin eatenus cum ipso sentio; nisi quod indistincte GROTIUS consuetudines & mores inter gentes pro jure habeat, *vide infra §.* XLI.: ego nonnisi rectæ rationi consentaneis locum concedam. In quantum corruptis hominum moribus ac fragilitati humanæ in casibus specialibus connivendum sit, id prudentia practica docebit.

§. XXXV. Status, sive respublicæ, in relatione ad se invicem spectatæ, vel sunt amicæ, vel inimicæ, vel neutrarum partium. Juxta triplicem igitur hunc respectum tractatio juris gentium instituenda erit: & sect. I. quidem, præmissis principiis generalibus officiorum gentium erga alias, de juribus & officiis gentium amicarum, quæ sequentibus capitibus forsan comprehendi poterunt, disquirere convenit. Cap. 1. jura & officia gentium liberarum mutua intuitu scientiarum & artium, tam liberalium, quam mechanicarum, conjunctis viribus promovendarum, adumbrat; cui fini apprime conducunt Academiæ scientiarum & artium: ut adeo, quæ circa illas inter gentes officia sint, hic expendi mereatur. Exempla præbent Academia scientiarum Parisiensis, Londinensis, Petropolitana &c. in quas tam inquilini, quam exteri admittuntur;

ut,

ut, quibus enodandis ac demonſtrandis gentis unius litterati non ſufficiunt, plurium juncta ope eruatur. 2. Jura & officia gentium liberarum intuitu virtutis, mutua ope propagandæ, & religionis puræ & uniformis conſervandæ. 3. Jura & officia gentium liberarum circa honorem ſibi mutuo debitum. 4. Jura & officia gentium liberarum de mutuo ſibi auxilio contra injuſtos aggreſſores præſtando. 5. Jura & officia gentium liberarum circa dominia & proprietatem rerum, ſive in dominio reipublicæ, ſive privatorum, exiſtant. Locus hic erit de uſucapione & præſcriptione inter gentes diſquirendi. 6. Jura & officia gentium liberarum circa ea, quæ ad victum, vel veſtitum, aut commodam habitationem neceſſaria ſunt, ſibi mutuo communicanda; hinc 7. Jura commercii inter gentes 8. Jura & officia ſtatuum circa ſermonem, pacta, conventiones & fœdera. 9. Jura & officia gentium liberarum mutua circa Legatos, ex immotis principiis & rationibus demonſtrata exhibet. Sect. II. enodanda atque ſtabilienda ſunt jura & officia gentium inimicarum. Proin cap. 1. de juribus & officiis inimicorum in genere. 2. de juribus & officiis gentium liberarum circa defenſionem ſui, ſuorumque juſtam & neceſſariam; hinc 3. de bello, juribus & officiis ſtatuum belligerantium in genere. 4. de juribus & officiis gentium liberarum in bello declarando. 5. de juribus & officiis gentium liberarum ratione belli gerendi. 6. de juribus & officiis gentium liberarum intuitu hoſtium. 7. de juribus & officiis gentium liberarum ratione bonorum, vel publicorum, vel privatorum, vi bellica occupatorum. 8 de juribus & officiis gentium liberarum intuitu captivorum. 9. de juribus & officiis gentium liberarum circa bellum finiendum. 10. de juribus & officiis ſtatuum liberorum circa conventiones, a privatis tempore & intuitu belli initas. 11. de juribus & officiis ſtatuum circa inducias, fœdera, & ſanctiones pacis. 12. de juribus

&

& officiis statuum.circa mediatores pacis agendum. Sect. III. in jura & officia mutua statuum neutralium erga belligerantes, & belligerantium erga status neutrales inquirendum erit.

§. XXXVI. Conventionum atque pactorum necessitas partim ex dominii,tam inter privatos, quam gentes integras stabilito jure demonstratur, eaque, siquidem justa sint, religiose & sancte custodienda esse, in juris naturalis doctrina docetur: partim vero inde colligitur, quod multa sint hominum officia, ad quæ in genere quidem obligatus est homo, cui vero in individuo exhibenda sint, in casibus particularibus vel prorsus non, aut saltem difficillimum sit determinatu. Expeditissima igitur media, scilicet pacta, ducente naturali ratione, adinventa sunt, ut, cui in individuo officia atque jura tribuenda forent, ulterius determinaretur. Sic certum est eum, qui granaria frugibus referta possidet, annonæ penuria ingruente jure naturali obligari, ut partem iis vendat, mutuo tradat, aut gratis offerat, qui frugum inopia laborant. Cum vero plures esse possint, qui æquali necessitate premantur; nec tamen omnibus satisfieri queat: per pactum demum individualis illa persona determinatur, cui frumenta vendenda, mutua danda,aut donanda sint. Accedit,quod pacta efficacissimum sint medium,ut de rebus nostris, vita,atque fama,securi reddamur; cum contra expressam voluntatem, nisi insigniter improbi, vix nitantur. Deinde si duo vel plures ad unam eandemque rem,vel physice,vel moraliter indivisibilem æquale jus habeant; consequenter neuter alteri cedere teneatur, nisi bellum Hobbesianum omnium inter omnes, aut perpetuas lites vigere velis: pacto certe, vel mutua conventione, controversias sopiendas esse liquet. Quamobrem, cum pacta obligationem necessario habeant annexam, atque proinde

leges

leges inter paciſcentes conſtituant (§. XI. C. I.), quæ neque per ſolum jus naturale, & absque voluntate paciſcentium omnimode intelliguntur; neque tamen a ſuperiori feruntur: (quomodo enim tum pactorum naturam retinerent?) jus quod ex pactis & conventionibus naſcitur, genus quoddam intermedium inter jus naturale atque poſitivum conſtituit, ac de utriusque natura participat. Cum jure naturæ id commune habet jus pactitium, quod absque ſuperioris voluntate conſtituatur; cum jure vero poſitivo in eo convenit, quod neque per naturam, neque citra factum hominis, vel entis rationalis, voluntate ſua id conſtituentis, omnimode & perfecte concipiatur.

§. XXXVII. Habemus adeo modum, quo jura & officia tum privatorum, tum gentium integrarum, in ſtatu naturali viventium, partim determinentur, partim firmentur. In rebuspublicis leges civiles, quid in caſibus ambiguis agendum vel non agendum, & quod cuique jus competat, ut plurimum diſponunt: aliud autem inter gentes liberas, quæ ſuperiorem non agnoſcunt, & æquali jure fruuntur, obtinet. Quapropter cum inter gentes liberas a ſuperiore jura ſanciri ac firmari, lites ſopiri ac judicari nequeant: ad pacta recurrendum, quibus ſibi, ac juribus ſuis proſpiciant, aut nova ſtipulentur. Enimvero cum pacta inter gentes ſpeciem quandam juris poſitivi conſtituant (§. XXXVI.), atque, quæ ſtatibus aut rebuspublicis in individuo jura competant, declarent: ratio patet, cur a jure gentium naturali, in quo jura ex generalibus atque intrinſecis principiis demonſtramus, jus gentium pactitium diſtinguendum eſſe conſuerimus.

§. XXXVIII. Ex dictis adeo definitio juris gentium pactitii facile eruitur. Sive enim diſciplinam juris gentium

pactitii intelligis; & tum erit complexus pactorum, sive legum, mutuo gentium consensu stabilitarum, ex quibus earundem jura determinantur: sive jura ipsa, quæ per pacta determinantur, nosse desideras; & definiri poterit, quod sit complexus jurium, sive facultatum legitimarum, vi pactorum gentibus liberis competentium.

Inferius, ubi in notionem juris civilis inquiremus, palam faciemus, quas rationes finales & intrinsecas jus positivum civile & jus positivum pactitium inter gentes communes habeant, & evidenter monstrabimus, eundem esse effectum pactorum in statu naturali, qui juris civilis in civitate; nisi quod modus suum defendendi, vindicandi, repetendi &c. in statu naturali, & civili differant. In civitate coram judice secundum leges controversiis finis imponitur, atque jus cuique suum tribuitur: gentes liberæ autem ut plurimum ad bella, repressalias, aut amicabiles compositiones confugiunt, ubi læsas se sentiunt. Adde, quod pacta facilius quam leges civiles infringantur; nec enim eadem facilitate gentes, qua cives in officio continentur, ubi contra leges eos agere contigerit.

§. XXXIX. Jus gentium pactitium omnia prorsus gentium omnium inter se pacta, & conventiones in latissima sua significatione comprehendit; est enim inter omnes societas aliqua constituta. Verum cum præcipua, & maximi momenti negotia inter vicinos sibi invicem populos gerantur; quæ vero belli suscipiendi, aut finiendi, vel commercii gratia cum longe remotis gentibus ineuntur pacta, pauca sint numero: ii, quorum fidei & dexteritati negotia cum exteris tractanda atque terminanda olim committentur, ea solum pacta ac jura sibi reddant familiaria, quæ quovis modo patriam eorundem atque summos imperantes respiciunt; præsertim cum specialis juris gentium pactitii tractatio, perinde ut jus civile, pro diversitate reipublicæ variet. Theoria tamen de natura & forma pactorum in omni jure gen-

tium

tium eadem eſt. Speciminis loco juris gentium pactitii Imp. Rom. Germ. conciſam Sciagraphiam exhibebimus. Commode vero tribus ſectionibus hæc tractatio abſolvitur. In ſect. I agitur 1. de natura & forma pactorum inter gentes in genere; 2. de natura & forma pactorum, quibus dominia & poſſeſſiones regnorum, provinciarum, fortalitiorum, fluminum ac jurium &c. firmantur; 3. de natura & forma tractatuum Barreræ, ſeu limitum; 4. de natura & forma pactorum ſucceſſoriorum inter gentes liberas; 5. de natura & forma tractatuum commercii; 6. de natura & forma tractatuum navigationis; 7. de natura & forma tractatuum mutui auxilii; 8. de natura & forma tractatuum pacis; 9. de natura & forma tractatuum induciarum; 10. de natura & forma tractatuum Guarantiæ; 11. de natura & forma tractatuum Mediationis; 12. de natura & forma tractatuum amicitiæ; 13. de natura & forma tractatuum præliminarium; 14. de natura, neceſſitate, & forma tractatuum, quibus jura Legatorum firmantur. Sect. II. ex hiſtoria imperii, diplomatis, & inſtrumentis pactorum authenticis Imperatoris atque imperii R. G. jura, intuitu regnorum atque rerumpublicarum extranearum, adſtruenda, atque in ſuas claſſes diſtribuenda, quæque pactis ſolum temporariis nituntur, probe ſecernenda erunt ab iis, quæ perpetua firmitate roborata ſunt. Sect. III. jura Regum, Potentiarum, & rerumpublicarum in imperium R. G. diſcutienda venient. Eodem modo jura gentium quarumcunque adornari poterunt. Plurimum huc facit collectio operoſiſſima tractatuum inter gentes, quæ Du Montii opera prodiit; Leibnizii Cod. J. Gentium diplomaticus; Christoph. Herm. Schwederi theatrum prætenſionum; Schmausii corpus J. G. academicum: juvat vero notitia negotiorum, quæ quotidie inter gentes tractantur.

§. XL. Eandem vim, quam nos pactis tribuimus, gentes moratiores consuetudinibus receptis tribuunt: ut proinde juris gentium censeatur, quod moribus & usu gentium politiorum ab antiquo obtinet; adeoque rationi naturali consentaneum esse præsumitur. Nec vero ratione destituitur, consuetudinibus inter populos vim juris adscribere. Etenim, cum omnia pactis definiri nequeant; gentes integræ autem in plurimis æquali jure frui censeantur: ipse pacis naturalis amor, & rectæ rationis dictamen suasit, ut, quæ pactis vis obligandi inest, eadem & in consuetudines transferretur.

§. XLI. Complexum adeo jurium, quæ moribus & consuetudinibus, inter gentes moratiores receptis, nituntur, *jus gentium consuetudinarium* dicimus.

Talia sunt pleraque, quæ in bello justa esse asserit H. GROTIUS. Enimvero fines juris gentium transgreditur, dum *Lib. 3. c. 4. de J. B. & P.* jus occidendi inimicos indistincte, adeo, ut ne mulieribus quidem & infantibus ex jure gentium parcendum sit; jus prædandi & rapiendi, quidquid apud hostes deprehenditur, ne templis quidem & rebus sacris exceptis, ex consuetudine & moribus gentium juris esse asserit. Sed quis non videt invitis æquitatis & justitiæ regulis ad jus gentium trahi, quæ summam potius injuriam & immanem barbariem sapiunt? Mirum certe, quod perspicacissimus alioquin GROTIUS non agnoverit, quantum a sana ratione abhorreat, gentes, qua gentes, ab usu rationis absolvere, iisque facultatem tribuere jus aliquod chimericum constituendi. Moderatione equidem C. 11. & seqq. utendum, atque de jure suo subinde remittendum esse, insinuat. Verum cum consuetudines, aut potius corruptelæ depravatæ inter gentes juris nomen non mereantur: damnandæ potius, nec aliæ juri gentium annumerandæ erant, quam quæ cum sana ratione concordant. Alia igitur est juris gentium consuetudinarii facies, quam quidem a GROTIO depingitur. Gentes integræ, summi Imperantes, Belliduces &c. non minus ad æquitatem, in actionibus

suis

ſuis obſervandam, obſtringuntur, quam perſonæ privatæ; nec ab illa obligatione quacunque ratione abſolvi poſſunt. Qui facultate pollet, nexum rerum humanarum profundius introſpiciendi, facile mecum conſentiet, principia GROTII de jure belli obſtaculo fuiſſe, & eſſe hodienum, quominus bella etiam inter Nationes, quas dicimus maxime politas, cum ratione geſta fuerint; aut hodiedum gerantur. In diſciplinis, præſertim practicis, id ſedulo agendum, ne inculcemus, quæ cum natura humana & gentium ſalute ac tranquillitate pugnant. Ita ſaltem evitabitur, ne, qui regulis, a nobis non invita ratione & natura humana ſtabilitis, in praxi utuntur, a recto tramite per ipſa, quæ hauſerunt, principia abducantur.

§. XLII. Præmiſſa itaque de conſuetudinibus, inter gentes receptis, theoria generali, agendum erit 1. de conſuetudinibus in bello, tam declarando, quam gerendo & finiendo; 2. de conſuetudinibus in Legatorum receptione, admiſſione ad audientiam, & diſceſſu; 3. de conſuetudinibus gentium, intuitu commercii obſervandis; 4. de conſuetudinibus ratione titulorum, honoris, præeminentiæ &c.; 5. de conſuetudinibus in congreſſibus, fœderum aut pacis ſtabiliendæ cauſa inſtitutis, disquirendum erit.

§. XLIII. Cærimoniæ in genere ſunt ſigna externa, quibus jura nobis competentia, atque officia humanitatis deſignantur; aut in memoriam revocantur. Fundamentum cærimoniarum in animæ humanæ atque officiorum ſuſcipiendorum natura quærendum eſt: difficillima proin, ac latiſſima eſt juris cærimonialis ſcientia; utpote quæ in omnes omnino diſciplinas practicas, imo ipſum cultum divinum, ſeſe diffundit. Nos hic de iis ſolum ſolliciti ſumus, quas gentes, ſive respublicæ, inter ſe obſervant, atque ſolemnitatum nomine ſubinde veniunt. Neceſſitas cærimoniarum

niarum ex principiis juris naturæ socialis generalibus demonstrari quidem, &, quæ officiis atque actionibus in specie conveniant, ex intrinsecis rationibus deduci non implicat: in constituendis tamen actu plurimum arbitrium populorum & mores gentium regnant. Hinc maxima ex parte in civitate a legislatore, vel usu, in statu naturali, in quo gentes vivunt, pactis partim, partim consuetudinibus, introducuntur, vel roborantur saltem.

§. XLIV. Cærimoniæ, quibus gentes liberæ in officiis mutuo declarandis, superioritatis vel inferioritatis nexu, juribus atque prærogativis contestandis, utuntur, *juris gentium cærimonialis* nomine veniunt.

§. XLV. Maxime arduum opus est, cærimonias, inter gentes usitatas, in concinnum ordinem redigere. In genere partiri possunt in cærimonias 1. quibus gaudium de successu prospero; 2. tristitiam de fortuna vel casu adverso; 3. odium erga status inimicos; 4. amorem erga status amicos; 5. honorem aliis statibus debitum; 6. dignitatem, vel prærogativam; 7. inferioritatem, aut nexum tributarium, significamus. Observantur vero vel inter Reges vel Principes ipsos, aut eorum Legatos; tempore belli, vel pacis; in congressibus, Legatorum receptionibus &c.; terra vel mari &c. Cærimonias inter gentes usitatas, multo labore congessit laboriosus CHRIST. LUNIGIUS in *Theatro cærimoniarum*; GODOFRED STIEVE *in Europæo Cærimoniali aulico*; ZACHARIAS ZWANTZIG *in Theatro Præcedentiæ*, & alii plures; ex quibus systema J. G. cærimonialis facile confici poterit.

§. XLVI. Partes juris naturalis, quas hactenus delineavimus, principia quædam generalia communia habent, unde theoria & praxis ceterarum pendet. Perinde igitur

ut

ut notiones entis generales, quarum in omnibus diſciplinis uſus eſt, partem Philoſophiæ peculiarem conſtituunt: principia juris naturalis generaliſſima, partem generalem juris naturæ abſolvent.

§. XLVII. Ea juris naturalis pars, quæ leges ſeu regulas actionum liberarum generaliſſimas, continet, *Philoſophia practica univerſalis* dicitur; eamque *perilluſtr.* WOLFFIUS definit, per ſcientiam affectivam practicam dirigendi actiones liberas per regulas generaliſſimas.

§. XLVIII. Quapropter in hac juris naturalis parte ſect. 1. C. 1. de actionibus liberis, earumque affectionibus in genere; 2. de lege in genere; 3. de virtute, ejusque ſocia felicitate ac beatitudine hominis; 4. de vitio, ejusque ſocia infelicitate; 5. de conſcientia; 6. de culpa ac imputatione actionum liberarum. Sect. 2. C. 1. de modo, ac mediis aſſequendi felicitatem, cujus homo in hac terra capax eſt; 2. de impedimentis felicitatis, ac mediis ea removendi; denique ſect. 3. de cognoſcendis aliorum animis, atque principiis agendi regulæ generales in uſum J. naturæ ſocialis præcipue traduntur.

Fundamenta hic, non ordinem partium juris indicamus; quod ideo monendum cenſuimus, ne præpoſtere Philoſophiam practicam univerſalem ultimam juris naturalis partem nos conſtituiſſe ex præcipitantia judices.

§. XLIX. Relinquimus campum juris, quod naturalis ratio inter homines, cives, atque gentes conſtituit, ſtadium ingreſſuri juris, quod voluntate ſuperioris introducitur, examinaturi ſcilicet jus poſitivum. Ratio ac fundamentum generale juris poſitivi in imbecillitate intellectus, & fragilitate voluntatis humanæ haud dubie quærenda eſt; etenim obliga-

ligatio naturalis, ut vidimus (§. 1.) per bonum vel malum constituitur, quod actionem liberam vel absolute, vel sub determinatis circumstantiis necessario consequitur: ut igitur efficax sit obligatio, atque voluntatem moveat, opus est, ut bonum illud vel malum distincte sibi repræsentet intellectus; hoc est, cognitio boni vel mali viva sit oportet. Porro, qui bonum vel malum, quod actionem consequitur, distincte cognoscit, nexum illius cum actione libera, sive modum, quo per actionem liberam determinatur, perspicit. Quapropter cum facultas, nexum rerum & veritatum distincte intuendi, *Ratio* dicatur: qui juri naturali ex asse actiones suas conformare desiderat, intellectus & rationis epuratæ usu in omnibus actionibus polleat necesse est. At vero eam non esse, neque intellectus, neque rationis humanæ perfectionem, ut intrinsecam in omnibus actionibus moralitatem penetret, vix est, qui negare ausit: quin arctis potius limitibus circumscriptam, atque errandi, & verum pro falso arripiendi, periculo obnoxiam deprehendimus. Hæcque imbecillitas in ipsam dein voluntatem redundat, ut confusa, sæpe erronea, boni vel mali cognitione ducta, sensuum judicio atque affectuum impetu abrepta, in rectæ rationi contraria nitatur omnia; adeo ut ne sapientissimi quidem mortalium plurium annorum indefesso exercitio id consecuti fuerint, ut voluntatem per omnia rationis imperio subjicerent. Quænam igitur in hac, qua maxima pars hominum premitur, caligine atque imbecillitate voluntatis, qua laborant omnes, media adhibenda erant, ut & fragilitati consuleretur, & malitiæ via præscinderetur, felicitas vero hominum quovis modo promoveretur? Si ipsam rationem consulis, duplicia ea media suggerit; gratiæ scilicet divinæ supernaturalem assistentiam, atque legum positivarum vim ac potestatem. Media gratiæ, quibus tum intellectui tum volun-

voluntati succurritur, non sunt præsentis, in quo versamur, fori: de legibus adeo positivis restat ut dispiciamus.

§. L. Non subscribimus iis, qui juris positivi necessitatem ex eo deducunt, quod multa sint, quæ jure naturæ determinata non sunt, quæ proin legislatoris positivi ulteriori determinationi relinquantur: neque difficile foret a priori falsitatem asserti, utpote primis Philosophiæ principiis contrarii, demonstrare, nisi ipsa experientia suffragaretur, legislatores, siquidem cum sapientia leges condant, ad illas ipsas rationes intrinsecas respicere, ubi de novo in utilitatem hominum, vel civitatis, aliquid introducendum judicant. Ratio igitur legum positivarum non in defectu determinationum intrinsecarum, sed in cognitione hominis limitata & voluntate depravata deprehenditur. Ex cognitione hominis limitata intelligitur 1. cur legislator positivus ea, quæ infinitis modis jure naturæ determinabilia sunt, uniformiter & in genere determinet; ne ambigua aut difficilis sit actionum civilium norma: 2. cur nova subinde æquitatis civilis ratio inducatur. Ex voluntatis fragilitate atque depravatione fluit sanctio pœnarum atque præmiorum, quæ sunt bonum vel malum, quod cum actione connectit legislator. Ex fine legum positivarum de pœnarum atque præmiorum indole judicari potest. Namque subsidiariæ cum sint leges positivæ, & intellectum erroribus, voluntatem sensibus obnoxiam, supponant: tales cum actionibus liberis erunt connectendæ pœnæ vel præmia, quæ sub sensus cadant, atque affectibus præponderent; ita enim efficietur, ut, qui ex intrinsecis motivis rationis imperio parere nolunt, pœnarum metu saltem coerceantur, atque præmiorum spe alliciantur.

Genuinum hoc & naturale est fundamentum legum positivarum in genere: de specialibus earundem rationibus suo loco disquiremus.

§. LI. Hinc non obscure colligere licet, cur in gratiæ regno sapientissimus legislatorum Deus, ex paterno erga genus humanum affectu, peculiari ratione legibus prospexerit, quibus saluti hominum, tum præsentis, tum futuri sæculi, consuleretur. Qui profundius rimantur, quæ hic innuuntur solum, non in præmiorum, sed & pœnarum, constitutione amorem Dei infinitum erga genus humanum agnoscent, ac patrem potius clementissimum, quam dominum severum venerabuntur.

Fori hæc sunt Theologici, quorsum pertinet præceptorum religionis atque legum divinarum explanatio. Enimvero cum jus canonicum haud dubie ad forum juris spectet, ac partim legibus divinis, partim humanis absolvatur: patet methodo scientifica jus canonicum pertractari non posse, nisi præsuppositis dogmatis religionis, & legum divinarum perfecta notitia.

§. LII. Complexum præceptorum sive legum, immediate & ex libera voluntate Dei latarum, atque hominibus per revelationem manifestatarum, quibus officia tum erga Deum, tum hominis erga se ipsum, tum erga proximum, nec non erga ecclesiam & statuum civilem determinantur, *jus divinum positivum* dicimus.

Canonistæ jus divinum positivum in Mosaicum & Christianum; illud in cærimoniale & morale; morale denuo in ethicum, politicum, & ecclesiasticum, alii aliter dividunt: de quibus ipsos vide canonum Doctores.

§. LIII. In jure publico universali summorum rectorum atque magistratuum necessitatem adstruimus, eorumque officia ex fine societatum civilium in genere eo redire demonstramus, ut salutem ac tranquillitatem publicam pro virili promoveant; h. e. id agant, ut ii, qui officiis, tam ex jure naturali ethico, divino, atque sociali, nec non societatis

cietatis

cietatis civilis, & ſtatus publici conſervatione fluentibus, ſatisfacere prompti ſunt, nec ex morbido reipublicæ ſtatu, nec ex malitia, tum concivium, tum exterorum impedimenta aut obſtacula ſentiant, ſed iis potius media quovis modo ſubminiſtrentur, ut imperturbate in felicitate progrediantur: ii vero, qui prava libidine ducti in transverſum rapiuntur, ac ſtatui publico & concivibus mala, quæ poſſunt, omnia concitant, tum in divinam, tum in humanam majeſtatem, in ſtatum publicum, atque concives injurii, pœnis, cum aliis ſalutaribus conſtitutionibus, in officio contineantur; ut ſaltem in actus externos non prorumpant depravatæ voluntatis machinamenta. Licet enim, ut in Politica docemus, ſummum imperantem de interna quoque virtute civium ſollicitum eſſe deceat: ubi tamen de ſecuritate tum publica, tum privata, ut maxime fit, pœnarum & præmiorum ope promovenda, agitur, tum ſatis habet, & habere debet imperans, ſi nihil eorum committatur, quo publica ſalus turbetur, aut cives lædantur, virtute atque vitiis internis ſub poteſtatem legislatoris humani non cadentibus; niſi mediate ſaltem, h. e. per alias ſalutares ordinationes facilem ad virtutem viam ſternendo.

§. LIV. Videmus adeo ſummi rectoris officium haud mininam ſui partem in legibus ferendis occupari; quarum complexus ex eo, quod hominis voluntatem pro fundamento agnoſcant, *jus poſitivum humanum* abſolvit.

De diverſis juris poſitivi partibus, quibus tum reſpublica, tum eccleſia regitur, nunc in genere & in ſpecie, habito reſpectu ad eccleſiam Catholicam, & imperium Romano-Germanicum, deſpicere lubet.

§. LV. Evicimus (§. XVII.) neceſſitatem eccleſiæ, ejusque porro regimen penes ſummum Pontificem reſidere,

non minus ex sana ratione, quam S. literis edocemur: *Joan.* 21. *Matth.* 18. Quapropter cum sine legibus nullus ordo, nulla tranquillitas in Universitate, sive sacra, sive profana, concipi possit: summo Pastori, sive Rectori ecclesiæ, potestatem, salutaribus legibus bono ecclesiæ & fidelium prospiciendi, dubiam velle reddere absurdum erit.

Leges sive regulas, quæ bonum ecclesiæ & fidelium pro fine habent, vocabulo græço Canones dixere sacri legislatores & SS. PP. forsan inde, quod sub Imperatoribus ethnicis, gemente adhuc ecclesia, sacras constitutiones leges appellare ausi non sint; inde vero juris canonici nomen esse, tralatitium est.

§. LVI. Est ergo jus canonicum in genere complexus canonum, sive legum, auctoritate summorum Pontificum nomine ecclesiæ latarum, juxta quas & ecclesia regitur, & fideles actiones suas, tum salutis æternæ consequendæ, tum justitiæ observandæ gratia, instituere obligantur.

Aliam juris canonici notionem exhibet R. P. Pichler in J. Can. proleg. n. 32. Jus canonicum, inquit, est jus positivum, a summis Pontificibus ecclesiæ Catholicæ nomine traditum, vel constitutum, vel approbatum, quo actiones & mores Christianorum ad cultum divinum, ad ordinem politicum in statu ecclesiastico, ad pacem & justitiam in populo fideli conservandam & augendam, ultimate vero ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis diriguntur; quam ideo magni facimus, quod triplicem illam divisionem, in quam jus canonicum dispertituri sumus, clare exhibeat. Perspexit nimirum vir plurimum reverendus & perspicacissimus alios esse canones, sive constitutiones sacras Pontificum, quibus præcepta Christiana, omnes fideles æqualiter stringentia, continentur; alios, quibus status ecclesiæ publicus absolvitur; alios denique, secundum quos personis ecclesiasticis indistinctim, & laicis in iis, quæ sunt juris divini, justitia venit administranda.

§. LVII. Ex potestate, Christi in terris Vicario in S. scriptura concessa, haud dubie intelligitur, multa ejus dispo-

diſpoſitioni circa gregis, ſibi commiſſi, ſalutem relicta eſſe: uti patet ex 18. *Math. v.* 18. & 19. & ipſa Univerſitatis Dei natura abunde loquitur; modo cogites non minus in ecclesia, quam in republica, multas ſanctiones, atque ſalutaria ſtatuta a ſucceſſivis temporum mutationibus pendere, quæ in primitiva inſtitutione exprimi, nec neceſſe, nec conſultum, conſequenter prudentiæ rectorum relinquenda erunt. Quapropter, quæ auctoritate ſummi Paſtoris pro ſalute fidelium æterna ſanciuntur, quoad vim obligandi nihil differunt ab iis, quæ ipſo jure divino poſitivo in S. literis expreſſa habentur: adeoque eccleſiæ præceptis & ſanctionibus vim legum divinarum adſcribere nullus dubito.

§. LVIII. Complexum præceptorum atque canonum eccleſiæ, ſumma Pontificum auctoritate ſancitorum, aut confirmatorum, quæ immediate populi Chriſtiani ſalutem æternam pro fine habent, *jus canonicum divinum* appello.

Nota tamen alia præcepta eccleſiæ eſſe univerſalia, quæ univerſum populum Chriſtianum ſtringunt; alia particularia, quæ ad certas provincias aut diœceſes diriguntur. Ceterum de objecto J. canonici divini non eſt, quod anxie hic diſquiramus; utpote quod ab inſtituto noſtro alienum eſt.

§. LIX. Reipublicæ Catholicæ atque univerſalis ſpeciem præſeferre eccleſiam (§. XXVII.) monſtravimus, & ex ipſa reipublicæ notione eruimus. Licet enim eccleſia territorium non habeat, ſed potius in regnis & territoriis, ſalvis Regum atque ſummorum magiſtratuum majeſtaticis juribus, ſubſiſtat: conſtat tamen ſummo Pontifici non in perſonas ſolum, quæ populo Chriſtiano ſacra adminiſtrant, res ſanctas, atque eccleſias &c. ſed & in fideles omnes, ratione eorum, quæ juris divini eſſe dignoſcuntur, abſolutum

competere imperium atque jurisdictionem, a nullo alio dependentem, quam per magistratus subalternos exercet. Quæ sane sufficiunt ad societatem, civili per omnia similem, constituendam, nisi in silicibus atque glebis rempublicam quæras. Porro si in omni civitate statum publicum legibus fundamentalibus superstrui convenit: præ aliis in hierarchia publica necessitas atque ecclesiæ stabilimentum exigere videtur, ut status publicus ecclesiæ, jura summi Pontificis, personarum & magistratuum subordinatorum, sacris constitutionibus determinentur, atque suffulciantur.

§. LX. Complexum canonum atque sacrarum constitutionum, tum juris divini positivi, tum humani, quibus status ecclesiæ publicus, summi Pontificis, personarum atque magistratuum ecclesiasticorum jura determinantur, *jus ecclesiasticum publicum* dicere lubet.

§. LXI. Ut appareat, quænam ad jus canonicum publicum; sive ecclesiæ, pertineant, superficiariam ejus sciagraphiam adjicere lubet. Libri forsan, & capita sequentia esse possunt: L. I. C. 1. de J. publico ecclesiæ in genere; 2. de J. publico ecclesiæ Romano-Catholicæ; 3. de principiis & fundamentis ecclesiæ Romano-Catholicæ, quæ in S. scriptura continentur; 4. de conciliis, & eorundem auctoritate; 5. de constitutionibus summorum Pontificum, quibus status ecclesiæ publicus absolvitur; 6. de usu & observantia in regimine ecclesiæ. L. II. C. 1. de summo Pontifice, ejusdem titulis & insignibus; 2. de summi Pontificis electione; 3. de summi Pontificis consecratione atque coronatione; 4. de sancta summi Pontificis majestate; 5. de juribus divino-majestaticis summi Pontificis circa sacra; 6. de juribus divino-majestaticis summi Pontificis circa profana; 7. de modis, quibus summus Pontifex esse desinit; 8. de sede Aposto-

poſtolica vacante. L. III. C. 1. de membris & rectoribus eccleſiæ ſubordinatis in genere; 2. de Cardinalibus, eorundem prærogativis & juribus; 3. de Patriarchis, & eorundem juribus; 4. de Archiepiſcopis metropolitanis; 5. de Epiſcopis; 6. de reliquis eccleſiæ officialibus, ſubofficialibus, paſtoribus, eorundemque juribus. L. IV. de modis perveniendi ad dignitates eccleſiaſticas majores 1. Cardinalatus, Patriarchatus, 2. Archiepiſcopatus, 3. Epiſcopatus &c. 4. hoc libro de collatione dignitatum eccleſiaſticarum majorum per manus ſummi Pontificis, de electione & poſtulatione, redemtione Pallii, confirmatione, & conſecratione erit disquirendi locus. L. V. C. 1. de conciliis & ſynodis eccleſiæ in genere; 2. de conciliis œcumenicis; 3. de conciliis nationalibus; 4. de conciliis provincialibus; 5. de conciliis diœceſanis aut epiſcopalibus; 6. de modis exequendi concluſa conciliorum, ubi de banno eccleſiaſtico. L. VI. de judiciorum eccleſiæ indole, & natura in genere, & in ſpecie. L. VII. C. 1. de Nuntiis Apoſtolicis, & eorum juribus; 2. de Legatis a latere, Vice-Legatis &c. 3. de ritibus, cærimoniis atque ſolemnitatibus, in legationibus ſummi Pontificis obſervandis; 4. brevis diſquiſitio de rationibus ſtatus eccleſiæ inſtituitur.

§. LXII. Perinde vero, ut in republica civium privatorum ſaluti ac tranquillitati ſalutaribus legibus proſpicitur: ex eadem ratione circa membra, perſonas, & res eccleſiaſticas ſacris conſtitutionibus providendum erit; partim, ut perſonæ eccleſiaſticæ rite ordinentur, atque conſtituantur, officiis ſibi incumbentibus ſatisfaciant, & bono eccleſiæ omni ſtudio invigilent; partim ut de rebus eccleſiaſticis tam acquirendis, quam conferendis, & alienandis vel teſtamentis, vel contractibus, de pœnis delictorum atque eorundem cœrcitione, de judiciorum ordine denique, atque foro eccle-

eccleſiaſtico ſtatui eccleſiæ convenientes leges ferantur. Etenim, ſi in omni civitate juſtitia adminiſtranda, & ſuum cuique tribuendum eſt; quid non de civitate Dei, juſtitiæ omnis fonte, dicendum erit?

§. LXIII. Complexum canonum, ſive legum, a ſummo Pontifice latarum, approbatarum vel confirmatarum, quibus officia, jura, nec non pœnæ perſonarum atque membrorum eccleſiæ privatorum determinantur, *jus canonicum privatum* appello.

§. LXIV. Ex dictis (§. LXII.) apparet, circa quæ ſummus eccleſiæ Paſtor poteſtatem ſuam legislatoriam exercere queat: ipſa vero juris canonici pertractatio ſequentibus libris comprehendi poterit. Libro I. de origine, auctoritate, & diverſa legum atque canonum eccleſiaſticorum indole, vi atque poteſtate diſſeritur. Liber II. ſtatus, jura, & officia perſonarum eccleſiaſticarum, ſive Clericorum & Laicorum, quatenus ſunt filii eccleſiæ, nec non modos, quibus ſacri ordines, aliæque dignitates ac ſtatus conferuntur, exhibet. Lib. III. jura rerum eccleſiaſticarum, ſpiritualium, atque temporalium, earum diviſionem, acquirendi, & alienandi modos ex SS. canonibus adumbrat. Lib. IV. de variis perſonarum eccleſiaſticarum & Laicorum delictis, criminibus, eorundemque pœnis. Libro V. de actionibus, quibus in foro eccleſiaſtico jura perſequimur, judiciis & eorum ordine diſquiritur. Prolixitatis evitandæ gratia titulos librorum non adjecimus; cum ex compendiis inſtitutionum juris canonici ſat ſuperque innoteſcant. Tantum de civitate Dei.

§. LXV. Quodſi tam antiquas, quam modernas regnorum atque rerumpublicarum hiſtorias vel obiter ſaltem

tem percurras: omnium ferme regiminis formas, jurium majeſtaticorum limitatum, vel illimitatum, exercitium, ſuccedendi modos tam electivos, quam hereditarios, pactis atque legibus fundamentalibus definitos, aut uſu ſaltem, atque obſervantia ſtabilitos, comperies: ut adeo cuivis ſtatui aut reipublicæ ſuum conſtet jus publicum ſpeciale, atque determinata regiminis forma. Enimvero ſi jura majeſtatica adminiſtrandi ratio, atque interna reipublicæ ſtructura non adeo longe a primis & ſimplicibus juris publici univerſalis regulis recedat: vix eſt, ut peculiare ſtudium ſtatus politici notitia requirat; quin commode in ipſo jure naturæ politico ſtudioſæ eorum, quæ in patria geruntur, juventuti tradi poterunt. Aliter ſeſe res habet de imperio Rom. Germanico, cujus ſtupenda prorſus, mirabili atque intricatiſſimo mutationum ſucceſſivarum nexu enata regiminis forma, ſtatuum, de ſummo imperio participantium, multitudo, tam quoad potentiam, quam ſuperioritatis jura, inæqualitas, in religionis materia diſſenſus, diſſimilis territoriorum, quoad internam ſtructuram, habitus, laxus ac in multis ſolutus pene membrorum tam inter ſe, quam cum Imperatore & imperio nexus, fluctuans, atque difficilis bella gerendi, & negotia publica expediendi ratio, mutua denique ſtatuum renitentia inexplicabili propemodum labyrintho, ante tempora præſertim J. pacis, jura imperii atque ſtatuum publica involverant, ut vix hodiedum omni ex parte in tuto ac certo locata videantur. Atque inde eſt, quod ſummi in imperio Imperantes tanta cura atque ſollicitudine de ſtatu imperii publico definiendo, juribus Imperatoris, ſtatuum, ac reliquorum membrorum imperii, necnon modis adminiſtrandi juſtitiam determinandis cogitarint, & in hunc usque diem indefeſſo ſtudio laborent, ut automa politicum imperii R. G. in conſenſum harmonicum redigatur.

Hinc est, quod a plus quam sæculo legum imperii fundamentalium, atque publicarum studium dignum, imo summe necessarium, judicatum fuerit, quod in Academiis nostris, secus ac in aliis regnis, publice traderetur.

§. LXVI. Complexus legum fundamentalium & publicarum, quibus tum forma imperii Romano-Germanici, tum jura statuum atque membrorum determinantur, jus publicum imperii Rom. Germanicum audit.

Loquimur hic de jure publico totius imperii, seu systematis majoris, quod, ut dixi, ex minoribus illis consociatis, aut vi antiqui nexus vasallitici adhuc cohærentibus, componitur. Cum tamen quodvis territorium speciali regiminis forma regatur: patet tot esse in imperio jurium publicorum diversas species, quot diversa territoria comparent: unde difficultas in acquirenda perfecta status atque jurium in imperio notitia elucet.

§. LXVII. Juris publici imperii R. Germanici objectum optime omnium ex annexo schemate apparebit. Retinemus vero in disponendis juris publici capitibus methodum ex naturali & scholæ ordine mixtum; ut, quantum datur, veritates etiam in jure publico connectantur, ac memoriæ insuper consulatur. In prolegomenis proin de jure publico in genere & in specie imperii R. Germanici, ejus indole, origine, & progressu philosophice, juridice, atque historice disquirimus.

Pars I. præcognita juris publici imperii R. Germanici, principia & notitias præliminares historice exhibet. Sectio I. notitiam imperii tam geographicam, quam politicam, atque membrorum divisionem adumbrat. C. 1. originis imperii R. Germanici historica, & brevis notitia; 2. de finibus & divisione imperii geographica; 3. de divisione imperii

perii politica in archiepiſcopatus, epiſcopatus, abbatias, prælaturas, ducatus, palatinatus, marchionatus, landgraviatus, comitatus &c.; 4. membrorum tam imperantium, quam co-imperantium atque parentium hiſtorica deſcriptio; 5. de ſtatibus eccleſiaſticis, atque eorundem origine; 6. de ſtatibus ſæcularibus; 7. de membris imperii reliquis eadem ratione breviter diſſeritur. Sect. II. de principiis, ex quibus jura tam imperantium, quam co-imperantium, atque parentium deducuntur. C. 1. de legibus fundamentalibus, & regno, pactis limitato, in genere; 2. de legibus fundamentalibus & publicis imperii R. Germanici; 3. de A. Bulla; 4. de pace Weſtphalica; 5. de capitulationibus, quibus forma potiſſimum & ſtatus imperii publicus definitur; 6. de receſſibus; 7. de pace profana; 8. de pace religioſa; 9. de uſu & obſervantia, quibus publica, partim ſtatuum, partim privatorum jura continentur.

Pars II. ſtatum imperii publicum, & jura tam imperantium, quam co-imperantium in ſyſtemate majori adumbrat. Sectio I. de Imperatore, Auguſta, Rege Romanorum, & Vicariis imperii. C. 1. de Imperatore, ejus titulis, & inſigniis; 2. de electione Imperatoris; 3. de coronatione Imperatoris; 4. de modis, quibus Imperator eſſe deſinit; 5. de Auguſta; 6. de Rege Romanorum, ejus electione, & coronatione; 7. de interregno, & imperii per Vicarios adminiſtratione. Sectio II. de membris imperii co-imperantibus. C. 1. de Electoribus in genere & in ſpecie; 2. de Principibus eccleſiaſticis in genere, & in ſpecie; 3. de Principibus ſæcularibus in genere & in ſpecie; 4. de Abbatibus, Prælatis &c.; 5. de Comitibus, Baronibus &c.; 6. de civitatibus imperii liberis. Sect. III. de juribus majeſtaticis imperii in ſyſtemate majori, ſive totius imperii. C. 1. de juribus majeſtaticis ſyſtematis majoris in genere; 2. de juribus maje-

staticis, quæ Imperator solus exercet; 3. de juribus majestaticis, quæ Imperator cum Electoribus administrat; 4. de juribus comitialibus, communi Imperatoris & trium collegiorum suffragio expediendis; 5. de juribus Vicariorum imperii durante interregno. Sect. IV. de modo administrandi jura majestatica & promovendi salutem imperii R. Germanici in systemate majori. C. 1. de comitiis imperii universalibus; 2. de comitiis imperii particularibus; 3. de indole, juribus, ut & conventibus circulorum, & negotiis ibidem expediri solitis; 4. de diætis & conventibus collegii electoralis; 5. de conventibus particularibus ceterorum statuum.

Pars III. indolem, jura, & naturam systematum imperii minorum, seu territoriorum, adumbrat. Sect. I. C. 1. de superioritate territoriali in genere; 2. de superioritate territoriorum imperii R. Germanici; 3. de nexu vasallitico statuum imperii cum Imperatore atque imperio; unde systema majus oritur; 4. de modis, quibus in territoria succeditur. Sect. II. jura superioritatis territorialis exhibet. C. 1. de juribus territorialibus statuum in genere; 2. de jure circa sacra; 3. de jure legendi militem; 4. de jure leges & statuta condendi; 5. de jure magistratus ordinandi; 6. tribunalia justitiæ erigendi; 7. puniendi delinquentes; 8. scholas & Academias adornandi, & restaurandi; 9. jus Archivi; 10. jus indicendi comitia provincialia; 11. jus conferendi dignitatum & honorum gradus &c. 12. jus indicendi collectas &c. Sect. III. de specialibus statuum imperii juribus, nec imperii administrationem publicam nec superioritatis territorialis jura respicientibus. C. 1. de juribus Electorum ecclesiasticorum specialibus, vi legum imperii fundamentalium & publicarum, concessionis imperatoriæ, pactorum, & observantiæ imperialis; 2. de juribus Electorum sæcularium, quatenus ex legibus imperii fundamentalibus, concessionibus imperatoriis, pactis & observantia deducuntur. 3.

de

de juribus Principum eccleſiaſticorum ſpecialibus; 4. de juribus Principum ſæcularium peculiaribus, virtute legum imperii fundamentalium &c.; 5. de juribus Comitum, Baronum &c.; 6. de juribus civitatum ſpecialibus vi legum imperii fundamentalium &c. Sect. IV. de membris imperii, qui ſtatus non ſunt. C. 1. de Nobilitate imperii im̄ediata; 2. de ſuperioritate territoriali Nobilitatis imperii im̄ediata; 3. de juribus Nobilitatis imperii immediatæ; 4. de reliquis imperii Sub-Vaſallis, membris, & eorundem juribus; 5. de civitatibus imperii liberis, quæ votum & ſeſſionem in comitiis non habent.

Pars IV. Sect. I. de judiciis imp. R. Germanici. C. 1. de origine & indole judiciorum in imperio R. Germanico in genere; 2. de Auſtregis; 3. de judicio imperii aulico; 4. de judicio imperii camerali; 5. de judicio Rothwilenſi; 6. de reliquis imperii judiciis; 7. de modo exequendi mandata atque judicata in ſummis imperii tribunalibus. Sect. II. conſideratio politico-juridica imperii R. Germanici. C. 1. de principiis ad ſtructuram politicam imperii dijudicandam requiſitis; 2. de forma imperii R. Germanici; 3. de ratione ſtatus imperii R. Germanici.

§. LXVIII. Jus imperii publicum, quam potuimus, breviſſime adumbravimus: id nunc ſupereſt, ut in legum civilium fundamentum inquiramus. Ex Politices parte tam generali, quam ſpeciali (§§. XXV. & XXVI.) elucet, quæ ſummi Imperantis tam circa reipublicæ, quam civium privatorum ſalutem atque tranquillitatem promovendam ſint officia & jura: atque (§. XLIX. & L.) fortiſſimum ſalutis publicæ Palladium in legibus ſitum eſſe oſtendimus. Quapropter ea, quæ dicto loco curæ imperantis adſcripſimus, ordinationibus atque legibus, naturæ & indoli ſtatûs convenientibus, definienda, jubenda, prohibenda atque ordinanda erunt.

§. LXIX. Definimus proinde *jus civile* per complexum legum, a ſummo magiſtratu ſancitarum, quibus tum reipub-

licæ, tum civium privatorum salus, securitas atque tranquillitas promovetur.

Est hæc definitio juris civilis generalis; quatenus nimirum totum potestatis legislatoriæ in civitate ambitum exhaurit. Difficillimum esse cum sapientia leges condere, ex sequentibus, quæ de partibus juris civilis docebimus, palam fiet.

§. LXX. Quodsi, quæ de objecto Politices superius dicta fuerunt, recolligas: multa deprehendes, quæ integræ civitatis, seu reipublicæ, immediate, privatorum vero mediate saltem, quatenus scilicet societas civilis medium est felicitatis singulorum, salutem spectant. Legislatoris adeo circumspecti, atque ordinem in civitate amantis, cura utique digna judicabuntur.

§. LXXI. Complexum legum, auctoritate summi magistratus constitutarum, quibus publica status salus, & utilitas continetur, *juris civilis publici* nomine compellamus.

Leges publicæ Romanorum passim in Corpore juris, præsertim in libris posterioribus Codicis, dispersæ inveniuntur: quam inconcinne autem ad statum imperii præsentem trahantur, & quæ ex sinistra illa applicatione legum forensium mala sentiat Germania nostra, judicent ii, quibus penitior rerum politicarum, & status præsentis imperii nostri notitia animo hæret.

§. LXXII. Pertinent vero ad jus civile publicum 1. ordinationes circa Universitates & Academias scientiarum atque artium liberalium, scholarum, opificiorum & artium mechanicarum; 2. ordinationes ecclesiasticæ, Kirchen-Ordnungen: in quantum nimirum sub potestatem civilem cadunt, & quisque territorii dominus ecclesiæ protector & advocatus esse censetur; 3. ordinationes agorenses atque taxatoriæ, Mark- und Tax-Ordnungen; 4. ordinationes

nes ædiles, Bau-Ordnungen; 5. ordinationes circa incendia præcavenda & reſtinguenda, Feur-und Lösch-Ordnungen; 6. ordinationes circa morbos, præſertim peſtem avertendam, Kranken-und Pest-Ordnungen; 7. ordinationes circa pauperes, Armen-Ordnungen; 8. ordinationes circa veſtimenta, Kleider-Ordnungen; 9. ordinationes ſumtuariæ; 10. ordinationes circa viarum publicarum commoditatem, Weeg-Ordnungen; 11. ordinationes circa navigationem, Schiff-Ordnungen; 12. ordinationes poſtarum, Post-Ordnungen; 13. ordinationes ſylvaticæ, pecuariæ &c. Wald-Viehezucht-Ackerbau-und Garten-Verordnungen/ & aliæ plurimæ ſalutares conſtitutiones, quibus ordo in civitate conſervatur. Patet autem, jus civile publicum, moderno reipublicæ noſtræ ſtatui conveniens, meditaturo id præterea agendum eſſe, ut ex legibus & ſtatu civitatis intimo officia & jura eorum, quibus ordo civitatis atque Politiæ committitur, exacte deſcribat.

§. LXXIII. Privatorum non minus quam publicæ civitatis ſaluti proſpicere imperatorium decet officium; ut ſuperius monſtravimus. Quamobrem, cum ex ſocietatibus œconomicis, conjugalibus ſcilicet, paternis, herilibus, & ex his enatis familiis, plerumque coaleſcant reſpublicæ; enimvero citra rectam ſocietatum minorum inſtitutionem, ordinem civitatis ac felicitatem privatorum fruſtra tentaveris: primum, quod circa privatorum ſalutem meditabitur imperans, eo redit, ut ſocietatum œconomicarum formas, eas conſtituendi, conſervandi, ac reſolvendi modos, nec non officia & jura membrorum, eas ingredientium, aptis legibus definiat. Porro ex rationibus juris naturalis politici, præter ſtatus hominum naturales, diverſos ſtatus civiles in rempublicam coaleſcentibus ſuperaccedere, ac utroſque varia jura ac officia, ſeu obligationes conſequi conſtat. Tollendis igitur omnibus diſſidiorum atque controverſiarum, ſuper ſtatu moveri ſolitarum, cauſis, jura & officia, ex ſtatibus

tibus hominum, sive naturalibus, sive civilibus, emanantia, legibus circumscribenda erunt.

Nec vero inanem hanc operam existimes, quam in leges civiles, circa societates oeconomicas & status personarum statuminandas, impendendam esse innuimus. Nam ut taceam, nullam ferme in jure civili occurrere quaestionem, quae non certum personae statum supponat, ex distincta status personarum in republica cognitione unice de sapientia legum & legislatorum judicari potest. Unde oppido liquet, imprudentissime facere eos, qui jura extranea in rempublicam diversa plane regiminis forma, morum, statusque personarum indole praeditam, invehere, quam ex domesticis principiis & natura status intima leges cum sapientia condere malunt. Non tamen negamus, aliorum populorum instituta & leges, praesertim si cum sapientia latae sint, emendationem juris meditaturis insigniter inservire. Pudeat aliquando Germanos nostros, exculta & ad immortalem gentis gloriam ad apicem quasi perfectionis evecta juris naturalis & verioris Politices doctrina, in alienis legum ambagibus fluctuari, quam domi in portu securo navigare, satius ducere.

§. LXXIV. Procedit eodem modo demonstratio, dum legum civilium circa jura, obligationes & actiones hominum privatorum, quae ex introducto rerum dominio & contractibus, laesionibus, & aliis negotiis fluunt, necessitatem evincere laboras. Etenim, ex quo partim sana ratio, quae meliorem vivendi modum deteriori praeferendum esse ipsa inculcat, partim hominum, in societate civili viventium, multitudo, partim etiam luxus & voluptatis amor impulere homines, ut rudiorem ac simpliciorem vivendi rationem aspernantes bona naturalia industria sua & arduo manuum labore non perficerent solum, sed & mille modis ad usus vitae adaptarent, mirum quantum multiplicata fuisse inter homines negotia, acquirendi & alienandi modos, experientia teste comprobatur. Quodsi cum his hominum naturam, & corruptos mortalium mores conferas: haud obscu-

obscure colliges, in tanta hominum & rerum multitudine, innumeras circa meum & tuum controversias, dolos & fraudes infinitas evitari difficulter, aut vix potuisse. Quapropter, vi majestatici, sibi incumbentis, officii, legibus saluti ac securitati privatorum consulere, modos dominia rerum acquirendi, administrandi, transferendi & alienandi definire, contractuum formas, & quid in ambiguis negotiis & circa læsiones juris sit, determinare, legislatoris esse patet.

Plura de his differentem vide *perill.* WOLFFIUM in Politices, idiomate Germanico conscriptæ, *P. 2. C. 4. de legibus civilibus*, uberiorem tamen de iis pertractationem in jure naturæ politico Latino, quod avidi exspectamus, promittentem.

§. LXXV. Definire adeo licet jus civile privatum, quod sit complexus legum, a superiore latarum, quibus jura civibus, tam ratione statuum & societatum œconomicarum, quam ratione bonorum atque læsionum competentia, determinantur.

§. LXXVI. Ex iis, quæ diximus, haud obscure liquet, circa quæ jus civile privatum versetur: atque adeo supervacaneum ducimus, plura de objecto juris civilis privati adducere; præsertim cum ex compendiis juris nullo labore eruatur. De methodo pauca quidem moneri poterant: sed de ea capite quarto acturi sumus.

§. LXXVII. Ad securitatem reipublicæ ac civium potissimum pertinet, ut nefarii hominum deperditorum ausus reprimantur, ac ne quid vel contra rempublicam, vel contra civium salutem, vitam, aut bona intentent, contineantur. Post religionis & gratiæ subsidia, omnium efficacissima, hic deprehendimus virtutis internæ incitamenta, aut præmiorum atque pœnarum stimulos. De præmiis &

virtute interna alio loco, nimirum in Politica & jure civili publico disquirimus, eamque omni studio promovendam esse, docemus. Quodsi vero non obstante, quidquid hunc in finem moliatur imperans, affectibus indulgentes rationis imperio se submittere detrectent malevoli: nil superest, quam ut cum actionibus, quibus vel publica vel privatorum salus læditur, pœnas connectat legislator. Quapropter non exiguam prudentiæ civilis rectoriæ partem in pœnarum sanctione occupari patet.

§. LXXVIII. Complexum legum, a summo magistratu latarum, quibus criminibus atque delictis pœnæ statuuntur, *jus civile criminale* compellamus.

§. LXXIX. Quodsi expendas, quæ civibus tum vi legum naturalium, divinarum atque humanarum incumbunt officia, quotque modis iis contraveniri, divina & humana majestas, respublica, civesque privati lædi possint: haud anxius determinabis, quibus, & quæ actionibus hominum pœnæ decernendæ sint. Injurii nimirum sunt homines vel in Deum, vel in summos magistratus, vel in rempublicam, vel in concives & proximos, vel in se ipsos. Quapropter, præmissis de jure criminali principiis generalibus atque pœnarum natura penitius exposita, 1. de delictis, quibus majestas divina, religio & res sanctæ; 2. de delictis, quibus summi imperantes; 3. jura majestatica; 4. civitatis salus publica; 5. cives, vel in corpore, bonis fortunæ, fama atque honore læduntur; 6. denique de delictis hominum in se ipsos atque pœnis, quibus coercentur, disquirendum erit.

§. LXXX. Ad modos, quibus de rebus suis disponunt homines, refertur quoque concessio dominii utilis sub lege fidelitatis, reservato sibi dominio directo; quæ species, de suo dispo-

diſponendi, feudum dicitur. Rationes, quæ feudorum inſtitutum ſuadeant, in republica variæ eſſe poſſunt. Nam 1. populi, apud quos rarior aut nullus pecuniæ uſus eſt, vix comodiori ratione miniſtris publicis, ſive in ſago, ſive in toga militantibus, ſtipendia aut ſalaria conſtituere poterunt, quam prædia iis ſub promiſſione ſervitiorum, vel militarium, vel aulicorum ita aſſignando, ut dominium directum penes rempublicam maneat, dominio utili in vaſallum translato. Exempla Sinenſes & Japonenſes, imo ipſi Germani anteceſſores noſtri ſuppeditant; 2. deinde ipſa naturalis æquitatis ratio jubet, ut iis, quorum præ ceteris in rempublicam merita extant, condigna laborum præmia retribuantur. Enimvero quis non videt, id cum minimo ærarii publici diſpendio fieri, ſi v. g. devictorum bona militibus, ſub lege fidelitatis & ſervitiorum militarium, concedantur. Hoc inſtituto Germanos olim uſos fuiſſe, indubia hiſtoriarum & feudorum, ad nos uſque continuatorum, fide docemur. Porro ex quo hereditaria eſſe cœpere feuda, ac tum in acquiſitione, adminiſtratione, alienatione, amiſſione, contractibus & delictis, vaſalli non minus ac Domini a civilibus diverſis juribus uterentur: ratio patet, cur inter juris partes ſpecialem locum jurisprudentiæ feudali aſſignaverint JCti.

Poterat quidem jurisprudentia feudalis cum civili conjungi; annectendo nimirum ad quemvis titulum, quæ de feudis ſpecialiter conſtituta ſunt jura: plane ut jurisprudentiam de ſervis Romanorum per omnes corporis juris libros & titulos diffuſam conſpicimus. Nos nihilominus Germanorum hac in parte prudentiam non immerito commendamus, genuinis methodi regulis apprime convenire judicantes, ut feudorum inſtituta ſeparatim tradantur. Utinam eadem ratione, quæ de ſervis conſtituta ſunt, a ceteris legibus ſeparaſſent Romani; non intricatis adeo ac maximam partem ad ſtatum noſtrum inapplicabilibus legibus laboraret patria noſtra. Si Deus vitam dederit, otiumque, ſpecimen jurisprudentiæ ſervilis Romanorum aliquando publici juris faciemus, hoc ipſo modum monſtraturi, jura exotica defæcandi, atque in uſum fori adaptandi.

§. LXXXI. Complexum legum ac consuetudinum, quibus jura dominorum directorum ac vasallorum circa feuda determinantur, *jus feudale* dicimus.

Nota in imp. Rom. Germanico intricatissimam esse jurium feudalium doctrinam; non tantum, quod pro diversitate territoriorum varient, sed quod ipsa territoria imperii immediata antiquam feudalitiam indolem in hunc usque diem conservarint; ex eo vero, quod communes feudorum consuetudines iis omnino applicari nequeant, peculiaris feudorum imperii immediatorum doctrina ex legibus imperii fundamentalibus, & publicis, observantia imperiali, pactis, & subsidiarie ex jure feudali communi repetenda sit.

§. LXXXII. Objectum juris feudalis constituit, quidquid sub lege fidelitatis & servitiorum alteri ita concedi potest, ut dominium directum penes concedentem maneat, utili in vasallum translato; bona scilicet tam mobilia, quam immobilia, corporalia, quam incorporalia, sive jura ecclesiastica & sæcularia, publica atque privata. De methodo & dispositione materiarum non est, quod multis agamus, utpote in compendiis, inter quæ Jo. Laurentii Fleischeri, JCti in Hallensium Universitate antecessoris celeberrimi, institutiones juris feudalis ceteris præferimus, passim conspicuas.

§. LXXXIII. Salutem reipublicæ ac civium privatorum absque sumtibus & subsidiis necessariis promoveri nequaquam posse ultro largieris; modo, quæ hactenus de summorum & subalternorum magistratuum necessitate eorundemque officiis dicta fuere, in animum inducas. Quapropter non solum summis imperantibus, &, qui vicibus eorum in provinciis funguntur, magistratibus subalternis reditus convenientes constituendos, sed & militi, vel perpetuo, vel temporario, alendo & sustentando, fortalitiis aliisque operibus publicis construendis, conservandis ac reparandis

im-

impenſas neceſſarias deſtinandas eſſe, patet. Ubi in politicis de contributionibus ad onera reipublicæ agimus, diverſos earundem modos ſub incudem revocamus. In genere liquet, œconomiam ſtatus ſic eſſe ordinandam, ut ſubditi, quam poteſt, minime inde prægraventur. Hinc inter politiores gentes domania, ſive bona coronæ, a civium prædiis ſeparata, ac ſeorſim adminiſtrata videris, jura quoque, quæ non facile, vel ſine reipublicæ detrimento privatorum dominio ſubjici poterant, v. c. jus venandi, jus metallorum &c. ſummæ majeſtati annexa fuiſſe, omnium temporum hiſtoria & ſanioris politices principia docent. Quodſi nec bona domanialia, nec regalia minora ſufficiant: ex bonis privatis civium proportionalia onera colligenda eſſe, ex iisdem principiis indubia ſequela fluit. Quemadmodum autem nihil eorum, quæ juſtitiæ adminiſtrationem, ac jurium, cuivis competentium, conſervationem reſpiciunt, legislatoris vigilantiam effugere debet: ita ſollicitum eſſe omnino convenit, ut & ſummæ majeſtatis, & reipublicæ, ut & privatorum jura, privilegia & onera circa bona domanialia, regalia minora, & modos contribuendi, legibus determinet.

§. LXXXIV. Complexus legum civilium, quibus jura tum publica ſtatus, tum privata ſubditorum, circa bona domanialia reipub., regalia minora, & modos contribuendi determinantur, *jus civile œconomicum, ſive camerale*, compellatur.

Non hic agimus de ſcientia œconomica camerali, quam definio per habitum, reditus atque modos contribuendi ad reipublicæ onera, ex penitiori ſtatus indole determinandi, & merito ad Politicam, propriam hujus doctrinæ ſedem, refertur: ſed de eo, quid circa reditus principis & modos collectandi juris ſit, diſquirimus. Prudentiſſimo conſilio in Academiis ſcientia œconomico-cameralis noſtris temporibus doceri cœpit; aſt tum demum fructum inde

inde sentiet respublica, ubi cum rerum œconomicarum scientia juris cameralis prudentiam reditus principum olim administraturi conjunxerint; ut sapientes non solum ærarii publici œconomi, sed & justi sint in controversiis œconomico-cameralibus judices.

§. LXXXV. Jus civile œconomico-camerale præcipue definit, quæ circa reditus, regalia minora, ærarium, & fiscum tum Principis, tum civium; sint jura, hinc de objecto vix opus est, ut pluribus dispiciamus: celebriora tamen capita ideo adjicere libuit, ut non absque ratione hanc jurisprudentiæ partem a reliquis separasse videamur. Præmissa itaque juris œconomico-cameralis & personarum, ærarium Principis administrantium, generali doctrina; 1. de jure bonorum domanialium Principis & reipublicæ; 2. de jure metallifodinarum, auri, argenti, stanni, cupri, &c.; 3. de jure salinarum; 4. de jure braxandi; 5. de jure circa molendina bannalia; 6. de jure venationum; 7. de jure piscandi; 8. de jure fluminum, riparum & littorum; 9. de jure pontium, passagiorum & viarum; 10. de jure conductus; 11. de jure teloniorum; 12. de juribus & privilegiis Postarum; 13. de jure detractus; 14 de juribus fisci; 15. de jure circa collectas, vectigalia & tributa; 16. de jure circa operas rusticorum & hominum propriorum; 17. de jure circa catastra, & repartitionem onerum publicorum &c. disquirendum erit.

§. LXXXVI. In civitate vindictæ privatæ locum nullum concedendum, nec relinquendum esse, in jure publico universali docemur. Constituendi itaque sunt judices, & judicia ordinanda, coram quibus de jure suo cuique experiri integrum sit. Quodsi judiciorum naturam & indolem penitius intuearis: præter partes litigantes, actorum scilicet & reum, atque judices, causarum patronos aliasque personas minus principales, ministerio suo cursum justitiæ promoventes, in iis occurrere comperies. Quapropter cum plurimum

rimum interſit reipublicæ & civium tranquillitati, ut lites omni modo abbrevientur, earumque numerus imminuatur: definitis per certas & indubias leges negotiis & juribus, de quibus actionem coram judice inſtituere licet, ordo præterea, forma & tempus, jus ſuum in judicio perſequendi, proponendi ſcilicet, probandi & deducendi, modi judicata exequendi, nec non jura & officia judicum, advocatorum, procuratorum, aliarumque perſonarum adminiculantium, tam in primis quam ſecundis inſtantiis, legibus determinare omnino convenit; ut tam litigantibus quam judici lites protelandi, aut cum partium diſpendio perpetuandi, via præſcindatur.

§. LXXXVII. Complexum legum, a ſuperiore latarum, quibus ordo judiciarius & modus, ſuum in judicio perſequendi, determinatur, *jus civile proceſſuale*, *ſive judiciarium*, vocamus.

Cum vero pro diverſitate jurium atque negotiorum, in judicium deductorum, nec non pro ratione perſonarum modus procedendi & judiciarius ordo variet; quod facile demonſtrari poteſt: patet jus civile judiciarium in tot abire partes, quot juris civilis claſſes conſtituimus. Hinc alius erit ordo judiciarius, & modus procedendi in foro & cauſis eccleſiaſticis; alia ratione negotia civilia terminabuntur; alio ordine cauſæ feudales, alio œconomico-camerales, alio denique criminales diſceptabuntur.

§. LXXXVIII. Objectum juris civilis judiciarii eſſe judicia, res atque perſonas, quæ in judiciis occurrunt, ex antecedentibus liquet: atque adeo 1. poſt perſonarum, judicium conſtituentium, obligationes, jura & officia 2. cauſæ, in quibus jurisdictio fundata, probe definiendæ, atque ab iis, quæ forum diverſum agnoſcunt, probe ſecernendæ erunt; cum jurisdictionum conflictus quam maxime juſtitiæ curſum retardet; 3. actus ad diſceptationem juris, in foro perficiendam,

dam, neceſſarii ordinata ſerie legitima deſcribendi; 4. denique modus, judicata exequendi, ſufficientibus legibus ſtabiliendus erit. Quæ cum ad amuſſim in ordinatione Camerali, atque receſſu imperii de anno 1654. ſapientiſſimi imperii noſtri legislatores obſervarint: illuc lectorem, qui penitius ordinis judiciarii partes noſſe deſiderat, brevitatis gratia remittimus.

§. LXXXIX. Præcipuas jurisprudentiæ partes, quarum potiſſima in regimine civili applicatio eſt, breviter exhibuimus, in principia & ordinem, quo tradendæ ſunt, nunc inquiſituri. Ne vero prolixitate & multitudine partium terreare, id velim advertas: ut varia & multiplicia ſunt magiſtratuum officia, unius hominis vires longe ſuperantia; ita conſultum, imo neceſſarium eſſe, ut peculiarem ſibi quisque tam in publicis, quam privatis negotiis adminiſtrandis Spartam ſeligat, atque leges & jura, eo maxime pertinentia, cumprimis ſibi familiaria reddat. Ita enim eveniet, ut, cum ſinguli demandata ſibi officia bene adminiſtrant, univerſæ reipublicæ ſalus & tranquillitas unitis omnium viribus non impedito ſucceſſu promoveatur. Sic e. g. qui ærarii publici curam olim in ſe ſuſcipere cogitat, ſatis habet, ſi hauſta penitiori juris naturæ & ſolidioris Politices doctrina, in praxin & juris civilis œconomico-cameralis ſcientiam ingenii ſui vires intendat; inſuper habitis, quæ de jure gentium, jure publico ſpeciali, eccleſiaſtico, aut imperii noſtri R. G. ſuperius dicta fuere. Magna ſane, & deploranda ea eſt temporum noſtrorum injuria, quod, quæ juvenes in Univerſitatibus cœco ardore addiſcimus, ad praxin vitæ progreſſis non ſine labore plerumque dediſcenda ſint. Atque hinc eſt, quod, qui diuturna praxi veram non fucatam civilem prudentiam ſibi compararunt, academica ſtudia nullo diſcrimine faſtidiant, quæ tamen baſis & fundamentum

totius

totius praxeos vitæ eſſe debebant. Sed reddetur ſuus Academiis honos, dum, quæ hucuſque de ſtudio juris innuimus, in iis tradenda curabunt, quibus ſcientias utiles promovere incumbit. Ceterum de jure militari idem velim teneas, quod de *jure* feudali (§. LXXX.) in notis monuimus: nimirum, *ſi* a civili jure admodum diſcrepant inſtituta militaria, ſeparatim ea & pertractari & doceri in Academiis poſſe.

CAPUT III.

DE PRINCIPIIS PARTIUM JURIS ET EARUNDEM ORDINE.

§. I. P*Rincipium* dicitur id, quod in ſe rationem continet alterius: id vero, quod rationem ſui in altero agnoſcit, *principiatum appellatur.*

Cum ratio anteponenda ſit, quam id, quod per eam potius eſt, quam non eſt: principium principiato prius eſſe patet.

§. II. Decantata eſt apud Philoſophos principii diviſio in *principium eſſendi*, *fiendi*, & *cognoſcendi*. *Eſſendi* principium eſt id, quod in ſe continet rationem poſſibilitatis alterius: quod autem rationem actualitatis, principium *fiendi*: denique propoſitiones, ex quibus veritas aliarum propoſitionum intelligitur, principia *cognoſcendi* dicuntur.

Nos impræſentiarum de principiis cognoſcendi, quæ proprie principiorum nomine veniunt, tantum ſolliciti ſumus, methodum ſcilicet & ordinem ſtudii juris adumbraturi.

§. III. In partibus juris, quas *cap. præced.* delineavimus, leges occurrunt, quarum veritas demonſtranda eſt.

O Quod

Quod cum fieri nequeat, nisi in subsidium vocatis veritatibus, & propositionibus aliunde petitis: principiis opus esse patet. (§. II.) Definimus proin *principia juris*, quod sint notiones & propositiones, ex quibus veritas legum & jurium demonstratur. Enimvero cum non leges singulas demonstrare, sed partium solum juris principia & ordinem indigitare propositum sit: per principia hic intelligimus disciplinas, aut complexum notionum ac propositionum, quæ in quavis parte juris præsupponuntur.

§. IV. Si notiones ac propositiones, quæ in partibus juris supponuntur, immediate in demonstrationes influant; erunt illæ principia *proxima*: sicut *remota* dicimus, quæ nonnisi mediate demonstrandis juribus inserviunt. Porro, cum tam definitiones, quam facta historica antecedanea præsupponi non contingat: principia alia *historica*, sive facti, alia *dogmatica*, sive a priori esse, patet.

§. V. Ordinem in genere definimus per similitudinem obviam in modo, quo res juxta se invicem collocantur, vel se invicem consequuntur. Quodsi igitur partes juris ita pertractes, ut præmittas eas, quæ subsequentibus principia suppeditant: tempus & ratio cujuscunque partis per eandem regulam generalem determinatur. Erit adeo in modo, quo se invicem subsequuntur, similitudo obvia, consequenter ordo; uti ex definitione ordinis constat. Definiri adeo poterit ordo partium juris, quod sit ea dispositio partium juris, qua cognitio unius viam sternit ad cognitionem alterius.

Sancte custodiendum esse ordinem in studiis, methodi scientificæ regulæ insinuant, & certitudo omnimoda, cui in scientiis studendum, abunde loquitur. Qui præposterum, quo studia in plerisque

riſque Academiis pertractantur, ordinem expendit, emendatrici hac parte manu opus eſſe, facile mecum conſentiet.

§. VI. Philoſophia practica univerſalis regulas actionum liberarum generaliſſimas tradit (XLVII.). Quodſi adeo methodo demonſtrativa tradi debeat: præter Philoſophiam rationalem, quæ mentem humanam in cognitione omnis veritatis dirigit, exaſciata animæ ejusque facultatum ſcientia, ſive Pſychologia, præmittenda eſt; ut natura actionum liberarum probe intelligatur. Porro in Pſychologia ſæpiſſime ad doctrinam mundi in genere, ſive Cosmologiam, recurrendum eſt; nec quæ de legibus, virtute, vitiis, conſcientia, mediis & impedimentis felicitatis traduntur, absque cognitione Dei omnimode & perfecte concipiuntur. Quare ſine Cosmologiæ & Theologiæ naturalis fundamentis ad Philophiam practicam univerſalem aditus vix patebit. Denique cum notionum & propoſitionum directricium in omni cognitione indiſpenſabilis ſit uſus: vide *perill.* WOLFF. *diſſ. de notionibus directricibus, in horis ſubſecivis, trimeſt. vern. p.* 3. *& ſeq.* nec iis carere poterit, cum fructu in Philoſophia practica verſaturus. Petit adeo Philoſophia practica univerſalis principia ſua, 1. ex Philoſophia prima, ſeu Ontologia; 2. ex Cosmologia, ſive doctrina de mundo in genere; 3. ex Pſychologia, ſive doctrina de anima; & 4. ex Theologia naturali, ſive doctrina de Deo.

Propria vero, & domeſtica principia definitiones limatæ & completæ terminorum, quæ in Philoſophia practica occurrunt, nec non propoſitiones determinatæ ſuppeditant. Sed de his jam non quærimus, cum id ſaltem intendamus, ut palam faciamus, quibus principiis juris ſtudioſum, methodi amantem, inſtructum eſſe oporteat, antequam ipſas diſciplinas, de quibus ſermo eſt, aggrediatur.

§. VII. Poſt diſciplinas præliminares, Logicam ſcilicet, Philoſophiam primam, Pſychologiam & Theologiam

naturalem, Philosophia practica universalis tradi poterit, & primum adeo inter partes juris locum occupabit. Etenim eo ordine disciplinæ tradendæ sunt, ut præmittantur, quæ subsequentibus principia subministrant (§. V.); quod cum de dictis Philosophiæ partibus indubium sit (§. VI.): eas Philosophiæ practicæ præmittendas esse, liquet. Cum autem ex ceteris juris partibus principia nulla mutuetur Philosophia practica universalis; quin potius demonstrandis aliis ipsa inserviat: primum locum in ordine partium juris jure sibi vendicat Philosophia practica universalis.

§. VIII. In jure naturali ethico officia hominis erga seipsum, tum erga animam, tum erga corpus & statum ejus externum, ex natura & essentia hominis derivantur (§. IV. C. 2.), & media virtutum intellectualium, tum moralium, curatius investigantur. Supponitur adeo in jure naturali ethico legum naturalium, officiorum, virtutum & vitiorum, nec non mediorum felicitatis assequendæ, infelicitatis avertendæ, h. e. tam theoriæ, quam praxeos Philosophiæ practicæ universalis, perfecta doctrina. Ad quam, cum absque Philosophia prima, Cosmologia, Psychologia & Theologia naturali frustra aspiretur: præter Philosophiam practicam universalem dictas modo Philosophiæ partes juri naturali ethico præmittendas esse, indubium est.

§. IX. Unde per modum corollarii inferimus: post Philosophiam practicam universalem jus naturale ethicum, sive scientiam officiorum hominis erga se ipsum, tradendam esse.

§. X. Officia erga Deum ex natura animæ humanæ atque hominis a Creatore hujus universi dependentia demonstramus (§. VII. C. 2.). Supponimus igitur in hac juris

natu-

naturalis parte, tum quæ in Pſychologia de anima humana, tum quæ in Theologia naturali de perfectionibus & attributis divinis traduntur; ſiquidem demonſtrationi locum eſſe velimus. Porro homo in jure naturali divino actiones & officia ſua ita inſtituere jubetur, ne divinis perfectionibus & voluntati Dei adverſentur; ut in pertractatione de officiis erga Deum luculentius docemus: ſupponuntur adeo in J. N. divino officia hominis; conſequenter jus naturæ ethicum officiis erga Deum præmittendum erit. Præcognita adeo ſive principia juris naturalis divini præter Philoſophiam practicam univerſalem, omnibus partibus juris principia ſuppeditantem, ſunt 1. Theologia naturalis, 2. ſcientia animæ humanæ, 3. notiones generales hujus univerſi, ſive Coſmologia, 4. jus denique naturæ ethicum, ſive ſcientia officiorum hominis erga ſeipſum.

§. XI. Eo ipſo vero, quod Philoſophiam practicam univerſalem & jus naturæ ethicum doctrinæ de officiis erga Deum præmittenda eſſe diximus: poſt has juris naturæ partes officia demum erga Deum, ſive jus naturæ divinum, demonſtrativa ratione doceri poſſe, patet.

§. XII. In jure naturæ hominis in ſocietate generis humani officia erga alios ex natura hominis & ſocialitatis notione eruimus (§. X. cap. præc.); dominiorum inſuper ac proprietatis rerum, ut & contractuum, juramentis ſæpius confirmandorum, neceſſitatem demonſtramus. Officia hominis erga alios eadem ſunt cum officiis erga ſe ipſum. Quapropter ex jure naturali ethico diſcenda ſunt officia hominis erga ſe ipſum, antequam officiorum erga alios examen inſtituere detur: potiſſimum vero præmittenda erit ſeria pertractatio officiorum hominis intuitu corporis & ſtatus externi; cum ex horum conſideratione imprimis officia erga amicos

& inimicos, nec non dominii & contractuum origo fluat. Porro ex eo, quod pacta atque contractus juramentis non raro obfirmanda veniant; juramenta autem tum cognitionem divinarum perfectionum, tum officia erga Deum ſupponant: jus quoque naturæ divinum, ſive officiorum erga Deum doctrinam, juri naturæ hominis, in ſocietate generis humani conſtituti, præmittendam eſſe, dubio caret.

Neceſſitatem principiorum remotiorum philoſophicorum, & Philoſophiæ practicæ univerſalis, cum in antecedaneis principiis proximis ſupponi ea evicerimus (§. VIII. IX. & ſeq.), de novo demonſtrare ſuperſedemus; quod & in ſequentibus tenendum.

§. XIII. Unde ulterius liquet, poſt Philoſophiam practicam univerſalem jus naturæ ethicum, jus naturæ divinum & diſciplinas, quæ in iis ſupponuntur, viam demum patere ad ſolidam juris naturalis ſocialis in ſocietate generis humani ſcientiam.

§. XIV. Eadem ratione ex fine & objecto ſocietatum œconomicarum, conjugalis ſcilicet, paternæ, herilis & familiæ intelligitur, officia & jura membrorum ſocietatum œconomicarum ægre demonſtrari poſſe absque principiis, ex Philoſophia practica univerſali, jure naturæ ethico, divino & ſociali adſcitis. Etenim finis primarius ut in genere omnium, ſic in ſpecie ſocietatum œconomicarum, recte conſtituitur, ut conjunctis viribus homines naturaliter ſibi incumbentia officia eo facilius explere queant. Noſſe igitur oportet officia hominis, antequam de recta harum ſocietatum forma judicare liceat; quæ nimirum ſic inſtituendæ ſunt, ut fini aſſequendo ſufficiant. Quapropter, cum ex iis, quas modo recenſuimus, partibus juris naturalis omnium, quæ de ſocietatibus œconomicis docentur, ratio reddi poſſit:

prin-

principia & *ordo* iuris naturæ ſocialis œconomici obſcurus eſſe nequit.

§. XV. Jus naturæ ſociale politicum complectitur jus publicum univerſale tam civile, quam eccleſiaſticum, & politicas diſciplinas, quarum notiones capite præcedente eruimus. In jure publico univerſali civili demonſtratur ſocietatum civilium & ſummorum magiſtratuum neceſſitas; ac diverſæ regiminum formæ, officia tam imperantium, quam parentium in promovenda ſalute civitatis communi delineantur (§. 20. ſeq. C. 2.). Ne adeo in ſtabiliendis ſummorum imperantium juribus, ac elucidandis dogmatis politicis a vero aberres: officia utique hominis, in ſtatu naturali & extra ſocietatem civilem conſtituti, probe tenenda ſunt. Unde & ordo & principia juris publici univerſalis liquent. Præmittenda ſcilicet ſunt 1. Philoſophiæ practicæ univerſalis, 2. juris naturalis ethici, 3. juris naturalis divini, 4. juris naturæ ſocialis, tam in ſocietate generis humani, quam ſocietatum œconomicarum, fundamenta: ſiquidem concatenato nexu veritates politicas cohærere, & adæquatas omnium in jure publico univerſali rationes reddere velis.

§. XVI. Idem tenendum de juris publici univerſalis eccleſiaſtici, ſive univerſitatis Dei, principiis; eoquod civitati per omnia ſimilem eſſe eccleſiam ſupra (§. LIX.) evicerimus: præterquam, quod præter ſolidam Theologiæ naturalis & officiorum erga Deum in ſtatu naturali ſcientiam, & ſolidioris politices doctrinam, veritates revelatas prælibare neceſſum ſit, antequam inconcuſſis fundamentis eccleſiæ neceſſitatem ſuperſtruere valeas.

§. XVII. Neque aliis principiis in politicis diſciplinis opus eſſe, nullo negotio demonſtratur. Etenim in Politi-

ea in media inquirimus, quibus & reipublicæ & civium salus pro viribus promoveatur. Salus reipublicæ & civium non interrupto & continuo ad ulteriores perfectiones progressu, hoc est, ex parte civium, promtitudine & facilitate exequendi officia, tum hominis, tum civis, sanctione legum & administratione justitiæ, intuitu vero reipublicæ conservatione & emendatione formæ statusque publici absolvitur. Quodsi adeo ex indubiis fundamentis deducendæ sunt veritates politicæ: principiis ex Philosophia practica universali & partibus juris naturalis, a nobis stabilitis, accersitis vix carere poteris. Eo ipso autem locum Politicæ post jus publicum universale assignandum esse, constat.

§. XVIII. Jus gentium jura & officia rerumpublicarum mutua exhibet, ut (§. XXXII. & seqq. Cap. 2. præ.) prolixius docuimus: atque ea partim ex reductione rerumpublicarum ad personas morales simplices, in statu naturali viventes, partim ex domestica & intrinseca societatis civilis natura deducenda esse, monstravimus. Quamobrem, si gentium jura inconcusso & firmo talo stare debent: officia personarum simplicium in statu naturali, hoc est, præter Philosophiam practicam universalem, jus naturæ ethicum & divinum, officia erga alios, tam amicos, quam inimicos, tam proprietatis rerum, quam contractuum jura, juncta penitiori juris naturæ socialis politici scientia, sedulo recolenda venient; nisi invitis methodi regulis ejusdem pertractationem instituere velis.

§. XIX. Præterea in jure gentium pactitio, consuetudinario & cærimoniali jura rerumpublicarum & summorum imperantium ex pactis, consuetudinibus & cærimoniis, inter gentes receptis, deduci *cap. præced.* evicimus. Enimvero tam pacta, quam consuetudines & cærimoniæ inter

gen-

gentes receptæ; ſunt res facti, & hiſtoricam rerumpublicarum, mutationum ſucceſſivarum, revolutionum, bellorum, matrimoniorum, inter ſummos imperantes contractorum &c., notitiam ſupponunt: liquet adeo juri gentium pactitio, conſuetudinario & cærimoniali, præter generalia juris gentium principia, hiſtoriam civilem regnorum atque rerumpublicarum, ſtudium genealogicum & chronologicum &c. præmittenda, aut ſaltem cum eodem conjungenda eſſe.

§. XX. Jura adeo gentium cum plene demonſtrari nequeant, niſi præmiſſa Philoſophiæ practicæ, juris naturalis, juris publici univerſalis & Politices, nec non hiſtoriæ rerumpublicarum, Genealogiæ & Chronologiæ intimiori cognitione: quando juris gentium ſtudium cum ſucceſſu pertractare liceat, abunde liquet.

Hiſtoriam præterea ſcientiarum & diſciplinarum practicarum ſummis imperantibus, &, qui vicibus ipſorum funguntur, Legatis ſummo, ere neceſſariam eſſe, peculiari ratione evincitur. In cognoſcendis aliorum animis id unice agimus, ut regulas generales, quibus in actionibus ſuis liberis utuntur alii, in apricum extrahamus. Plurimum ad hunc ſcopum confert, ut, quæ de rebus moralibus alii principia nutriant, nobis innoteſcat; etenim in plerisque caſibus, ſi non certum; probabile ſaltem judicium ferre licet, in quamnam partem in dato caſu ſeſe ſint inclinaturi. Quodſi ex hiſtoria litteraria cujusvis regni, aut reipublicæ, ſpeciali, quæ inibi rerum moralium principia vigeant, & in ſcholis doceantur; nec non quæ ſit dogmatum fidei, & religionis indoles, perſpectum teneas: actionum liberarum non minus totius reipublicæ, quam ſingulorum, regulas generales facili negotio erues. Namque qui ad clavum reipublicæ ſedent, ſi divinitus inſpiratam ſcientiam non habent, agendorum principia vel ex dogmatis religionis, vel ex inſtitutione Doctorum, vel ex lectione librorum, aut denique ex ipſo uſu, ut ajunt, mundi hauriunt. Quapropter cum ſummorum imperantium anima ſit ſpiritus ille vitalis, qui totam rempublicam animat, dirigit, atque movet, ut regnorum atque rerum-

publicarum principia agendi, & axiomata status, Staats-Maximen/ in apricum protrahas, perquirenda primo venit natura & indoles religionis; hujus enim præcepta omnium fortissime voluntatem trahunt; 2. quæ Doctores in Academiis, aut scriptis publicis de rebus moralibus dogmata foveant; 3. quibus informatoribus atque præceptoribus usi sint summi imperantes; 4. quibus denique consilii secretioris arcana confidant, curatius erit investigandum. Hoc facillime omnium in iis regnis succedunt, ubi sumi imperantes eorumque administri exteras terras aut vix aut raro invisunt; neque extranei facile ad officia publica promoventur. Interea perfectam juris gentium scientiam rem arduam esse non diffiteberis; modo pensites, præter exquisitissimam historiæ rerumque moralium cognitionem, summo acumine & facultate, nexum rerum perspiciendi, opus esse, ut cum fundamento de actionibus statuum liberorum inter se eorumque juribus statuere possis.

§. XXI. Jus civile privatum complectitur leges, quibus imperans privatorum jura & obligationes, tam circa statum personarum & societates œconomicas, quam circa dominia rerum, contractus & læsiones definit (§. LXXV. cap. 2.). Enimvero omnia illa jura per ipsam rerum & hominis naturam determinari non implicat (§. L.); nulla siquidem cogitari potest actio moralis, cui naturalis sua non constet æquitas: ratio igitur legum, sive determinationum civilium, quæ voluntatem superioris pro fonte habent, cum partim in natura hominis, partim in natura civitatis quærenda sit (§. eod.); doctrinam de civitate, hoc est jus publicum universale & Politicam, juri civili privato præmittendam esse, indubie liquet. At vero operam perdit, & in manifestas methodi regulas impingit, qui ad jus naturale politicum, absque principiis Philosophiæ practicæ universalis, juris naturalis ethici &c., sese accingit. Quapropter Philosophiam quoque practicam universalem, jus naturæ ethicum, & sociale in jure civili privato supponi constat. Alia id ratione ex ipsa legum civilium natura demonstratur.

Etenim

Etenim legibus civilibus privatis ſaluti potiſſimum & juribus civium privatorum conſulitur, quæ dubia ſunt partim definiendo, partim ſtatui publico convenienter determinando; ut dum in controverſiam vocantur, normas judex præſtitutas habeat certas & indubias, juxta quas lites dirimat. Fieri adeo nequit, ut legem cum ſapientia ferat legislator, niſi officia hominum probe noverit, h. e. niſi juris naturalis præcepta familiaria experiatur. Enimvero cum JCti ſit in rationes legum inquirere, atque interpretari leges (§. LXI. & paſſim C. 1.): utique in analyſi legum civilium ad juris naturalis doctrinam recurrendum ſæpius erit. Sunt igitur diſciplinæ præliminares juris civilis, ſeu principia dogmatica, Philoſophia practica univerſalis, jus naturæ tam ethicum, quam ſociale, œconomicum & politicum.

§. XXII. In ſanctiones legum civilium ſæpiuscule influere facta hiſtorica atque publici reipublicæ ſtatus notitiam, (§. XX. C. 1.) dictum fuit. Quapropter ſi rationem reddere velis legum civilium, non ſimplici vice ad facta hiſtorica antecedanea recurrendum eſt. Atque hoc potiſſimum de jure civili privato imperii noſtri R. Germanici ſubſidiario, ſcilicet Romano, tenendum eſſe, neceſſaria atque prudens regularum analyſeos ratio ſuadet. Etenim cum leges civiles Romanæ peculiarem reipublicæ & imperii Romani ſtatum tam publicum, quam privatum, alias perſonarum atque rerum diviſiones, diverſos alienandi & contrahendi modos, alia etiam principia philoſophica ſupponant, quam quidem apud Germanos recepta eſſe deprehenditur: in rationibus ſane legum Romanarum enodandis, earumque æquitate dijudicanda, cæcutire oportet eum, qui nulla ſtatus publici, cultus religioſi, morum & principiorum practicorum Romanorum notitia imbutus eſt. Idem tene de conſuetudinibus, uſu fori & legibus Germanorum; quarum

rationem dum investigas, necessario ad antecessorum mores & in antiquitates Germanicas dilaberis. Unde oppido quam certum est, antiquitatum Romanarum & Germanicarum studio ad solidum juris civilis privati pertractationem præparandos esse discentium animos.

§. XXIII. Ex iis, quæ de principiis juris civilis privati diximus, prona est illatio, post Philosophiam practicam, jus naturæ ethicum, sociale, œconomicum & politicum, antiquitatum, tum Romanarum, tum Germanicarum, studium, demum methodo demonstrativa doceri posse jus civile privatum.

Quod de principiis historicis juris civilis privati in genere monuimus, ad jus civile privatum speciale regni aut territorii cujuscunque applicari poterit. Unde luculenta historiæ particularis, & status publici territoriorum notitiæ in studio juris utilitas elucet.

§. XXIV. In jure civili criminali improbis & nefariis factis, quibus tam publica quam privata tranquillitas læditur, pœnæ statuuntur (§. LXXVIII. & seq. C. 2.), atque legibus a summo imperante definiuntur. Theoriam generalem de pœnis in Philosophia practica universali, & in ordine ad pacem, in civitate conservandam, in Politica tradimus; neque cum ratione, nisi expensis officiis tum hominis tum civis determinari eas posse, docemus. Quapropter ex iisdem fontibus principia dogmatica haurire jus criminale, ex quibus jus civile privatum sua repetit, expeditum videtur. Nec aliud de principiis historicis tenendum, nisi quod antiquitatum patriarum & status imperii nostri legumque fundamentalium notitia majoris usus sit, quam in iis, quæ in Romanorum legibus de coercitione criminum ad nos pervenerunt. Unde & eodem ordine cum jure civili privato jus civile criminale pertractari poterit.

§. XXV.

§. XXV. Jus canonicum, cujus notiones diſtinctas ſupra dedimus, eſt vel *publicum* vel *privatum* (§. LIX. & LXII.). Jus canonicum publicum, ſive eccleſiaſticum, ſtatum eccleſiæ, ejus regimen & jura adumbrat. Supponitur adeo in ordine ad intimiorem ejus ſcientiam exaſciatiſſima eccleſiæ, ſive univerſitatis Dei, doctrina, ex jure naturali divino, ethico & ſociali, imo & S. Scriptura repetenda. Præterea in rationes ſtatus publici eccleſiæ indagaturo undique aqua hæreat neceſſe eſt, niſi ſucceſſivas eccleſiæ revolutiones & facta, ſchiſmatum & hæreſum ortus, progreſſus & extirpationes, ex hiſtoria eccleſiaſtica penitius perſpectas habeat. Quin cum imperium eccleſiaſticum per omnia regna & provincias, quæ ſedis Romanæ auctoritatem venerantur, vires ſuas extendat; at vero jura ſummi Pontificis pactis, uſu, aut obſervantia firmari ſubinde & limitari conſtet: ut nulla ſui parte mutila ſit juris publici eccleſiaſtici doctrina, regnorum quoque & orbis Chriſtiani hiſtoriam peragrandam eſſe, patet. Unde abunde colligitur, quibus principiis imbutum eſſe oporteat, cui genuinam ſibi de ſtatu eccleſiæ publico ſcientiam comparare conſtitutum eſt.

§. XXVI. Jus canonicum privatum leges complectitur, quibus ſtatus & officia tam ſacra, quam ritualia, & cærimonialia, perſonarum eccleſiaſticarum, earumque æque ac laicorum jura & obligationes ratione rerum eccleſiaſticarum, contractuum & delictorum determinantur (§. LXII.). Qui adeo in jure canonico non verba ſolum canonum tenere, ſed eorum vim, & poteſtatem ex rationibus eruere ſecum decrevit: is juriſprudentiæ naturalis, eccleſiæ, ſive univerſitatis Dei, juris publici eccleſiaſtici quale (§. LIX. LX. LXI.) adumbravimus, notionibus inſtructus veniat, neceſſe eſt. Enimvero cum facta hiſtorica non minus in canonum, quam legum civilium privatorum, ſanctionem

influant: cognitio juris Romani, conciliorum, hæresum, rituum & cærimoniarum, omni ævo in ecclesia receptarum, historia ægre carebit canonum studiosus. His enim prægustatis nexum & rationes sacrarum constitutionum nullo negotio in lucem protrahet, cum prudentia ad casus obvios eas applicaturus.

§. XXVII. Cum studia historica, principia juris naturalis, divini, socialis & juris publici ecclesiastici facem in jure canonico privato præferant: post has disciplinas denique jus canonicum cum fructu & methodo demonstrativa pertractare licet.

Non me latet, non defuturos, qui methodum nostram tanquam impracticabilem sint reprehensuri; eoquod cognitionem præsupponat prolixiorem longe, quam quadriennii spatio, quod studio juris ut plurimum destinatur, absolvi possit: præsertim cum nec reliquis juris tam naturalis, quam civilis partibus insalutatis in ecclesiastici juris doctrina proficere detur. Enimvero non desunt, quæ divertendis hisce dubiis tela obtorqueamus. Primo enim istud expeditum adeo non videtur, an non, modo nonnisi exasciata historiarum cognitione, & solidiori juris naturalis socialis & politici doctrina præparati ad jurisprudentiæ studium admitterentur, omnis difficultas uno ictu concideret. Qua vero ratione id in Academiis nostris effectui dari possit, nostrum jam non est inquirere: dabimus tamen capite sequenti, ubi de systematibus & compendiis juris acturi sumus, quæ viam forsan monstrabunt compendiosiorem, quam quæ hactenus trita fuit. Præterea in genere notandum, quod (§. LXXXIX. C. 2.) innuimus. Nimirum uti unius hominis vires longe sunt inferiores, quam ut omnem humanæ cognitionis ambitum exhauriant: ita nec eminentem adeo juris canonici gradum supponi, nisi in iis, quibus salutem & regimen ecclesiæ cum prudentia ac sapientia administrare in officiis datum est.

§. XXVIII. Ex jure feudali constat, feudum esse domi-

minium utile in re, alteri, a reſervante ſibi dominium directum, conceſſum, ſub lege fidelitatis mutuæ. Quapropter cum feudum ſit ſpecies de ſuo diſponendi: ut, quæ de feudis traduntur, perfecte intelligantur, ex jure naturæ ſociali, doctrina de dominiis rerum, modis alienandi & contractibus repetenda venit. Porro quoniam fidelitas complectitur officia, quæ ſibi vel expreſſe vel tacite ſtipulantur dominus & vaſallus; *officia* vero illa partim ſint humana, de quibus in jure naturæ ethico & ſociali, partim civilia, v. c. militaria, aulica &c.: nonniſi ex diſtincta officiorum, tum hominis, tum civis, ſcientia ratio reddi poterit, cur ejuſmodi dominium utile in vaſallum dominus directus transtulerit. Præmittenda adeo eſt juri feudali juris naturalis ſocialis & politici ſcientia. Denique cum leges & uſus feudales ex magna ſui parte cum legibus civilibus & canonicis conveniant; aut ſaltem rationes ſuas legales inde repetant: nec abſque juris civilis & canonici principiis feudorum jura perfecte demonſtrari poterunt.

§. XXIX. Diſtinguunt in feudis juris Doctores præter eſſentialia, naturalia & accidentalia feudi. Naturalia nihil aliud ſunt, quam determinationes ſpecificæ feudorum, lege vel uſu confirmatæ: uti accidentalia dicunt determinationes ſpecificas, quæ nec lege, nec uſu regulariter in feudo eſſe concipiuntur, ſed pacto & ſpeciali providentia adjiciuntur, aut uſu contrario inducuntur. Ex hiſtoria adeo & legibus eruendum erit, quæ naturalia, quæ accidentalia in feudis eſſe intelligantur. Porro feudorum, quorum in maxima Europæ parte uſus eſt, inſtituta a Germanorum moribus derivata eſſe, ex hiſtoria feudorum Doctores unanimi calculo affirmant; idque de feudis imperii noſtri indubie liquet. Ut adeo appareat, qua ratione provinciæ, territoria, ditiones & prædia pedetentim feudorum naturam induerint:

rint: antiquitatum insuper Germanicarum iter in jure feudali calcandum venit.

§. XXX. Abunde, ni fallor, hinc elucet, quandonam ad juris feudalis studium accessus pateat. Nimirum cum principia ante ponenda sint, quam id, quod in iis sui rationem agnoscit: vi ante dictorum post juris naturalis, civilis & canonici scientiam, atque antiquitatum Germanicarum notitiam cum fructu demum jus feudale tradi poterit.

§. XXXI. In jure publico imperii R. Germanici formam sive modum, quo augusta ejus membra salutem & tranquillitatem imperii promovent, nec non jura statuum & membrorum, tum intuitu totius imperii, tum intuitu territoriorum, ex legibus fundamentalibus, pactis, usu & observantia imperiali deducimus (§. LXVI. C. 2.). Ne igitur de statu imperii judicia deproperemus, sed genuinas potius legum fundamentalium rationes assequamur: juris publici universalis, atque Politices penitiorem doctrinam præmittendam esse, quis dubitet? Enimvero jus publicum universale tam civile, quam ecclesiasticum, atque Politica Philosophiam practicam universalem, & reliquas juris naturalis partes supponunt (§. XV. XVI. & XVII.). Quapropter nec earundem notitia facile carebit juris publici studiosus.

§. XXXII. Imo, cum superioritate territoriali gaudeant status imperii, & majestatica jura tum in territoriis, tum inter sese, exerceant vi inst. P. O. art. VIII.: nil obstat, quo minus status imperii tanquam gentes liberæ & suo modo independentes considerentur. Unde multiplex utilitas juris gentium tam naturalis, quam pactitii, consuetudi-

narii

narii & cærimonialis in jure publico imperii noſtri ſeſe exerit, atque demonſtrandis ſtatuum juribus non vice ſimplici principia ſubminiſtrat. Porro cum feudalitiam indolem antiquam in hunc uſque diem retinuerint territoria imperii, ac præterea jura ſtatuum controverſa coram judiciis imperii, *vi* legum fundamentalium & publicarum, ventilanda ſint: nec juris civilis privati, nec feudalis, præſertim Germanici, notitia in juris publici ſtudio inſuper haberi debet.

§. XXXIII. Forma ac pleraque ſtatuum imperii jura, ſive ut imperantes, ſive ut territoriorum dominos eos conſideres, per mutationes & facta antecedanea actum conſecuta ſunt. Ut igitur ſolidis & inconcuſſis fundamentis ſuperſtruantur, nec contradictioni obnoxia relinquantur: nexum hiſtoricum & mutationum ſucceſſivarum ſtatusque publici exaſciatiſſimam cognitionem teneas, opus eſt. Idem obtinet in juribus ſtatuum ſpecialibus, jure ſanguinis, vel vi legum, pactorum aut conſuetudinum ipſis competentibus. Etenim in applicatione legum ſubinde major propoſitio, ſive lex, plerumque vero minor, ſive factum, ex maxime remotis imperii noſtri revolutionibus & antiquitatum monumentis fundamenta repetit: atque adeo præter imperii hiſtoriam inter principia juris publici merito refertur ſtudium genealogicum, quod ſtatuum imperii & familiarum illuſtrium origines, generationes, agnationes, cognationes, matrimonia & affinitates exhibet; chronologicum, quod diverſas temporum, epocharum, regnorum atque rerum notabilium periodos ſuggerit; heraldicum, diplomaticum & numismaticum, quorum præclaros in demonſtrandis Principum atque rerumpublicarum juribus uſus agnoſcunt ii, qui vel primo pede juris publici limina ſalutarunt.

§. XXXIV. Quare cum principia ante ponenda sint, quam ipsæ disciplinæ, quæ per ea demonstrantur: juris naturalis, juris publici universalis, gentium, nec non juris civilis & feudalis doctrina, historia imperii R. Germanici, Genealogia, Chronologia, &c. partim prælibanda, partim conjungenda erunt, ut ad jurisprudentiam publicam imperii R. Germanici, demonstrativa ratione perdiscendam, via pateat.

§. XXXV. Ex definitione juris civilis publici, quam dedimus (§. LXXI. cap. 2.), & iis, quæ de ejus objecto (§. LXXII.) edisseruimus, elucet, quæ ex mente nostra ad jus publicum civile referantur: ea nimirum, quibus publica salus & utilitas status directe & primario, civium vero indirecte & secundario, intenditur. Quamobrem si, quæ juris publici esse censentur, ut sunt ordinationes ecclesiasticæ, agorenses, taxatoriæ &c. distincte nosse, atque, an fini obtinendo sufficiant, citra errorem judicare desideras: juris naturalis socialis atque politici cognitionem penitiorem supponi constat; cui jungenda veniet status interni reipublicæ notitia historica, experientiæ fide subnixa.

§. XXXVI. Jus civile œconomico - camerale jura Principis & subditorum circa domania, regalia minora, contributioues, & onera civium examinat (§. LXXXIV.): in legibus vero œconomico-cameralibus id præcipue spectandum esse innuimus, ne vel cives oneribus prægraventur, aut in juribus suis lædantur, ærarium vero Principis quovis modo, civibus ac reipublicæ innocuo, amplificetur. Quapropter ut tales esse demonstrare valeas, præmittenda utique erit scientia œconomico - cameralis. Quæ cum absque solidioris politices cog nitione nulla sit (§. XXVI. C. 2.): & hanc in jure œconomico - camerali supponi evidens est.

Præ-

Prætereo alia multa, quæ experientia, optima œconomiæ magistra, suppeditat principia. Immo accuratior provinciarum, bonorum naturalium, quæ quævis tellus profert, atque artefactorum, & commercii tam in- quam externi notitia in jurisprudentia œconomico-camerali indispensabilis necessitatis esse videtur. Hinc in omni republica viri eruditi, & pragmatica œconomiæ status cognitione imbuti, (id quod in Gallia jam effectui datum certo teneo,) constituendi forent, qui vires suas in bonorum naturalium arte, & manufactorum perfectione & commercii incrementum unice intenderent; veritates, eo facientes, colligerent, atque ex earum collatione novas eruerent, praxi vitæ & publico profuturas. Quidquid novitatis habere videtur scientia & jus œconomico-camerale, ego utilissimum, immo summæ necessitatis, esse existimo, ut publice in Academiis tradatur, frustra ogganientibus hic tenebrionibus quibusdam, pulvere scholæ sordidis. Apposite hujus instituti causam agit vir consultissimus, SIMON PETRUS GASSERUS, in Hallensium Universitate Prof. J. celeb. in præfatione zur Einleitung in die œconomische / politische / und cameral-Wissenschafften. Digna sunt ejus verba, quæ hic inserantur: Allein diese und andere so gute Einrichtungen haben es vor diesem dahinzubringen nicht vermöcht / daß nur die blossen Oeconomica auf Universitäten tractiret worden wären; zugeschweigen daß man in Zeiten und schon auf Academien an andere ungleich mehrere Wissenschafften / das Cameral- und Policey-Weesen betreffend / solte gedacht haben / damit ein junger Mensch fähig und geschickt gemacht wurde / seinem Herrn und dem Lande rechtschaffen zu dienen: Sondern man hat sich mehrentheils nur zum Advocaten- und Richter-Amt præpariret / keiner aber dafür gesorget / wie er es anzugreiffen hätte / wann er in so vielfältige andere Bedienungen kommen möchte: vielmehr hat man sodann die Sache / wie die Kuhe das neue Thor angesehen; gar erschröcklich Lehr-Geld geben / und sich von einem jeden etwas weiß machen lassen müssen. Es würde auch wohl nicht sonderlich gefehlet seyn / wenn man die Ursach obbemeldter academischer Negligence darauf mitgründete / daß zu dieser Oeconomischer Profession niemahlen auf Universitäten ein eigenes Salarium gesetzt / und ausgemacht gewesen; sondern die Professores mit vielen Schreyen und Lesen auf dem alten radicirten Fuß ihr Brod

sauer und schwer genug verdienen müssen; die grossen Herren aber vormahlen nicht viel erübriget/ auch es sich nicht so leicht zugetragen/ daß einer derselben zugleich ein grosser Soldat/ ein grosser Statist, und ein grosser Oeconomus selbst gewesen.

§. XXXVII. Patet itaque, post jus naturale politicum & scientiam œconomico-cameralem cum fructu demum jurisprudentiam œconomico-cameralem doceri posse.

§. XXXVIII. Concludimus tandem curriculum studii nostri juridici solida introductione ad praxin, tradendo scilicet modum applicandi jura ad facta secundum ordinem, in judiciis observandum. Principiis adeo non egemus aliis, quam legum, in partibus juris, hactenus recensitis, occurrentium, perfecta scientia: ubi tamen recolenda veniunt, quæ in politicis de judiciario ordine in genere traduntur; utpote quæ rationes & principia suppeditant demonstrandis iis, quæ in civitate circa judicia sapienter constituta, atque usu recepta sunt.

§. XXXIX. Hæc de principiis partim juris atque earundem ordine sufficiant; specialiora dabimus, ubi de prælectionibus ipsis cujusvis partis uberius disserendi otium nacturi sumus. Prævideo equidem non ab omnibus approbatum iri methodum nostram; quod a trita hactenus recedere videatur. Sed sciant illi, me judicia illorum vel ideo contemnere, quod & veritas & prudentiorum suffragia pro assertis nostris militent. Quibus pragmatica rerum & jurium cognitio exosa est: ii leptologiis suis animos lactent, per me licet. Cives Germaniæ nos esse meminisse oportet, queis rerum patriarum notitia prima & præcipua haberi debet; ut de jure publ. *celeb.* ADAM. FRIDERIC. GLAFFEIUS *in præfat. ad theatrum prætensionum & controversiarum illustrium* bene monet: Wilst du aber dein jus (publicum) dennoch lieber theoretisch/ als pra-

practiſch/ academiſch als Weltbrauchbar ſtudiren; oder haſt du ſolches bereits gethan: ſo werde ich dich mit dem/ was ich geſagt habe/ nicht bekehren; vielmehr wirſt du zu urtheilen fortfahren/ daß in der Theorie dennoch mehr Erudition als in der praxi anzubringen ſeyen. Au welcher Eitelkeit ich dir dein Vergnügen gar gerne gönne/ wo du mich nur bey dem meinigen in rebus modernis & practicis in Ruhe laſſen wilſt. Ut vero luculentius edoceamus, non implicare, quo minus juventus academica hac via ducatur: de methodo docendi atque diſcendi pauca ſubnectere libet.

CAPUT IV.

DE METHODO DOCENDI, ATQUE DISCENDI JURISPRUDENTIAM.

§. I. DOcere in genere nobis hic eſt, rerum, alteri incognitarum, notiones diſtinctas verbis, viva voce prolatis, ejus animo ingenerare. Quapropter cum juris ſcientia ſit habitus, leges & jura ex immotis principiis demonſtrandi: patet docere jurisprudentiam eſſe *legum & jurium notiones diſtinctas diſcentium animis verbis, viva voce prolatis, communicare.*

Ex. g. Titius Sempronium docet jus publicum, dum quæ ex legibus fundamentalibus, pactis, obſervantia & hiſtoria imperii demonſtrare novit, jura Imperatoris & membrorum imperii diſtincte in collegiis ipſi explanat.

§. II. Diſcere vero jurisprudentiam eſt, *legum, in vita olim applicandarum, atque jurium, cuique competentium, notiones diſtinctas in animo ſuo eſſormare.*

Sic ex. g. Sempronius discere dicitur jurisprudentiam ecclesiasticam, dum legum, quibus feliciter regitur ecclesia, fundamenta perquirit, easque in usum futurum sibi reddit perspectas. Discentem, cum notiones rerum, de quarum cognitione laborat, nondum teneat, vel manuductione docentium vel subsidiis librorum opus habere, patet.

§. III. Unde colligere licet, munere docentis jura defuncturum, legum & terminorum, easdem ingredientium, notiones distinctas familiares experiri debere. Patet assertum ex iis, quæ modo diximus. Pone enim docenti non esse, nisi notiones confusas legum & terminorum, eas ingredientium: eas certe cum discente nonnisi per exempla communicare, & in casibus specialibus proponere (Wolff. *Log. Lat.* §. 1120.), minime vero rationes legum in apricum protrahere, ac genuinam earundem mentem eruere poterit (§. XXX. C. 1.). Quod, cum certitudini & fini cognitionis juris scientificæ repugnet (§. XXXVII. seq. C. 1.), utique absurdum erit.

Ex. g. qui in jure publico, quæ de simultaneo religionis exercitio in instrumento pacis religiosæ & Westphalicæ & aliis legibus fundamentalibus disponuntur, & in specie, an contra annum normativum introduci possit, alium docere intendit: notionem *simultanei* completam, & exasciatam eorum, quæ *simultaneum* consequuntur, notitiam teneat necesse est: nec non exacta eorum, quæ in pace religiosa, Osnabrugensi, & aliis legibus imperii fundamentalibus circa religionis materiam decisa comperiuntur, cognitione imbutum esse oportet, antequam quæstionem an? quando? & sub quibus circumstantiis? simultaneo religionis exercitio contra annum normativum 1624. locus sit, ex genuinis legum publicarum fontibus deducere, alterique demonstrare valeat.

§. IV. Præterea docens jura facunditate, atque facultate singula, quæ notionem legis ingrediuntur, terminis pro-

propriis enunciandi polleat neceſſe eſt. Primum patet ex eo, quod tædium facile ſubnaſcatur in animis auditorum ex ingrata vocis articulatione ſtilique inconcinnitate. Quapropter cum difficulter attentionem defigamus in ea, quæ cum tædio percipimus: evidens eſt notionibus licet & cognitione legum diſtincta inſtructum, niſi & linguæ facundia & orationis ſuavitas accedat, docendo juri minime aptum eſſe. Alterum vero ex regulis logicis facile evincitur. Etenim terminos proprios dicimus, qui indigitant res, quibus repræſentandis deſtinantur. Quodſi igitur iisdem aliud quid diverſum ab eo, quod ſignificare debebant, donotetur: alter ſignificatui proprio aſſuetus mentem docentis minime aſſequetur; quin in erroneas opiniones ipſe prolabetur, aut tales ſæpe docenti affinget. Quod ut evitetur, in docendo jure terminis propriis utendum eſſe, conſtat.

Conferantur exempli loco, quæ *perill.* L. B. de WOLFF *in hor. ſubſec. ad ann. 1730. Trim. vern. ſpec. 1.* de notione genuina obligationis ediſſerit.

§. V. In numerum principiorum demonſtrandi non aſſumuntur, niſi definitiones exaſciatæ, experientiæ indubitatæ, axiomata, & propoſitiones jam demonſtratæ (WOLFF. Log. Lat. §. 562.). Quapropter, cum methodus demonſtrandi in omnibus diſciplinis eadem ſit: nec alia principia in demonſtrationibus legum & jurium locum habebunt, quam definitiones terminorum, axiomata juris, experientiæ actionum moralium indubitatæ, leges & propoſitiones in antecedentibus jam demonſtratæ.

Egregio ſpecimine præcognita circa principia juris nuper delineavit *Clariſſ.* D. BUCKY in *Prolegomenis jurisprudentiæ civilis privatæ*, quæ modo in manus inciderunt. Tanto avidius libellum perlegi, quod eadem mecum principia tenere clariſſ. auctorem perſentiſcerem.

rem. Faustam tandem periodum jurisprudentiæ instare, non levia sunt, quæ me inde conjecturari fecerunt, rerum atque temporis nostri argumenta.

§. VI. Definitiones ut in omnibus disciplinis, sic in jure sunt prima principia, in quæ demonstrationes legum & jurium resolvuntur. Quapropter cum error, in principiis latens, per omnes propositiones, quæ inde demonstrantur, sese diffundat: id primo curandum, ut definitiones, quæ in jure admittuntur, regulis logicis genuinis sint exacte conformes; *hoc est*, non aliis, nisi quæ sint completæ, exasciatæ, fœcundæ, totque notas rei, non vero plures exhibeant, quam quot ad eandem cognoscendam, & ab aliis discernendam sufficiant, locus concedatur.

Maxime hac parte laborat jurisprudentia nostra, atque adeo, si ullibi sane hic emendatrici manu opus habet, siquidem certa, demonstrativa, utilis & in vita applicabilis esse debeat. Viam & modum, definitiones in jure emendandi, commonstrat *perillust.* WOLFF. *in hor. subscc. d. loc.* ubi speciminum loco definitiones *obligationis*, *tutelæ*, *libertatis*, *servitutis*, non emendat modo, sed genuinas, juxta regulas logicas exasciatas, substituit; ita tamen, ut nec mentem JCtorum, nec sensum legum immutarit, sed clariorem planioremque reddiderit.

§. VII. Neque negotium nobis facessit *L.* 202. *π. de R. J.*, omnem definitionem in jure civili periculosam esse pronuntians. Etenim res ipsa loquitur, JCto sermonem non esse de notionibus distinctis completis terminorum, in jure civili occurrentium, quas nemo sanus improbabit: intelligenda igitur erit lex de ipsa sanctione, definitione, seu determinatione legum civilium, quam periculosam esse non diffitemur. Leges civiles a naturalibus subinde recedunt, & quæ jure naturæ infinitis modis, pro varietate circumstantiarum, determinata sunt, in civitate a superiore genera-

neraliter atque uniformiter determinari convenit; uti in politicis docemur. Quare, cum difficillimum ſit in illas præciſe determinationes incidere, atque eas robore civili donare, quibus conſenſus, qui poteſt maximus, cum legibus naturæ conſervetur, immo & ratio temporis & ſtatus reipublicæ diverſus diverſas ſæpius efflagitet leges: non poteſt non eſſe periculoſa legum civilium definitio; præſertim ubi juxta earum normam ita judicare tenetur judex, ut ob rationes aut circumſtantias peculiares in caſu obvias ne latum unguem ab iis recedere ipſi integrum ſit. Præterea, ſive circumſtantias peculiares, ſub quibus legem obligare præcipit imperans aut ſuperior, circumſpecta ſollicitudine definiat; ſive generaliter legem concipiat: nunquam non ſubterfugiis, quibus actiones legi contrarias juſtificare quærunt ſubditi, legum contemtores, nec non corruptelis judicis amplus relinquetur campus. Ut adeo nihil ferme ſit, quod a malevolis ſubverti, & in transverſum trahi non poſſit: quorſum collimant verba dictæ legis finalia. Non eſt adeo, quod a definitionibus, quales hic ſupponimus, in jure nobis timeamus. Utinam aliquando cum Philoſophis noſtri ævi oculos aperirent JCti, ac ſepoſitis præjudiciis auctoritatis, unicam veritatem, æquitatis ſociam, ſpectarent, tenebrasque, quæ paſſim adhuc in jure regnant, unitis viribus dispellerent.

§. VIII. Utimur definitionibus, partim ut res in ſua genera & ſpecies apte diſpeſcamus, easque a ſe invicem diſcernamus; partim ut in demonſtrandis iis, quæ rei conveniunt, principia præſto ſint. Quare cum ſolæ completæ & exaſciatæ genuinarum definitionum nomen tueantur; mancarum vero & abundantium in applicatione & demonſtrationibus, vel nullus, vel difficilis uſus ſit (Wolff. *Log. Lat.* §. 856. *ſeq.*): patet nonniſi definitionibus completis & exaſciatis in jure locum eſſe.

§. IX. De incommodis, quæ in difciplinis creant definitiones mutilæ & abundantes, late egit *perill.* L. B. de WOLFF in opere *Log. Lat.* *Mancæ* five *mutilæ* definitiones dicuntur, quæ pauciores continent notas, quam quidem ad rem agnofcendam, & ab aliis difcernendam, fufficiunt. Species definitionum mutilarum in jure funt etiam illæ, in quibus pauciora de re enumerantur, quam quidem vi legum ineffe jubentur. Quare fi definitione mutila tanquam principio demonftrandi utaris: pauciora de re demonftrabis, quam quidem eidem conveniunt. Quodfi porro (ut non raro evenit,) definitionem in jure pro lege & fundamento decifionis habeas: fiquidem mutila fuerit, jura negabis, quibus vel maxime ea competunt, vel adjudicabis, quibus oportebat minime. Eadem incommoda in earundem applicatione fenties. *Abundantes* contra dicuntur definitiones, in quibus cumulantur, quæ per fe invicem determinantur; confequenter quæ per alia, quæ definitioni infunt, demonftrabilia funt. Propofitiones adeo cum definitionibus confundentur; applicatio earundem reddetur prolixa & difficilis; judicia formabuntur non accurate determinata &c.

§. X. Exempla definitionum mancarum in jure haud rara funt: fic manca eft definitio nuptiarum five matrimonii, quod fit: *viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ confuetudinem continens.* Neque enim ex eo, quod vir & mulier conjungantur, five focietatem ineant, per vitæ tempus etiamnum duraturam, procreatio fobolis intelligitur, cujus gratia tamen primario matrimonium initur. Adeoque finis hujus matrimonio effentialis merito in definitione fieri debebat mentio. Taceo quod vi hujus definitionis nonnullis focietatibus inter virum & mulierem matrimonii nomen tribuendum foret; quibus tamen id tribuere leges vetant. Manca eft definitio furti, quod fit: *contrectatio fraudulofa, lucri*

ri

ri faciendi cauſa, *vel ipſius rei*, *poſſeſſionisve*, *quod lege naturali prohibitum eſt*, *admittere*. Neque enim ex eo, quod contrectatio, id eſt, rei motio a loco, fraudulosa ſit, i. e. falſis & ſuppoſitis perſuaſionibus nitatur, evincitur, rem invito ac inſcio domino fuiſſe ablatam: id quod tamen eſſentiam furti abſolvit. Multæ contrectationes fraudulosæ ſunt, nec tamen inde furti nomine veniunt: ſic e. g. qui falſis perſuaſionibus alterum inducit, ut rei alicujus mobilis dominium ipſi relinquat, haud dubie rem alterius fraudulose contrectat; nec tamen furtum admittere dicitur. Ut adeo completa fiat definitio furti, dicendum erit, quod ſit *contrectatio fraudulosa rei alienæ*, *inſcio ac invito domino*.

Manca itidem eſt definitio ſtatus imperii, quam VITRIARIUS in inſtitutionibus *J. publici L.* 1. *Tit. XII.* §. 1. ſuppeditat, ſtatum imperii definiens, quod ſit: *civis imperii R. Germanici*, *qui jus voti & ſeſſionis in comitiis habet*. Licet enim jus voti & ſeſſionis ſit eſſentiale ſtatus imperii requiſitum & differentia ſpecifica, qua ſtatus a reliquis imperii membris, tam mediatis, quam immmediatis, contradiſtinguuntur, atque adeo in applicatione errorem nullum pariat; cum tamen civibus imperii ſuperaccedat jus voti & ſeſſionis, atque inter determinationes ſpecificas locum ſibi vendicet: poſito pro genere proximo termino *civis imperii*, notio ſtatus imperii necdum ſufficienter determinata eſt. Nec enim inde demonſtrare poteris, quibusnam imperii civibus, num mediatis, num immediatis, an vero utrisque, concedi poſſit jus voti & ſeſſionis in comitiis. Sumta igitur hac definitione pro baſi & fundamento deciſionis juris voti & ſeſſionis in comitiis, membra tam mediata quam immediata capacia pronunciabis, contra manifeſtas imperii ſanctiones & capitulationes Imperatorum Ferdinandi III. *art.* 46. Ferdinandi IV. Leopoldi *art.* 44. Joſephi 43. Caroli VI. *art.* 1.

verb. Auch keine Fürsten/ Grafen/ und Herrn in Fürstlichen oder Gräflichen Collegiis an- und aufzunehmen/ sie haben sich dann vorhero darzu mit einem immediat Fürstenthum resp. Graf- oder Herrschafft genugsam qualificirt ꝛc. quod ipsum etiam, nescio quo errore ductus, Vitriarius *d. l.* affirmat. Argumentis a Comitatu, nunc Principatu, Waldeccensi, & olim a Ducatu Wurtembergico & aliis desumtis, haud difficile est respondere.

§. XI. Nec minus frequentia sunt in jure definitionum abundantium exempla: talis est ex. g. definitio matrimonii Canonistarum nonnullorum, quatenus est naturalis & civilis conventio, quod sit: *conventio, sive contractus, legitimus quo mas & femina, nullo jure impediti, mutuo sibi tradunt jus in corpora, atque ad actus, ex se aptos ad generationem prolis, & ad individuam vitæ societatem se obligant.* Nam 1. eo ipso quod contractus dicatur matrimonium, legitimum esse debere intelligitur; vix enim est, ut contractûs nomen mereatur contra leges inita conventio. 2. Ex eo quod sobolis procreandæ gratia ineatur matrimonium, sufficienter demonstrari potest natura actuum ad generationem aptorum; ut adeo præter necessitatem aptitudinis hujus in definitione fiat mentio. Denique, si, uti oportebat, definias matrimonium, quod sit *societas inter marem & feminam* (secundum leges civiles) *inita, sobolis procreandæ atque educandæ gratia:* individua vitæ societas ex definitione recte exulat; cum ex positis legitima consequentia demonstretur.

Abundans est definitio comitiorum imperii Rom. in BRUNNEMANNI examine juris publici obvia, *comitia*, inquientis, *esse conventus Imperatoris & statuum ad negotia, totum imperium concernentia, Cæsaris ac statuum aliquando omnium, sæpius plurium, consensu definienda.* Ubi enim in notas tantum

tum

tum inquirimus, quibus comitia a reliquis conventibus statuum distinguamus: frustra laboramus de modo, quo negotia in iisdem expediantur, an omnium, an paucorum, vel majoris partis suffragia requirantur. Melius igitur comitia imp. dici poterant *conventus Imperatoris atque statuum, negotiorum, salutem imp. publicam concernentium, communi consensu & auxilio definiendorum gratia, instituti.*

§. XII. Axiomata juris sunt *propositiones theoreticæ, quas in systemate juris absque demonstratione sumere licet.*

Tales sunt e. g. propositiones: *is damnum dat, qui dare jubet: non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri: in omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est: culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Evidens enim adeo est harum propositionum veritas, ut a nullo in dubium vocari possit. Atque adeo iis tuto utimur in demonstrandis legibus vel juribus.

§. XIII. Inter axiomata referuntur 1. propositiones, in quibus de definito prædicatur aliquid sigillatim, quod in definitione continetur; 2. propositiones identicæ; 3. propositiones, quibus idem negatur esse diversum a se ipso; 4. definitiones, si iis utamur tanquam propositionibus; 5. definitiones inversæ; 6. propositiones, quas formamus, dum de definito, sumto ut subjecto, prædicamus quidpiam, quod notis, ad definitionem spectantibus, in ejus notione animo præsente indivulso nexu cohæret. Sed omnes præfatæ propositiones sunt indemonstrabiles: uti patet ex notione demonstrationis(Wolff. *Log. Lat.* §. 498.). Axionata adeo, (§. XII.) eaque indemonstrabilia, sunt propositiones, quas dicto modo deducimus ex definitionibus.

Ex. g. substitutio definitur, quod sit institutio heredis secundi, tertii &c. in locum deficientis primi, *L. 1. pr. L. 36. pr. L. 43. §. 2. ff. de vul. & pupill. substitut.* Inde concludis: 1. substitutio

est institutio heredis; 2. substitutio fit in casum deficientis primi heredis &c. Quarum propositionum prædicata, cum in ipsa definitione includantur, axiomatum, & quidem indemonstrabilium, nomine merito veniunt. Similiter si monarchiam definias, quod sit ea regiminis forma, ubi unus absolute imperat, h. e. absque aliorum consensu negotia publica expedit; indeque inferas monarchiam non esse, ubi plurium consensu publica negotia expediuntur: hanc propositionem axiomatis locum in J. publico universali subire evidens est.

Ita circulus imperii definitur per complexum statuum & membrorum imperii, juxta recessum de anno 1512. & præscriptum aliarum legum fundamentalium unitorum, ut ea, quæ salutem ac tranquillitatem imperii tangunt, matura deliberatione expendantur, atque commode executioni mandentur. Propositio, quam inde colligis: circulos esse partes imperii R. Germanici, axioma erit. Consequenter, quæ de partibus seu membris imperii in genere prædicantur, ad circulos tuto applicari peterunt.

§. XIV. Axiomata etiam dicuntur propositiones, quæ licet demonstrari non implicet, tuto tamen ob indubiam earundem veritatem absque demonstratione assumuntur; præsertim in disciplinis, ubi easdem demonstrare minime licet, aut expedit. *Axiomata* hæc *demonstrabilia* vocare lubet.

Talia aximata sunt in J. civili ex. g. *cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo: quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium detorquendum: quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi* &c. Etsi enim præfatas regulas in jure naturæ ex inconcussis, & intrinsecis rationibus demonstratas demus: siquis tamen, insuper habito juris naturalis studio, ad jus civile aut canonicum accedat; ejusmodi regulas axiomatum loco tanquam certas & absque demonstratione assumere poterit exemplo Mathematicorum, qui ex. g. in Arithmetica & Geometria tanquam axiomata admittunt propositiones indubias, in aliis tamen disciplinis v. g. Ontologia aut Cosmologia, demonstrabiles & actu a *perill.* WOLFFIO demonstratas.

§. XV.

§. XV. Patet autem, axiomata demonſtrabilia abire in theoremata, ſi demonſtratio iis accedat; uti ex notione thorematis liquet. Sic axioma: *ſi quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo:* theorema evadet, ſi ſequentem in modum exhibeas demonſtratum. Poſitis determinantibus ponuntur, ſublatis vero iisdem, tolluntur determinata, quæ rationem ſufficientem in determinantibus agnoſcunt (WOLFF. *Ontol.* §. 115. *ſeqq.*). Sed quæ ſequuntur ex actione libera ſive abſolute, ſive ſub data hypotheſi, ſunt determinata: actio vero libera eſt determinans. Sublata ergo, ſive ceſſante actione libera, ceſſant quoque, ſive tolluntur determinata; ſive ea, quæ actionem liberam conſequuntur: uti patet ex iis, quæ in Ontologia docentur de principio rationis ſufficientis. Enimvero per prohibitionem ceſſat, & in ſenſu ſaltem morali tollitur actio libera: (namque prohibere eſt omiſſionem actionis lege imperare,) ergo quoque per prohibitionem tolluntur, ſive ceſſant ſaltem de jure omnia, quæ ſequuntur ex actione, ſive, quod idem eſt: *ſi quid prohibetur, prohibentur omnia ea, quæ ſequuntur ex illo.* Q. E. D.

De novo hic apparet, fruſtra tentare demonſtrationes in jure, niſi qui probe fuerit verſatus in principiis logicis & ontologicis, ſeu Philoſophiæ primæ atque rationalis.

§. XVI. Axiomata juris ſunt principia, demonſtrandi tum jura, tum leges (§. V. XII.). Enimvero principia demonſtrandi debent eſſe certa: ergo & axiomatis ſua conſtare debet certitudo.

Idem ex alio principio demonſtratur. Utimur ſæpiſſime axiomatis juris pro legibus & fundamentis, ex quibus jura deducimus atque probamus; quod vel axiomata juris civilis palam loquuntur. Nulla vero cum ſint jura, quæ vel in-

incertis vel erroneis principiis nituntur: certa esse debere juris axiomata, nullus dubitabit.

Exempla axiomatum certorum dedimus in superioribus.

§. XVII. Incerta sunt juris axiomata, de quorum veritate nondum constat: erronea vero dicuntur, quæ falsa sunt; h. e. quæ veritatibus aliis, in jure demonstratis, repugnant. Priore casu principia juris erunt precaria; posteriori falsa: utraque, cum certitudini, cui in jure studendum, obstent, e systemate juris eliminanda erunt.

Proprie axiomata dici nequeunt propositiones incertæ atque erroneæ. Verum cum non pauca sunt, quæ in jure axiomatum nomine circumferuntur principia, ulteriori demonstratione indiga atque erronea: axiomatum nomen, quod falso ipsis tribuitur, retinere placuit. Exempla axiomatum incertorum & erroneorum in jure passim obvia sunt. Sic erroneum est axioma juris feudalis, quod de successione feminarum promiscue in feudis ecclesiasticis circumfertur: Krumstab schleust niemand aus; cum successio feminarum in feudis ecclesiasticis perinde ac sæcularibus facti sit, neque regulariter obtineat, nisi specialiter successionis femineæ receptio doceatur; quod quidem de feudis Fuldensibus plerique Feudistarum asserunt. Similiter incertum, immo si vis, erroneum est, axioma, a Publicistis nonnullis noviter excoctum: ejus esse religionem, cujus est regio. Ut enim de falsitate ejus secundum principia nostra Catholica taceam, nec ipsi Protestantes in veritatem ejus omnes consentiunt. Videatur *Auctor Meditationum de origine, indole, effectibus atque historia juris reformandi* P. 1. C. 2.

§. XVIII. Axiomata juris sunt propositiones, quas sine demonstratione ob earundem evidentiam admittimus; licet forsan demonstrationem omnem non respuant. (§. XII.). Quam ob rem, cum determinatas dicamus propositiones, in quibus prædicatum ex notione subjecti sufficienter intelligitur (Wolff. *Log. Lat.* §. 320.): *determinata* erunt *axiomata* juris,

juris, in quibus ex notione subjecti prædicatum eruere licet: *indeterminata* contra dicentur, in quibus notio subjecti vaga, vel sub iis circumstantiis non exhibetur, ut, quod de eo prædicatur, sufficienter inde cognosci possit.

Ex. g. axioma juris determinatum est: *impossibilium nulla est obligatio:* ex ipsa enim notione subjecti, definitione scilicet impossibilis, evidenter patet, ejusmodi obligationem inter non entia referendam esse. Indeterminatum contra axioma juris est: *Imperitia culpæ adnumeratur:* neque enim notio subjecti, scilicet imperitiæ, ita exhibetur, ut ex ea intelligi possit, cur culpæ adnumeranda sit. Ad culpam referimus ea, quæ præcavere vel antevertere in potestate nostra erat; imperitiam porro rerum evitandi non semper in potestate nostra esse, in moralibus docemur, & experientia docet. Non adeo imperitia omnis simpliciter posita, sed ea saltem, quam superare poteramus, in culpam imputari licet. Hinc, ut determinatum evadat axioma, subjecti loco imperitia vincibilis ponenda erit.

§. XIX. Utimur axiomatis juris tanquam principiis, tum in demonstrando jura atque leges, tum in decidendis controversiis. Enimvero principia debent esse certa & determinata, siquidem citra errandi periculum iis in demonstrationibus uti velis. Quam ob rem axiomata memoriæ mandanda non erunt, nisi quæ certa & determinata esse noveris.

Quomodo certitudo axiomatum, & utrum determinata sint, in apricum protrahatur, in Logica docetur; quam adeo nec in ipso studio juris insuper haberi suademus. Ceterum incommoda axiomatum juris erroneorum, incertorum atque indeterminatorum haud levia sunt. Quæ enim veritas? quæ jurium certitudo? quæ justitiæ administratio ex principiis spuriis & vagis proficisci potest? Hinc in admittendis axiomatis summa circumspectione opus, præsertim si circa materias speciales versentur, ac plures determinationes supponant, sub quibus demum iis locus sit.

§. XX. Postulatum dicitur propositio practica indemonstrabilis. Est ergo postulatum juris propositio practica, qua aliquid in jure absque demonstratione fieri posse sumitur.

E. g. postulatum juris est: *qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur:* sumimus enim absque demonstratione, eum conditionem implere posse, in cujus potestate sunt media eam implendi. Postulata ab axiomatis non satis distinguunt, qui differentiam propositionum theoreticarum & practicarum non attendunt. Neque anxie de ea laborandum censemus in jurisprudentia; sufficit enim utraque & axiomata & postulata esse certa, indubia & evidentia.

§. XXI. Lemmata in genere dicuntur propositiones demonstrativæ, quæ ad demonstrandas propositiones ex alia disciplina absque demonstratione sumuntur. Nomine adeo *lemmatum* e. g. in jure veniunt propositiones, quas ex aliis disciplinis, jure e. g. naturæ, gentium publico universali &c. mutuamur, ut vel vicem legis subeant, vel demonstrandi leges civiles principia suppeditent.

Qui ad juris naturalis studium sese accingunt absque Ontologiæ, Cosmologiæ, Psychologiæ & Theologiæ naturalis studio, multas propositiones, in dictis disciplinis demonstratas, admittere tenentur, quarum ipsi demonstrationem nullam capiunt; siquidem juris naturalis dictamina intelligere, eorundemque veritatem aliqualiter saltem contueri desiderent. Similiter qui jus publicum in imp. R. Germanico aggrediuntur absque juris publici universalis scientia: lemmata quam plurima ex hac disciplina mutuari coguntur; uti experientia comprobatur.

§. XXII. Exempla lemmatum in jure civili passim occurrunt. Sic inter lemmata refero *L.* 184. *π. de R. J. Vani timoris justa excusatio non est:* neque enim in jure civili, sed naturali hanc legem demonstrare datur; ubi enim ex genui-

na

na vani timoris & excuſationis notione deducimus, excuſationi locum non eſſe, ubi quid vano timore inducti patravimus. Item, ſiquod *Novell.* 22. *c.* 24. legitur: *erubeſcere legem caſtigatores filios genitoribus ſtatuere*: absque demonſtratione ſumimus, lemma id in jure civili dicimus in jure naturæ politico & œconomico demonſtrabile. Neque rariora deprehenduntur lemmata in jure publico, canonico & feudali, modo rigorem in demonſtrando ſerves.

§. XXIII. Regulam in moralibus in genere definimus, quod ſit propoſitio practica, juxta quam actiones liberas inſtituimus. Unde citra difficultatem eruitur, quid regularum juris nomine in jure veniat: nimirum propoſitiones generales, certæ & determinatæ, quibus tanquam principiis & norma in dijudicandis actionibus, atque decidendis controverſiis utimur.

Ex. g. regula juris eſt: *quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi: jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius damno & injuria fieri locupletiorem: in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet: Imperator in ſtatuum territoriis nihil agere poteſt, quod ſuperioritati ipſorum territoriali præjudicet: vim vi repellere licet* &c. Inſignis eſt uſus regularum juris, præſertim ubi determinatæ fuerint: ſecus enim principiorum erroneorum & vagorum incommoda ſecum vehunt.

§. XXIV. Axiomata, poſtulata & lemmata juris ſunt regulæ juris. Etenim axiomata & lemmata juris ſunt propoſitiones determinatæ, partim demonſtrandis juribus, partim dijudicandis atque decidendis controverſiis principia ſuppeditantes (§. V. XII. XX. XXI.). Inter regulas adeo juris referenda ſunt (§. XXIII.).

Regulas juris, quæ in *D. Lib. L. Tit. fin.* extant, examinans eas partim axiomatum, pleraſque vero lemmatum, ex J. *N.* vel J.

P. speciali Rom. adscitorum, nomine venire comperiet. Lemma e. g. ex J. N. adscitum est: *nihil consensui tam contrarium est, quam vis & metus.* Ex jure N. politico: *non erit decens, ut quæ bene exclusa sunt, in rempublicam rursus introducantur.* Ex statu publico Romanorum desumtum: *qui in servitute est, usucapere non potest;* demonstraturus enim hanc propositionem fundamenta & principia repetit ex natura & statu servorum Romanorum peculiari.

§. XXV. Notandum tamen, quod, si partes juris eo ordine, quem præcedenti capite delineavimus, tradantur, non opus esse, ut regulæ, axiomata & lemmata juris absque demonstratione assumantur. Etenim dicto capite docuimus, eas partes juris esse præmittendas, ex quibus ceteræ principia sua mutuantur. Propositiones adeo, quæ in sequentibus principiorum loco sunt, in antecedentibus demonstrantur. Neque adeo regulæ, axiomata aut lemmata juris absque demonstratione sumere necessum est, ubi dicta methodo jurisprudentiæ operam navas.

Sic qui jure naturæ, publico & universali, historiarum cognitione imbuti ad jura statuum imperii enucleanda accedunt, in demonstrando jure pub. R. G. utuntur quidem propositionibus & veritatibus, in jure publico universali demonstratis: gratis tamen eas largiri minime tenentur. Idem tenendum de jure civili, canonico & feudali. Reliqua, quæ de certitudine definitionum, axiomatum & lemmatum supra monuimus, ad regulas juris quoque velim applices. Cum tamen moris necdum recepti sit, methodo scientifica jurisprudentiam tradere: non inutile foret in gratiam discentium definitiones, axiomata & propositiones, in J. N. & publico universali demonstratas, in unum congerere, easque demonstrandis legibus inservituras, discentibus memoriæ mandandas tradere.

§. XXVI. De propositionibus, iis præsertim, quibus tanquam legibus vel præmissis in demonstrandis legibus utimur in genere observandum, notionem subjecti, sive definitio

finitio ea ſit, aut determinationibus partim eſſentialibus, partim arbitrariis abſolvatur, accurate eſſe determinandam; ita ut prædicatum juxta veras ratiocinandi regulas inde deducere liceat. Ordo vero is cuſtodiatur, ut præmittantur, quæ ſequentium demonſtrationes tanquam præmiſſæ ingrediuntur, ac leges eæ priori ponantur loco, quæ poſterioribus intelligendis inſerviunt. Patent hæc ex methodi regulis generalibus, quæ in Logica traduntur.

§. XXVII. Unde liquet, demonſtraturum leges eas ante in propoſitiones determinatas reſolvere debere; ut pateat, ex quibus principiis probatio petenda ſit: idque in demonſtrandis legibus, tum naturalibus, tum poſitivis, obſervandum eſt. In naturalibus notionem ſubjecti abſolvunt determinationes, tum abſolutæ, tum hypotheticæ, per quas prædicatum, ſive id, quod ſub iis agendum, licitum, vel illicitum, determinatur: in civilibus vero & poſitivis, quoniam a ſuperiore feruntur, ſubinde eædem, ſubinde & aliæ determinationes arbitrariæ, quæ ſimul ſumtæ *caſum* conſtituunt, notionem ſubjecti ingrediuntur.

Ex. gr. inſt. pacis. *art. V.* §. 36. ſequens lex, ſeu conſtitutio occurrit: *Quodſi vero ſubditus, qui nec publicum, nec privatum religionis exercitium anno 1624. habuit, vel etiam, qui poſt publicatam pacem religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit; aut a territorii domino juſſus fuerit: liberum ei ſit, aut retentis bonis, aut alienatis, diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare, & quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas, vel perſequendas lites, aut debita exigenda, libere & ſine litteris commeatus adire.* Expoſiturus hanc legem, eam in plures propoſitiones reſolvat, quarum ſubjectum tot contineat determinationes, quot ad determinandum prædicatum vi legis requiruntur. Prodibunt adeo propoſitiones determinatæ ſequentes: I. *Si ſubditus, qui nec publicum nec privatum religionis exercitium anno 1624. habuit, ſua ſponte emigrare voluerit: liberum ei eſt retentis bonis &c.* II. *Si ſubditus poſt pacem Osnabrug. religionem mutabit, & ſua ſponte*

emigrare voluerit : liberum ei sit , *&c.* III. *Si subditus nec publicum nec privatum religionis exercitium anno 1624. habuit , territorii domino jussus fuerit migrare : liberum ei sit* , *&c.* IV. *Si subditus , qui post pacem Osnabrug. religionem mutabit a territorii domino jussus fuerit migrare : liberum sit* , *&c.* Cum autem prædicatum plura contineat , a se invicem distincta , quæ sub circumstantiis , in subjecto cujusvis propositionis obviis , ponuntur: patet, quatuor has propositiones in tot alias abire, quod sigillatim de subjectis earundem prædicari possunt. Quis vero neget determinatas eas esse, in quarum subjecto nec plura nec pauciora occurrunt , quam quæ ad determinandum prædicatum sufficiunt ? Imo tum applicationem , tum demonstrationem instituta hac resolutione legis facilitari nemo ibit inficias.

§. XXVIII. Resolutis in propositiones determinatas legibus , in earundem rationes erit inquirendum ; ut eluceat, quæ principia in subsidium sint vocanda , quæ leges præcedant , quidque ad cognoscendum eas intimius faciat. De rationibus legem egimus (Cap. 1. §. XVI. seq.) : hinc plura de iis addere supersedemus.

Propositionum ex. gr. , in quas dictam legem resolvimus , demonstrationem contexturus, sigillatim rationes earundem *legales*, in eodem ipso *art. inst. pacis*, & aliis legibus imperii fundamentalibus obvias , *historicas* ex iis , quæ a tempore reformationis in Germania, religionis intuitu , acta fuere, *politicas* ex J. publico imperii R. Germ. & superioritati territoriali , *morales* ex jure naturæ & gentium eruat. His enim in apricum protractis , & mens dicti §. I. plana evadet , & ipsa probatio legis nullo negotio conficietur ; uti in prælectionibus nostris ad instrumentum pacis palam monstrabimus.

§. XXIX. Dubium non est, quin hac ratione certam legum cognitionem consecuturi sint discentes. Verum cum difficilis admodum labor sit, atque non historiæ solum & juris naturalis ethici atque politici , sed & legum exasciatissima notitia præsupponatur : vix est , ut hanc analysin

cum

cum fructu inſtituere initio poſſint diſcentes. Docentium adeo erit, nimium in demonſtrando leges rigorem initio devitare, atque ita in earum explanatione verſari, ut ne proferant, quæ captum tyronum effugiunt.

§. XXX. Quodſi leges dicto modo ex principiis certis & evidentibus, definitionibus, axiomatis, propoſitionibus demonſtratis, legibus & factis antecedaneis demonſtrentur: veritas unius legis per alias, tanquam per principia, eruitur; connectuntur adeo inter ſe leges (WOLFF *Log. Lat.* §. 877.). *Complexus legum, inter ſe & cum principiis ſuis connexarum*, ſyſtema juris audit; quod pro diverſitate legum varia ſortitur nomina: ſic aliud erit ſyſtema juris naturalis, aliud publici, aliud canonici, aliud civilis, &c.

Ex ipſa hac definitione ſyſtematis pateſcit, ſermonem nobis eſſe de ſyſtemate veri nominis, in quo naturæ, aut mixtus ſaltem, non ſcholæ ordo obſervatur: h. e. in quo libri, tituli & leges ita diſponuntur, ac ſeſe ſubſequuntur, prout veritas & cognitio unius pendet a cognitione alterius; ita tamen, ut, quantum methodi regulæ ſinunt, ad idem caput aut titulum referantur, quæ circa idem objectum obſervanda lege jubentur. Methodi & ſyſtematis notionibus prorſus deſtitutos eſſe oportet, qui ordinem naturalem aut ſcientificum in Corpore juris Juſtinianeo ſibi deprehendere ſomniant: quin tamen in talem redigi poſſit jus Romanum, cum *perilluſt.* WOLFFIO, *in horis ſubſecivis anni 1730. ſpecim. II.* plane ſentio.

§. XXXI. Si in ſyſtemate juris nullæ leges prætermittantur, ſed omnes omnino tum inter ſe, tum cum ſuis principiis, connectantur: ſyſtema juris dicitur *completum*. Quodſi vero in certum finem e. g. in uſum lectionum academicarum condatur: in ſuo genere completum erit, ſi nec plura nec pauciora contineat, quam quæ ad finem conſequendum re-

requiruntur. Unde patet, quando vel simpliciter, vel in suo genere incompleta sint systemata juris.

Notari hæc merentur, ne in dijudicando systemate judicia deproperes.

§. XXXII. Si in systema juris congerantur plura, quam quæ intelligendis & demonstrandis legibus, aut fini, quem in condendo systemate nobis proposuimus, assequendo, sufficiunt: erit systema juris *prolixum*: ea vero, quibus supersedere poterat systematis conditor, *superflua* dicentur.

§. XXXIII. In systemate juris leges & jura inter sese connectuntur, atque lex una ex alia demonstratur (§. XXX.). Inter scripta adeo scientifica referendum est systema juris (WOLFF *Log. Lat.* §. 751.). Eadem ergo, quæ in scripto scientifico, in systemate quoque juris concinnando observanda sunt. Nimirum 1. termini omnes accurate definiendi, qui vel definitiones alias, vel determinationes tanquam præmissæ ingrediuntur; vel vicem legis subeunt. 2. Quodsi in systemate juris propositionibus & legibus utamur, ex alia disciplina adscitis: eas minime demonstrare tenemur; sed demonstratas suo loco supponimus. 3. Definitiones eo ordine collocentur, ut eæ anteriori loco ponantur, quarum definita ingrediuntur alias. 4. Præter axiomata, postulata & lemmata juris, propositiones nullæ absque demonstratione adsumantur. 5. Indicandum tamen, quo loco lemmata seu propositiones, ex alia disciplina adscitæ, demonstrata habeantur. 6. Leges omnes in propositiones determinatas resolvantur. 7. Casus, sive circumstantiæ, sub quibus lex aliquid jubet vel prohibet, justum vel injustum declarat, accurate determinetur. 8. Siquæ leges obscuriores videntur: exemplis & casibus illustrentur. 9. Denique si

leges

leges facta hiſtorica peculiaria & arcana ſupponant: ſcholia addantur.

Dico, hac ratione conditum ſyſtema ſcripti ſcientifici & dogmatici nomen tueri: cujus demonſtrationem vide *in Log. perill.* L. B. de WOLFF. §. 790. Equidem quis non videt inter deſiderata eſſe ſyſtema juris, quale adumbravimus? Cave tamen, inter impoſſibilia id referas. Agnovere defectum ſyſtematis juris completi, reipublicæ præſertim & imperio noſtro adaptati, JCti celebres, & inter alios TITIUS, JCtus Lipſ., ejus emendationem tentavit. Nec ſpernenda ſunt, quæ in præfatione ad *jus privatum Romano-Germanicum* de neceſſitate, in meliorem ordinem redigendi prudentiam juris, diſſerit: ſed dolendum, quod nec in condendis definitionibus ſatis accuratus, nec in methodo ſcientifica ſatis exercitatus, opus arduum aggreſſus fuerit.

§. XXXIV. Quamdiu ordine mixto in condendo ſyſtemate utimur, idem qui in toto, in quovis titulo ordo ſervandus venit: ita ut primo loco definitiones, 2do axiomata & lemmata, 3tio denique leges, in propoſitiones reſolutæ, cum probationibus, ſcholiis & illuſtrationibus ponantur.

Conſcripſit hac methodo *celeb.* HEINECCIUS *elementa juris civilis* juxta ordinem inſtitutionum: in quibus tamen merito id reprehendas, quod definitionibus nec ſatis exaſciatis, nec ad demonſtrandum aptis non uno loco uſus fuerit.

§. XXXV. Quodſi ex majori ſyſtemate juris ſeligantur, quæ fini propoſito inſerviunt, atque inde minus componatur: *compendium* illud ſive *epitomen* vocare lubet.

In concinnandis igitur compendiis ad finem & uſum reſpiciendum, cui deſtinantur. Alia enim e. g. ſunt compendia academica in uſum candidatorum, & lectionum publicarum conſcripta: alia quæ in ſubſidium memoriæ adornantur &c.

§. XXXVI. Scripta juris alia sunt *scientifica*, sive *dogmatica*, alia *historica*, alia *dogmatico-historica*; uti ex Logicis patet. Quodsi adeo in contexendo compendio nexus legum & veritatum rationem habeas, easque, quantum in compendio licet, demonstratas exhibeas: erit *compendium juris*, ex systemate majori excerptum, *scientificum* & *systematicum*. Si autem nexu legum & earum demonstrationibus insuper habitis, in unum locum congeras, quæ ad idem subjectum pertinent, & variis in locis in systemate majori demonstrata exhibentur: compendium juris dogmatico-historicum; denique si non nisi casus speciales atque facta contineat, ad quæ leges applicantur, compendium juris historicum dicere lubet.

Compendia, in quibus principia solum, definitiones, & præcipua doctrinarum capita breviter & absque demonstratione enarrantur, Synopses, item Enchiridia vocantur.

§. XXXVII. Usus compendiorum pro diversitate finis, quem in iis conscribendis sibi proponit auctor aut lector, non unus, potissimus tamen est, ut lectionibus & studiis academicis inserviant. Quod de scientificis atque systematico ordine conscriptis velim intelligas.

§. XXXVIII. In systemate juris majori omnes omnino leges suo ordine disponuntur, & ex suis principiis demonstrantur, conclusiones inde deducuntur, scholiis & casibus illustrantur (§. XXXIII.). Unde facile colligitur, systemata juris majora in ampla volumina excrescere, demonstrationes etiam evadere prolixas & copiosas. Enimvero præstitutum studiis academicis tempus, nec non ingens discendorum copia, vix ferre videtur tantam in explanando systemate prolixitatem: adde, quod longa propositionum demonstrativarum series discentibus nauseam

facile

facile creet. Uſui adeo academico ſeu lectionibus publicis minime conveniunt ſyſtemata juris majora. Quis enim e. g. non rideret, qui in lectionibus juris publici FECIALEM EUROPÆUM, aut LIMNÆI jus publicum, in jure vero civili JOAN. VOETII, aut ſimilis molis commentarium, ad Pandectas explanandum, ſibi ſumeret.

§. XXXIX. Minime omnium autem ferendum id erit in Academiis Germaniæ noſtræ. Præterquam enim, quod in jure naturæ, ethico, politico & gentium hoſpitem eſſe non deceat ſtudioſum juris, in imperio R. Germ. præter jurisprudentiam eccleſiaſticam & civilem, publica imperii & feudorum jura addiſcenda veniunt. Quodſi in alterutra juris parte majora ſibi ſyſtemata, aut ſcripta, compendiorum modulum excedentia, pro cynoſura habeant: ultra quam fas eſt, diſcentes detinentur, ut ceteras jurisprudentiæ partes, vel negligant plane, vel non ea ſaltem, qua oportet, induſtria pertractent. Obvia hæc ſunt, & triſtes ipſi ſæpius horum abuſuum ſpectatores fuimus. Augentur incommoda, ex indigeſtis compendiis propullulantia, ſi obſcuritatis vitio laboret auctor, cujus ipſe *celeb.* ZOESII Commentarius ad Digeſta non immerito arguitur. Taceo quod compendii academici limites longe excedat.

§. XL. Nec a vero aberravero, ſi hiſtoriarum, juris publici, naturæ & gentium neglectum prolixioribus ejusmodi compendiis, vel potius voluminibus, quæ explananda ſibi ſumunt docentes, adſcripſerim. Primo enim de pane lucrando cogitandum eſſe, anxia cura tenellis juvenum animis inculcatur. Et bene hactenus; modo ne de mediis panem lucrandi erronea judicia ſuggererent. Implantatur enim diſcentibus erronea illa perſuaſio, jus civile atque canonicum ſolum mereri, cui ſeriam operam navent, reliqua

eſſe parerga, decoris, converſationis, benevolentiæ captandæ, favorisque conciliandi gratia tractanda. Hinc quibus benignior Minerva favit, aut quorum præ reliquis major ſolertia eſt, initio ſtatim curriculi juridici in ſpiſſis voluminibus ſeſe volutant, nec ante dimittunt, quam ingenti farragine cerebrum memoriamque obruerint. Et hæc ipſa, inquit T. Petronius, tolerabilia eſſent, ſi ad *jurisprudentiam* ituris viam facerent: nunc & *legum* tumore & *quæſtiuncularum* vaniſſimo ſtrepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo *hac ratione* ſtultiſſimos fieri; quia nihil ex iis, quæ in uſu habemus, aut audiunt, aut vident &c. Qui inter hæc nutriuntur non magis in politicis rebusque imperii ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant.

§. XLI. Verum non eſt, ut aliquam in ſtudiis academicis emendationem nobis promittamus; niſi I. qui ſummi magiſtratus officio funguntur, ſeria & matura deliberatione inquirant, quæ in uſum futurum boni tum privati, tum publici promovendi gratia, diſcenda ſint & docenda. II. Publice ea tradenda, lege definiant. III. Compendia ſuccincta, methodo ſcientifica conſcribenda, ac prælegenda curent. IV. Non niſi in diſciplinis, quas pro ratione functionum obeundarum neceſſarias judicarint, exercitatis ad publica munia viam faciant, & V. ſaluberrimas conſtitutiones circa ſtudia ſumma vigilantia curaque cuſtodiant.

§. XLII. Nec eſt, quod libertati docendi atque diſcendi inde metuas. Nec enim hoc fine limitatam eam volumus, ut novis veritatibus ſyſtemata & compendia augendi atque ditandi facultas præciſa ſit: quin potius neceſſitatem academiarum ſcientiarum, non mathematicarum

ſolum

ſolum & phyſicarum, ſed & moralium atque politicarum, ipſi adſtruimus. Et dum compendia in uſum academicum conficienda eſſe diximus: eum laborem viris exercitatiſſimis demandandum eſſe intelligimus. Deinde nil obſtat, quo minus, ubi ex libertate docendi vitium naſcitur, intra juſtos limites eam contineat imperans. Quod facile largieris, ubi, quæ de uniformitate juris breviter adjiciemus, probe expenderis.

§. XLIII. In civitate ſummus imperans lege definit actiones civium, & quid ſub his vel illis circumſtantiis juſtum vel injuſtum, agendum omittendumve ſit, determinat. Quodſi determinationes illæ actionum, ſive leges, ſemper & in omnibus reipublicæ partibus, & ſub iisdem circumſtantiis eædem ſint: leges civitatis dicuntur *uniformes*.

§. XLIV. *Difformes* contra erunt, ſi in diverſis reipublicæ provinciis aut dicaſteriis actionibus & controverſiis dijudicandis normæ diverſæ præſtitutæ ſint.

Sic e. g. leges circa furtum difformes erunt, ſi ſc. furtum, ſub iisdem circumſtantiis admiſſum, in uno dicaſterio laqueo, in altero mulcta pecuniaria, coercendum lege jubeatur.

§. XLV. In politicis, ubi de legibus civilibus agimus, difformitate legum adminiſtrationem juſtitiæ impediri, rabularum tricis januam aperiri, ſummum denique jus in ſummam injuriam degenerare, evincimus. Quod cum fini civitatis, ſeu reipublicæ, repugnet: utique leges in republica difformes ferendæ non erunt.

§. XLVI. Summa itaque ſollicitudine eo annitendum erit, ut, cui legum ferendarum aut conſervandarum cura

demandata est, ut in omnibus dicasteriis uniformes introducat; h. e. uni eidemque actioni, seu casui, unam eandemque applicare legem jubeat.

§. XLVII. Frustra tamen uniformitatem legum in Germania præstolamur, nisi abusus quidam insignes, in Academiis haud infrequentes, tollantur, inter quos præcipuus est, quod docentes in explicandis legibus legislatoriæ similem sibi sumant facultatem, dum mentem legum pro lubitu quisquis interpretatur. Inde enim fit, ut, cum Doctorum effata pro norma & regula habeant discentes, futuri olim judices: in tribunali de una eademque actione, sive casu, diversissimas foveri videris sententias, quas tamen easdem & conformes menti legislatoris esse oportebat. Hinc docentes 1. de concordibus & uniformibus juris principiis laborent; 2. in explicanda mente legis ad rationem legislatoris respiciant; 3. crebro inter se conferant de dubiis legum interpretationibus, easdemque, antequam ipsi tanquam normas eas discentibus proponant, Principi confirmandas, ac robore legali donandas, offerant. Hac ratione leges tandem ad uniformitatem perduci quis non videt?

Conferri hic merentur, quæ superiori sæculo de uniformitate juris, in Cameræ imperialis judicio introducenda, in comitiis consilia agitata fuere. Vid. *Deliberatio comitialis*, *anno 1641. in Act. publ. Londorpii pag. 583. seqq.* & inter alia

Votum Saxonicum Altenburgicum.

Das Justiz-Weesen würde auch mehrers befördert/ wann den Herren Cameralibus, weil ohne das anderer Sachen halben dero Berichten/ und Gutachten/ dem nächsten Concluso gemäß/ solte erfordert werden/ zeitlich würde zugeschrieben; inmassen auch neulich Hessen-Darmstatt erinnert/ daß sie solten die wider einander lauffende opiniones Cameralium, oder doch nur die vornehmste/ dergleichen bey Gailio, Mynsingero, und anderen

deren zu finden sind / zusammen tragen / und in parato halten damit man hiernächst darinnen eine Vergleichung treffen / und dermahleins gewiß seyn möge / auf welche Opinion der Judex, und die litigirende Partheyen sich könten verlassen; dann es der edlen Justiz sehr schimpfflich ist / daß man in offenen Schrifften vorgiebt: quod hodie jus nostrum fere sit incertum, præjudicia præjudiciis contrarientur: Daher die sententiæ judicum von etlichen inter casus fortuitos heut zu Tage wollen gerechnet werden.

§. XLVIII. Plura non addimus de uniformitate legum & principiorum juris; de qua ex professo alio tempore agendum erit. Unicum monemus uniformitatis principium in politicis palmarium esse, & fontem, unde negotia intricatissima decisionem expectant. Heu quæ fata difformitas religionis, legum, vestitus & morum peperit! Horret mens, memoria terret. Faxit Deus, ut sicut una vera fides, sic una sint & concordia nostra in salute publica promovenda studia.

OPUS-

OPUSCULUM II.

DE
ARCTIS JURIS TALIONIS LIMITIBUS IN STATU HOMINUM GENTIUMQUE NATURALI.

§. I. JUris talionis justitiam & æquitatem ex jure naturali derivant plerique sanctissimi hujus juris Scriptores: (*a*) adeo ut *Illust.* HENRICUS de COCCEIUS in allegata dissertatione (*b*) neget, *pœnam talione unquam minorem; bene vero majorem esse posse*, *affirmet*: *immo jus talionis*, *ut scilicet minimum tantundem reparetur*, *jus natura constitutum*, *jus immotum*, *inviolabile & sacrosanctum*, *quo & Deus ipse uti soleat*, *jus inter omnes gentes ab omni memoria receptum esse*, *asseveret:* de quorum effatorum veritate dubius non una vice animo hæsi; quippe qui prono alveo consectaria rectæ rationis dictaminibus e diametro adversa exinde promanare, nec non justæ defensionis in statu naturali limites bellorumque, rite gerendorum, normas non mediocriter turbari deprehenderem. Serio itaque ac iterata opera talionis naturam scrutandam mihi sumsi, ac tandem genuinos ejusdem limites arctiores multo offendi, quam quidem passim eidem a DD. adsignantur: id quod specimine præsenti, lectionum mearum præliminari, pro modulo virium commonstrare, atque huic meo asserto fidem facere in animum induxi.

§. II.

(*a*) Samuel Stryk. *in dissert. de retors. juris, cap. 1. n. 4. & 5.* Thadd. Joseph Seddler *in dente pro dente in Tridente dissertat. 3. cap. 1. §. 2. Illustr.* Henricus de Coccejus *in dissert. de sacrosancto talionis jure. §. 27.*

(*b*) *§. 26. & 54.*

§. II. Haud refragari æquitati naturali, ut damnum malitiose alteri inferens damno viciſſim dato coerceatur, ipſa naturalis ratio inculcat, & a nemine, quantum ſcio, in dubium vocatur; quod adeo congenitum ipſi homini principium, cui omnis juſtæ retorſionis æquitas innititur, fundamenti loco hic tanquam demonſtratum & indubium ſupponere liceat. Damnum tamen, hoc jure reciprocatum, pro læſione proprie dicta cave accipias. Læſio eſt actio officiis erga alios adverſa; quod de relatione damni juſta dici nequit: adeoque damnum pro læſione ſaltem materiali, non pro formali & ex actione officiis alterius adverſa profluente hic accipimus.

§. III. Quodſi damna data cum damnis reciprocatis compares, & quantitatem unius cum quantitate alterius conferas: variæ & diverſæ reſultant unius ad aliud rationes, pro diverſa damnorum quantitate. Quando inter damnum, lædenti a læſo datum, intercedit ratio æqualitatis: relatio hæc damnorum utrinque datorum *Talio* dicitur. Pone e. g. damnum a lædente datum eſſe ut $5+3$; damnum a læſo reciprocatum eſſe ut $9-1$: erit damnum lædentis ad damnum læſi ut $9-1 : 5+3 = 8 : 8$. Dicta fuit talio a tali; quod ſcilicet ſit damnum ejus naturæ, aut quantitatis, quale nobis datum fuit. (*a*)

§. IV. Simile damnum lædenti a læſo datum, *repreſſaliarum* nomine venit. Differunt nimirum *repreſſaliæ* & *talio* in eo, quod 1. in talione determinata obſervetur ratio damni dati unius ad alterum; ſcilicet, quod utrumque debeat eſſe æquale: a qua damnorum æqualitate in ſimilitudine eorundem, quam repreſſaliæ requirunt, abſtrahimus; ſi-

U milia

(*a*) *Vid.* Sam. Stryk. *alleg. L. cap.* 1. *v.* 5. Coccejus *all. L.* §.

milia quippe damna non necessario æqualia sunt. Ea enim similium natura est, ut salva similitudine quantitate differre possint (a). 2. In talione damnorum æqualitas in rebus diversæ etiam naturæ obtinetur: in repressaliis econtra regulariter id spectatur, ut in re ejusdem speciei & simili ratione alteri vicissim noceamus. Pone e. g. Titium merces meas, ex Indiis venientes, in portu suo detinere, meque vicissim ejusdem naves mercibus onustas e littore meo, quo minus solvant, impedire, nulla habita ratione, quanti meæ, aut quanti ipsius merces æstimentur, ad solam similitudinem offensæ respiciens: damnum a me reciprocatum, haud dubie ad repressalias referendum erit. Quodsi autem, qui centum meos frumenti modios aqua mersit, tantundem eidem ego aqua mergam, aut flamma disperdam, aliave ratione damnum æquivalens referam: talionis id jure fieri, evidens est (§. III.).

§. V. Quodsi in referendo & retorquendo damno non tantum ad rationem æqualitatis, sed insuper ad damni referendi identitatem respicias: species talionis oritur, quam *simplicem* seu *identicam* dicere, atque definire lubet, quod sit identitas damnorum, a lædente atque læso sibi mutuo datorum. Sic si me aggrediens hostis manum mihi amputet, eidem vicissim ego manum præscindam; si in vicem centum jugerum frumenti exustorum centum jugera ego itidem exuram: hæc damnorum æqualitas & identitas ad talionem, eamque simplicem, pertinere liquet.

§. VI. Talionis simplicis exempla in lege divina Mosaica deprehendunt, qui verba S. Scripturæ secundum rigorem & juxta sensum verborum literalem accipiunt: sic enim

(a) Perill. Wolffii *Elem. Mathes. Lat. T. I. p. 22. §. 22.* Ontolog. Latin. *P. 1. S. 3. C. 1. §. 196.*

nim divinus legislator enuntiat Exod. 21. v. 23. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore &c.* Levit. 24. v. 17. 18. *Hominem pro homine, beſtiam pro beſtia*; item v. 19. 20. *ſicut fecit, ita fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet, qualem maculam inflixerit, talem ſuſtinere cogetur.* Deut. 19. v. ult. *Nec miſereberis ejus, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Immo nec Græcis, nec Romanis talio ſimplex incognita fuit; uti infra pluribus monſtrabimus, atque talionis ſimplicis æquitatem ac juſtitiam ex genuinis ſuis fontibus derivabimus.

§. VII. Talionis ſpeciem, ubi nonniſi ad rationem æqualitatis attenditur, ad differentiam talionis ſimplicis, ubi præterea identitatem damnorum requiri diximus (§. VI.), *talionem proportionatam* vocare lubet. Quæ tamen vocabula non eo pertinere velim teneas, quaſi talio ſimplex non ſimul ſit proportionata: quin potius contrarium ex ipſa notione generali talionis, (§. III.) ſtabilita, eluceſcit; ubi inter eſſentialia talionis requiſita in genere rationem æqualitatis collocavimus.

§. VIII. Quodſi *retorſionem* in genere definias damni pro damno relationem: ſub *retorſione* tanquam genere duæ ſpecies collocari poterunt, *repreſſaliæ* & *talio*. *Repreſſaliæ* ſcilicet ſunt ſimilis damni aut offenſæ pro damno, aut offenſa relatio: *Talio* vero relatio damni pro damno æqualis, quæ *talionem ſimplicem* tanquam ſpeciem inferiorem ſub ſe continet, uti ex antecedentibus liquet.

§. IX. Jus talionis quid ſit, ex dictis facile colligitur:

est nimirum facultas moralis & legitima, læso competens, lædenti damnum vel æquale, vel idem & æquale simul referendi. De juris hujus justitia in statu hominum & gentium naturali impræsens paucis disquirendi animus est.

§. X. Fundamenti loco supra (§. II.) posuimus, jure naturali mala nobis inferentes damno vicissim dato coercere integrum esse; id quod pro ratione damni intentati, aut actu illati triplici potissimum ratione contingit:

I. Dum vitam, membra, honorem, & res nostras a violentis invasoribus defendimus.

II. Quando quod ab altero citra jus & fas ablatum nobis est, mediis violentis recuperamus; aut deprædatores eo adigimus, ut damnum datum in æquivalenti resarciant.

III. Denique quando iis, qui nullum læsionibus, deprædationibus & invasionibus modum ponunt, aut damnum datum nulla æquivalenti compensatione resarcire valent, vi armisque, securitatis obtinendæ intuitu, damna inferre cogimur.

§. XI. Atque huc redeunt omnes causæ justæ belli tam offensivi quam defensivi. Addunt quidem alii quartam causam, vindictam scilicet, cujus sumendæ gratia vim & arma in hostes convertere liceat. Enimvero cum vindictæ vocabulum sit anceps admodum, & vulgo pro malo sumatur, quod alteri iræ, & concepti contra ipsum odii explendi gratia infertur; adeoque principium sui agnoscat naturali juri plane incognitum: vindictam seu ultionem a causis mali alteri inferendi justis potius excludendam esse ratus sum. Quæ enim justa est vindicta & ultio, pœnæ vicem subeat necesse

neceſſe eſt; uti pulchre docet vir ſummus HUGO GROTIUS & cum ipſo TESMARUS (*a*), plene nobiscum ſentiens. Adeoque ad cauſam tertiam alteri nocendi vindicta non inepte hoc caſu referri poterit.

§. XII. Quapropter, in rectam talionis normam inveſtigaturis nobis, & genuinos ejusdem limites adumbraturis, præcipue monſtrare incumbit, quænam in quovis caſu proportio damni referendi ad damnum datum obſervanda veniat, unde facile erit concludere an, quando, & in quantum talio locum habeat.

§. XIII. Vitam, membra, honorem & res ſuas ab injuſtis invaſoribus defendere congenitum non minus rationali, quam naturæ animali dictamen eſt. Juſtum proinde erit media ad ſe, ſua, vitamque ſuam defendendam apta, h. e. talia eligere, in quibus contineatur ratio ſufficiens, quod vita, membra, honor & res noſtræ in ſalvo collocentur. Cui conſequens eſt, ut, ſi alia ratione ab impio nocendi propoſito deterreri nequeat temerarius invaſor niſi illato ipſi gravi aliquo malo, illud ſine injuſtæ offenſionis labe infligi poſſit.

§. XIV. Ex eo autem quod ſufficientia oporteat eſſe media, (revera enim quæ ad finem propoſitum conſequendum ſufficientia non ſunt, media dici nequeunt, uti ex ipſa medii notione liquet.) per ſe patet, in electione (*b*) mediorum ad vitam, corpus, resque noſtras defendendas præcipue ad hancce ſufficientiam eſſe attendendum; eaque juſta, maloque depellendo proportionata cenſeri media, quæ ſufficientia.

 §.XV.

(*a*) *De J. B. & Pacis L. 2. C. 20. §. 10. ibique* Tesmar. *in notis.*
(*b*) Perill. Wolffii *Moral. C. 3. §. 151. ſeqq.*

§. XV. Hinc ulterius conſequitur, ad avertendum damnum intentatum non nunquam majus, ſæpe etiam levius malum, quam quod nobis imminet, nocituro inferendum eſſe. Sic ſi pedem, manum, aut oculum ab hoſte eum mihi præſcindere, aut eruere intentanti non niſi cum ipſius internecione defendere valeam: quis dubitat me ceteris paribus ad extremum hocce medium provolare poſſe? Idem dicendum, ſi res meas ab improbo prædone non niſi cum mutilatione membri aut pro circumſtantiis etiam cum ejusdem internecione conſervare valeam.

§. XVI. Ex eadem ratione ſubinde ad mitiora longe mala in defenſione noſtri rerumque noſtrarum provolandum erit. Neque enim eum qui necem mihi intentat, absque diſcrimine trucidare licet; nec Puffendorffianum illud principium probamus, contra hoſtem omnia licere, quam primum ſeſe mihi hoſtem declarat: ſed videndum primo, an non fuga evadendi, inermem reddendi, mutilatione aliave ratione poteſtatem, mihi ulterius nocendi, adimendi facultas ſit. In leges enim ſanctiſſimas juris naturæ ſocialis, & officia proximi, immo in regulas ſapientiæ impingeret, qui, dum leviora proſtant, ad duriora media recurreret.

§. XVII. Idem igitur, aut æquale malum me invadenti hoſti tum demum referre potero, cum vicem illud medii, mei rerumque mearum defendendarum ſubeat: non ideo quod idem aut æquale malum ſit, ſed quia ſufficiens eſt ad vitam bonaque conſervanda illud eligere fas eſt. In æqualitate aut identitate, abſtrahendo ab hac ſufficientia, nulla ratio ſufficiens continetur, cur æquale potius aut idem eligere debeam: ac proin inæqualitatem illam in hoc caſu mere accidentalem non neceſſariam eſſe, apparet.

§. XVIII.

§. XVIII. In æqualitate aut identitate damni, a læſo lædenti relati, natura & eſſentia talionis conſiſtit (§. II. ſeqq.): neque ubi ea abeſt talio amplius, ſed aut repreſſaliæ, retorſio, aut juſta ſui defenſio in genere dicetur mali relatio. Quare cum æqualitatem, aut identitatem mali pro malo avertendo referendi per accidens tantum locum invenire §. *præcedenti* ſufficienter fuerit demonſtratum: talionis jus per ſe & ex natura ſua in juſta ſui & rerum ſuarum defenſione minime tanquam medium unicum & per omnia ſufficiens, ſed per accidens tantum adhiberi poterit.

§. XIX. Immo cum talio ſupponat damnum datum, non vero inferendum & futurum (§. III. ſeqq.): ex ipſa talionis notione eluceſcit, eidem non niſi improprie in juſta ſui defenſione a malo futuro, nondum illato, locum eſſe.

§. XX. Sola igitur & conſtans ratio, mali ad avertendum damnum referendi, regulariter ea obſervanda erit, quæ eſt ſufficientis medii, ad finem conſequendum. Quæ ſufficientia cum in caſibus ſpecificis infinitas progeneret rationum ſpecies ita ut nunc ratio æqualitatis, nunc dupla, nunc tripla, nunc ſubdupla, ſubtripla &c. reſultet: per ſe dici nequit, quod abſtrahendo a caſibus ſpecificis, una ratio præ altera eligi debeat; niſi prius utrum ſufficiens ſimul medium ad hoſtem depellendum aut ad nos defendendum conſtituat, perpenderis.

§. XXI. Dixi *regulariter* ad ſufficientiam medii in determinando malo, hoſti inferendo, eſſe reſpiciendum; ne caſum colliſionis defenſionis mei rerumque mearum cum aliis regulis fortioribus inſuper habuiſſe videar. Cum enim in caſu colliſionis generalis regula obtineat: *ex duobus malis eligendum eſſe minus*: ſequitur, ſi minus malum ex jactura mei,

rerum-

rerumque mearum sit consecuturum, multo vero majus ex malo, vi regulæ §. *præcedenti* stabilitæ tanquam medium sufficiens eligendo, resultaret, a defensione mei & rerum mearum exceptionem faciendam, ac potius damnum subeundum esse, quod non nisi insigniter majori malo declinare licet; id quod in lectionibus ipsis fusius exponemus, addituri & suppleturi quæ ex ardua maxime atque utilissima exceptionum recte instituendarum Philosophia præsupponuntur. Exemplo dicta illustrasse juvat. Pone furem improbum diviti & opulento cuidam malitiose panes aliquot subtrahere, quos parata, quam penes se habet, pecunia comparare poterat; nec aliud medium suppeditare domino recuperandi panes suos, quam si aut sclopeto furem trajiciat, aut crura frangat: colliduntur hic duæ obligationes; una, quæ vult, ut vitam alterius conservet dominus; altera, quæ rerum suarum curam ipsi injungit. Quæ cum ex hypothesi una consistere & observari nequeant, quæstio oritur utra cedere debeat? Cum levidense damnum sit diviti panibus aliquot carere, quos ipsos ad sublevandam alterius inopiam in casu necessitatis gratis elargiri debebat; ingens econtra malum, quod alter hic subire cogeretur: utique ex regula exceptionum recte instituendarum generali patet, illi officio esse satisfaciendum, per quod major perfectio, minus autem malum consequitur. Dominus adeo furem cum panibus potius aufugere sinet, quam ut ipsum in hoc casu sclopeto trajiciat.

§. XXII. In secundo casu, quo alteri malum referre jure naturali licere diximus (§. X.), aut res mea ab altero mihi surripitur; vel alia ratione in corpore bonisve damnum æstimabile datur: distinguendum hoc casu utrum res mea apud eum qui eandem mihi surripuit, extet, vel an

saltem

ſaltem tantundem in bonis habeat, quo damnum datum æqua lance compenſari valeat.

Si res mea apud alterum extet, jus mihi competit rem præciſe meam repetendi, non ultra; cum eatenus tantum ex ſuppoſito læſus ſim: tollitur autem læſio, ſi id, quod e re mea mihi abeſt, integre reſtituatur.

§. XXIII. Aſt nemo non videt, hanc noſtri recuperationem non talionis, verum dominii nobis competentis effectum eſſe. Ex evoluta ſupra talionis notione liquet, damnum utrinque tam ex parte lædentis, quam ex parte læſi in talione æquali æquale aut idem dari (§. III. IV. ſeqq.): id quod in caſu præſenti dici nequit, niſi dicere velis furi aut violento raptori damnum inferri, dum ipſi, quod injuſte ex re noſtra poſſidet, eripimus; id quod manifeſtam abſurditatem involveret.

§. XXIV. Pone porro, invaſorem furem, aut prædonem vi & armis reſiſtere, quo minus meum conſequi valeam: & hoc caſu fruſtra ad talionis jus recurritur, ut rationem veram mali determinemus, quo, tanquam medio noſtrum recuperandi, utendum ſit. Siquidem eodem prorſus modo, quo ſupra (§. XIII. ſeqq.) ex ſufficientia medii, armorum & virium malique, pro re mea recuperanda inferendi, qualitas & quantitas dimetienda erit; tale ſcilicet ei inferendum eſt, quo compellatur ad rem ſuo domino reſtituendam. Unam adeo certam & determinatem rationem æqualitatis in malo, alteri inferendo, fruſtra rurſus ex natura juſtæ rerum noſtrarum recuperationis eruere tentamus.

§. XXV. Ac proin in hoc caſu etiam conſtans illa ratio æqualitatis, ſeu jus talionis, tanquam norma perpetua exulabit, & ut ante, non niſi per accidens locum inveniet.

§. XXVI. Eodem modo sese res habet, si res mea apud alterum non amplius extet; aut injuria talis illata sit, quæ non nisi justa æstimatione facta in re æquivalenti compensari valeat: ut in vulneratione, verberatione, & aliis nonnullis injuriarum speciebus contingit. Suppono autem, eum, qui me læsit, tantum habere in bonis, ut compensari damnum possit; alias casus ad causam nocendi tertiam pertineret ut infra videbimus, & aliam expectaret decisionem. Posito igitur illum, qui me læsit, tantum habere in bonis, unde prævia justa æstimatione, quod e re mea mihi abest resarciri possit: eodem prorsus jure, & modo quo ante (§. XXII. XXIII. & XXIV.) meum repeto, citra necessitatem ad jus talionis confugiendi. Neque proprie talio dici potest, ubi tantum id ago, ut, quod nullo jure e re mea apud alterum est, in æquivalenti æstimatione consequar. Jure talionis adversarius debet reddere animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente: neutiquam vero hæc ejus mens est, ut alterius oculus in vicem oculi mei subintret, ut dens pro dente mea mihi restituatur; utpote quæ restitutio læsum parum juvaret. Adeoque & hoc casu nulla aut exigua admodum erit talionis applicatio.

§. XXVII. Ad casum tertium propero, in quo frequentissime omnium juris talionis applicatio etiam in statu naturali locum habere; immo ipsa natura, tanquam norma mali referendi, constituta esse videtur; quando scilicet damnum ab altero datum per se aut per accidens, veluti propter inopiam lædentis, æquivalente compensatione resarciri nequit. Hoc casu unicum medium superesse videtur, ut qui non habet in ære, luat in cute; sive, ut tantundem quis patiatur, quantum passus est alter, ut idem aut æquale sentiat damnum, quod alteri intulit; in qua reciproca damnorum æqualitate & identitate veram talionis naturam consi-

stere

ſtere, ſupra dictum fuit (*a*). Differt utique hic caſus a primo & ſecundo; a primo quod hic non in urgente illa neceſſitate, vitam resque noſtras defendendi, verſemur; neque conſervationem noſtri rerumque noſtrarum directe, ut in primo, ſed indirecte & per obliquum, ſecuritatem autem directe intendamus; a ſecundo quod de recuperandis rebus hic cogitatio nulla ſit, ſed tantum de conſervandis. Quapropter cum diverſorum diverſa ſit ratio: fundamentum cur in caſu tertio damnum damno referre liceat, utique diverſum erit. Antequam igitur de ratione damni referendi ad damnum acceptum plura in medium proferamus, in rationes, cur hoc caſu alteri nocere liceat, paucis inquiremus, quo ipſo in genuinam ejus proportionem incidemus.

§. XXVIII. Notandum igitur, homini in ſtatu naturali jus eſſe, non tantum mala præſentia avertendi, ſed etiam, quæ certo aut probabiliter futura ſunt, mediis ſapienter electis præcavendi. Id quod dum efficit homo, in ſtatum ſecuritatis ſeſe collocat. Unde planum eſt, jus eſſe homini in ſtatum ſecuritatis plenariæ ſeſe collocandi. Status ſecuritatis omnium maxime ab hominibus nefariis, nulla malefactorum conſcientia tactis, turbatur, vel ipſa experientia teſte. Quapropter in ſtatu naturali eo potiſſimum ſtudia noſtra dirigenda ſunt, ut ab ejusmodi infeſtis ſocietatis humanæ hoſtibus ſecuri præſtemur; id quod obtinetur, ſi aut plene exterminentur, aut in talem ſtatum redigantur, ut pravum nocendi deſiderium amplius ad actum perducere nequeant; aut ſaltim qualicunque caſtigatione edoceantur, non impune alios laceſſi. Malum, quod alteri ob perpetratum facinus eo fine infligitur, ut vel ipſe, vel alii ejusdem exemplo edocti a læſionibus & malo abſtineant; conſequenter

(*a*) Conf. COCCEJUS *alleg. Diſſ.* §. 8.

ter ut securitas humani generis, aut reipublicæ obtineatur, pœna audit. Ex quo patet, pœnas efficacissima esse remedia in statu etiam naturali, queis efficiamus, ut a læsionibus & invasionibus nefariorum hominum securi vivamus.

§. XXIX. Neque enim audiendi sunt, neque naturam pœnarum recte intelligunt, qui in statu naturali nullum eis locum concedunt, easque non nisi a superioris magistratus constitutionibus proficisci opinantur. Nulla sane inter pœnas illas naturales & civiles hasce, seu positivas, intercedit differentia, quam quod hæ a magistratu civili & a superiore; illæ vero, pro ratione exigentiæ, ex arbitrio hominum vel rerumpublicarum, in statu naturali viventium, determinentur: qui diversus pœnas determinandi modus id tantum efficit, ut pœnæ in genere in duas species, positivas scilicet & naturales, dispesci valeant. Essentia generica, & finis utrinque idem, securitas scilicet generis humani, & populorum, quæ in statu naturali perinde ac in statu civili, subinde plenaria invasorum extirpatione variis modis ad terrendum alios aptis effectui data, subinde carceris mancipatione, servitutis impositione, proscriptione e finibus ditionum nostrarum, mutilatione membrorum, aliisve, pro malitiæ, damnique dati gradu, majoribus minoribusve malis inflictis impetratur; prout in lectionibus Grotianis, *Lib. 2. Cap. de Pœnis,* fusius demonstrabitur.

§. XXX. Stabilita hac pœnarum in statu naturali existentia & necessitate, earumque cum pœnis civilibus similitudine, prono alveo fluit, cum iisdem in statu naturali utamur securitatis obtinendæ, aut conservandæ gratia; seu, cum malum alteri referimus, ut a malo imposterum abstineat, pravumque ejus nobis nocendi desiderium coerceamus: eandem prorsus rationem inter malum datum, a

læso

læſo referendum, obſervandam eſſe, quæ in ſtatu civili in pœnarum irrogatione tenenda eſt. Quas enim in ſtatu civili ſummus magiſtratus pro tranquillitate & ſecuritate ſubditorum ſtatuit & infligit pœnas: eas haud dubie hominibus & gentibus, ſuo juri relictis, caſu exigente proprio arbitratu irrogare liberum eſſe debet. Eſt is finis ſocietatum conſtitutarum, ut quod homines vel plane non, vel non niſi cum ſumma moleſtia ſejunctis viribus in ſtatu naturali conſequi valent: id unitis in ſocietate viribus, & ope magiſtratus conſequantur; cujus jura ab eo, quod in ſtatu naturali omnibus licet, paucis exceptis, quæ ipſam ſocietatis conſervationem reſpiciunt, dimetienda veniunt.

§. XXXI. Pœnæ rationem ſufficientem continent, cur malevoli a pravis actionibus abſtineant, hominesque ab eorundem invaſionibus ſecuri vivant; uti ex fine earundem conſtat. Unde tales erunt ſanciendæ atque infligendæ, ex quibus plena nobis ſecuritas obveniat; nam fruſtra alioquin & ſine ratione ſufficiente conſtituerentur. Pœnæ, ſive mala, cum pravis aliorum actionibus connexa, tanquam earundem conſectaria, ſunt media ſecuritatis obtinendæ, quam tanquam finem iis mediantibus ſtabilire cogitamus. Unde cum in caſu tertio malum nos lædenti infligendum tanquam pœnam, & medium eligamus, ut nocere nobis impoſterum deſinat (§. X.): conſequens eſt, inter malum illatum & referendum in hoc caſu eam proportionem tenendam eſſe, quæ eſt inter ſufficientiam medii, & finem conſequendum; quæ ſufficientia medii alterum coercendi ſubinde in majori, ſubinde in minore, nonnunquam etiam in malo æquali deprehendetur. Sicut enim in neceſſaria ſui defenſione demonſtravimus, æquale malum, alteri referendum, non conſtituere perpetuam & conſtantem menſuram moderaminis in inculpata tutela obſervandi: ita multo

to minus æquale malum, alteri relatum, ſufficiens ſemper medium erit, quo ſecuritatem conſequamur; ſed ſubinde majus multo eligendum veniet: uti hodiedum in bellis & in ſanctionibus pœnarum civilium cernimus; uti pariter, ſi minus malum, alteri inflictum, ipſius deſiderium nocendi retunderet, ſtolidum foret ad duriora procedere.

§. XXXII. Talionem in identitate & æqualitate mali illati & referendi conſiſtere ſupra evicimus (§. III. ſeqq.). Non igitur niſi in caſu unico ſecuritatis contra malignos, vitæ bonorumque turbatores obtinendæ gratia, ad talionem, tanquam medium ſufficiens, confugere licet: ſcilicet, quando malum idem aut æquale præciſe rationem ſufficientem continet, hoſtem coercendi & debellandi. Pone e. g. hoſtem, qui improbo auſu ſæpius ditiones meas infeſtavit, nulla amicarum admonitionum, nulla ſæpe leviorum, ſæpius æqualium malorum regeſtorum habita ratione, 20. pagos meos miſere devaſtare, mille & plus ſubditorum meorum truculenta nece perimere, &c.: an tu ſufficere putas, & ſatis coerceri hoſtem exiſtimas, ſi jure talionis totidem ipſius villas devaſtem, tot ſubditos ejus eodem mortis genere puniam; & an non potius extrema me tentare æquum erit? An non centum etiam pagos & villas flammis conſecrare licitum erit, quo tanquam medio ſufficienti, ſecurus tandem ab ejusdem incurſionibus vivam? Pari ratione ſi minori malo inflicto, e. g. ſervitute, nonnullis ſuorum impoſita, idem conſequerer; nemo ſanus ut ad duriora deſcenderem auctor foret. Quod autem aliquando æquali regeſto malo finem meum obtineam, id non niſi per accidens erit, adeoque regulam & normam conſtantem minime conſtituet.

§. XXXIII. Unde præcipitanter nimis illi mihi ſtatuere

re videntur, qui indiſtincte & ſimpliciter juſtam proportionem in æqualitate aut identitate mali dati & referendi quærunt; conſequenter talionis limites juſto latiores conſtituunt, quos ad unicum illum caſum, quo ſcilicet talio rationem ſufficientem, vitæ bonorumque conſervandorum, rerum recuperandarum & ſecuritatis conſequendæ continet, reſtringere oportebat: quod ipſum, cum per accidens ſolum contingere monſtraverimus; in ſtatu naturali mere accidentalem & arctam admodum eſſe talionis juſtitiam, abunde liquet.

§. XXXIV. Erroris autem vulgaris cauſa fuiſſe videtur, quod incauti talionem, ſacris Literis & jure Romano conſtitutam, cum talione, in ſtatu naturali obſervandam, confuderint; nec ſatis attenderint, quid ſacræ paginæ, & civilia jura poſitivi & forenſis habeant. Etenim quæ in ſacra Scriptura locis memoratis occurrit talio, ſeu ſimplicem eandem, ſeu proportionatam intelligas, eam omnem ex hactenus dictis juris divini poſitivi eſſe, facile colligitur.

§. XXXV. Cave tamen ne propterea minus juſtas has divinas talionis leges exiſtimes. Nemo rerum moralium & politicarum vel mediocriter peritus ignorat, difficillimum eſſe in iis, quæ in ſpecialibus caſibus infinitis quaſi modis determinata ſunt, unicam veramque, ſub mille forſan circumſtantiis involutam, recte agendi normam eruere; immo in hacce noſtra mentis caligine ſæpius per vires naturales id prorſus impoſſibile erit. Atque hanc difficultatem maxime ſentiunt ii, qui juſtæ defenſionis exceptionumque, in caſu colliſionis recte inſtituendarum, regulas demonſtrare intendunt. Ne igitur electus Dei populus ſcrupuloſa & anxia mentis diſquiſitione premi neceſſe haberet, quæ juſta præciſe in caſibus ſpecificis in malo, alteri, tanquam medio & pœna

pœna ejus malitiam coercendi inferendo, proportio observanda foret: sapientissime omnino summus Legislator modo unico & uniformi determinavit, quod in statu naturali, & per se infinitis prope modis determinatum erat. Neque secundum regulas sapientiæ justior proportio eligi poterat, quam quæ in medio seu æqualitate consisteret. Sic enim effectum, ut in plerisque casibus talio fieret medium & pœna sufficiens, neque tamen, nimius erga delinquentes rigor juste inculpari potuerit. Ex regulis prudentiæ legislatoriæ generalibus demonstrari potest, latere in talionis sanctione specimen legis positivæ sapientissime latæ.

XXXVI. Nec minus illam, quam LL. XII. Tabul. stabiliverant, talionem ad sanctiones positivas referendam esse patet. Talionis scilicet jus ab Hebræis ad Græcos, & in leges Atticas translatum, ab his in leges XII. Tabularum migravit, lege sic data: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, ex pacto Talio esto* (a).

§. XXXVII. Posito tamen, talionis legem ad sanctiones positivas referendam esse: rarius nihilominus exercitium & justitia erit talionis simplicis quam proportionatæ. Quippe proportionata talio in omnibus delictis, quæ pœnam & compensationem damni in qualicunque re recipiunt, e. g. furto, adulterio, calumnia &c. locum invenit; simplex vero talio illis tantum casibus pœnam justam constituit, ubi citra notam turpitudinis & absque labe peccati malum idem referri poterit; e. g. in fractura, vulneratione &c. non in incestu, adulterio, &c. de quibus vide Puffendorff (b).

§. XXXVIII.

(a) Conf. GELL. *Noct. Att. Lib.* 20. *Cap.* 11.
(b) *J. N. & Gentium L.* 8. *C.* 3.

§. XXXVIII. Id tamen ſilentio præterire non poſſum, non recte PHAVORINUM apud GELLIUM *in Noctibus Atticis*, & ex eo PUFFENDORFFIUM (*a*) acrius talionis ſimplicis æquitatem & juſtitiam perſtringere; quod in illis etiam caſibus, ubi absque turpitudinis labe idem malum referri poſſet, vix concipiatur, quomodo præciſa illa æqualitas & identitas damnorum obtineri poſſit. Quis enim e. g. membri pariter rumpendi, oculi viciſſim eruendi perfectum æquilibrium efficiet? Pone, rupto viciſſim membro alterum, gangræna ſuperveniente, diem obire: en maximum juxta præfatos AA mali accepti cum malo relato inæqualitatem! qua ſtante talio, ut putant, nulla erit.

Enimvero non recte meo judicio in malo, læſionem ſubſecuto, ſtatum æquilibrii quærunt citati AA. Æqualis utriusque tam lædentis, quam læſi conditio eſt, ſi uterque tantundem mali non tantum ſentiat, ſed & ſentiendi periculum ſubeat, quantum alter. Imputet ſibi, cui jure talionis membrum rumpitur, ſi minorem forſan quam alter membri rupti curam habuerit; aut aliud quid per accidens contigerit, quo deterior ipſius conditio quam læſi effecta fuit: ſufficit, quod par & æqualis utriusque fuerit expectatio, & quod idem malum, quod lædenti contingit, læſo etiam obvenire potuiſſet.

§. XXXIX. Hæc de talionis recta indole, ejusque limitibus in ſtatu naturali lectionibus meis, in jus naturæ & gentium juxta HUGONIS GROTII Tractatum *de Jure Belli & Pacis* inſtituendis, præmittere libuit; quo monſtrarem, ſumma

Y ma

(*a*) *alleg. Loco.*

ma cura & sollicitudine in eruendis genuinis fundamentis & principiis juris naturalis versandum, eoque annitendum potissimum esse, ut exasciatam & numeris suis absolutam legum naturalium scientiam consequantur, qui usui vitæ negotiisque publicis non inanem olim operam litare gestiunt. Id præprimis cavendum, ne, quæ cum sapientia a divino Legislatore aut a summo Magistratu in republica stabilitæ sunt leges, præcipitato judicio naturali jure perinde obtinere existimemus; quo ipso non potest non summa juris positivi cum naturali confusio oriri, quæ evitatur, si, quæ juris naturalis sunt, determinatis propositionibus efferantur, atque ex suis fundamentis demonstrentur. Tardior, fateor, hæc via est, sed simul etiam securior, eaque voluptate sociata, quam ex rite demonstratis veritatibus percipimus (*a*), eamque utilitatem post se trahens, quam ex solida agendorum cognitione sperare licet (*b*).

(*a*) L. B. de WOLFF *horæ subsecivæ, trimest. æstivo de anno 1729. Specim. I. de voluptate ex cognit. veritatis percipienda.*

(*b*) *Idem Trimest. Brum. Specim. I. de habitu Philosophiæ ad publicam privatamque utilitatem apta.*

OPUS-

OPUSCULUM III.

DE
UNIONE PROLIUM DUCATUS FRANCONIÆ STATUTARIA.

CAPUT I.

DE FUNDAMENTO, ORIGINE, ATQUE NOTIONE UNIONIS PROLIUM, EJUSQUE SUBJECTO ET OBJECTO.

§. I. QUamvis ſecundæ & ulterius reiteratæ nuptiæ tam civili, quam canonico jure permiſſæ reperiantur: favore tamen easdem neutiquam dignas judicarunt legislatores; quin quod odioſas ſemper, legibusque inimicas easdem habuerint, nemo, niſi prorſus in jure noſtro hoſpes, ignorare poteſt.

§. II. Sic conſtat, jure civili Romanorum mulieres, ad ſecunda vota tranſeuntes, præter eas, quæ nuptias, intra annum luctus initas, comitantur, plures ſubire pœnas, & commodo non uno privari. Removentur enim

Primo a tutela ſuorum liberorum impuberum, immo adhucdum ante celebrationem ſecundarum nuptiarum alium petere tutorem, geſtæ autem primo tutelæ rationes reddere tenentur; quod ſi neglexerint, ſimul educatione ſuorum liberorum privatæ, tanquam indignæ propter neglectam charitatem liberorum a ſucceſſione eorundem, ſi impuberes

moriantur, in totum excluduntur, omniumque pœnarum, quas mulieres, intra terminum luctus nubentes, sustinent, se reas faciunt (*a*), bonis vitrici præterea in solidum ratione tutelæ maternæ obligatis (*b*).

(*a*) *Auth. Sacramentum. C. quando mulier offic. tut. Nov.* 22. *C.* 40.
(*b*) *L.* 6. *C. in quibus caus. pign. & d. Nov.*

§. III. Secundo matribus, quæ in secundi matrimonii fœdus nupserint, donationem, liberis prioris matrimonii factam, ex causa ingratitudinis revocandi facultas denegatur (*a*).

(*a*) *L.* 7. *C. de revoc. donat.*

§. IV. Tertio prohibent leges, quo minus in novum conjugem plus conferat dotis, donationis, legati, aut alio quocunque titulo lucrativo, quam reliquerit uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum dedit (*a*); ut etiam profusæ ejus ac immaturæ liberalitati in secundum maritum obveniatur.

(*a*) *L.* 6. *C. d. secund. nupt.*

§. V. Et hæc quidem quoad bona matri propria obtinent. Quoad bona prioris conjugis amittit usumfructum, a prædefuncto sibi relictum, qui liberis prioris matrimonii obvenit (*a*). Quippe quæ maritus ususfructus titulo uxori testamento relinquit, alio jure censeri debent, quam quæ pleno proprietatis jure a marito uxori semel donata fuerunt (§. VII. inf.); ut nil faciat, quod lex in his usumfructum matri reservet (*b*).

(*a*) *L. un. Cod. si secund. nupt.*
(*b*) *Gothofred. in Cod. Theod. ad d. l. un.*

§. VI.

§. VI. Dubium hic oritur, an hæc lex extendenda ſit ad dotalitium, Wittib-Sitz? quod quidem negat CARPZOVIUS (*a*): contrarium tamen juri & praxi Germaniæ magis convenire arbitror; cum ad caſum viduitatis reſtrictum videatur dotalitium in ſolatium viduitatis (*b*). Accedit quod mutato viduitatis ſtatu uxor jura prioris mariti perdat, & in domum, ſacra, poteſtatem, forum & dignitatem novi mariti transeat (*c*): ſententiam tamen CARPZOVII lubens admitto in caſu, quo dotalitium dotem abſorbet, ejusque in compenſationem, non unice in ſolatium viduitatis conceſſum eſt (*d*); ſiquidem hoc caſu non lucrativo, ſed ſatis oneroſo titulo dotalitium tenet.

(*a*) *In lib.* 6. *Reſponſ.* 55. *n.* 10. LUDOVICI *ad D.* §. 14. *d. J. dot.* AYBLINGER *ad D. n.* 20. *ſolut. matr.*
(*b*) MYLERUS ab EHRENBACH. *Gamolog. Princ. ac Statuum Imperii.*
(*c*) L. 22. §. 1. D. *ad Municip.*
(*d*) Naturam dotalitii ejusque originem pulchre expoſuit STRYK. *ad uſ. mod. Tit. de J. dot.* §. 19. *& ſeqq.*

§. VII. Denique ut Imperatores in omnibus plene proſpicerent liberis prioris matrimonii, matrem, ad ſecundas nuptias provolantem, proprietate bonorum, ex facultatibus prioris matrimonii qualicunque titulo lucrativo adquiſitorum, excidere decreverunt, retento quidem uſufructu ad dies vitæ, proprietate vero liberis prioris matrimonii reſervata (*a*). Quodſi vero nullos ex priori matrimonio habuerit liberos, vel natus native deceſſerint: ex benignitate, tanquam ceſſante cauſa, Imperatores (*b*) voluerunt, ut omne, quod quoquomodo perceperit, pleno proprietatis jure, obtineat, atque in hoc liberam transferendi, teſtandique, erga quem voluerit, facultatem indulſerunt.

(*a*) *L.* 3. *C. d. ſec. nupt.*
(*b*) *cit. l.* §. 1.

§. VIII. Non eadem olim severitate nuptias secundas patrum notatas fuisse, ex eo apparet, quod Theodosii M. temporibus patrum, ad secundas nuptias convolantium, dispar fuerit ratio. Gloriosissimus dictus imperator pietati potius, pudori, religioni, & verecundiæ patrum curam, & amorem liberorum prioris matrimonii relinquere voluit, non præsumens eos tam facile cessuros novercalibus delinimentis & instigationibus. At at! quam cito cedent novis novæ conjugis blanditiis ac adulationibus? quam facile mutato thoro mutabitur pietas paterna? His justissimis causis motus Theodosius Junior hoc avi sui consilium in legem & necessitatem transformavit (*a*). Proin novo hoc jure patres & matres æqua lege tenentur, ejusdemque juris vinculo ligantur (*b*).

(*a*) *Nov. Theodosii 7. unde desumpta l. 5. C. de sec. nupt. Nov. 22. Cap. 23. verb. & hac communis.*
(*b*) GAIL. *l. 2. obs. 98. n.* 3.

§. IX. Has pœnas putativas (ut ita eas appellem cum Gothofredo, cum favorem potius liberorum, quam odium secundarum nuptiarum contineant,) auctores admodum augent, & interpretatione extendunt; inter quos videatur Johannes a Gerronibus *de septuaginta sex pœnis secundarum nuptiarum.*

§. X. Sat graves profecto, atque odiosæ videntur prædictæ pœnæ: longe tamen acerbiores sequuntur nuptias, intra annum luctus præmature contractas. Siquidem 1. talis femina, contra honestatem ad secunda vota festinans, perpetua infamiæ nota notatur, honestioris, nobilisque personæ & decore, & jure privatur (*a*): excidit 2. commodis & bonis omnibus tam quoad usumfructum, quam proprie-

prietatem; nec ullam diſtinctionem facimus, an liberi adſint, nec ne; utpote quibus deficientibus ad proximum heredem prioris mariti omnem utilitatem devolvendam ſtatuerunt Imperatores *in dd. LL.* illud deſuper adjicientes, quod via ſucceſſionis ab inteſtato ultra tertium gradum ipſis præcluſa eſſe debeat (*b*).

(*a*) *L.* 1. *&* 2. *C. de ſec. nupt.*
(*b*) *d. l.* 1. *verbis : eandem quoque mulierem infamem redditam hereditatibus ab inteſtato, vel legitimas vel honorarias non ultra tertium gradum ſinimus vindicare.*

§. XI. Quod interpretes optima ratione ad viduas luxurioſe viventes extendunt (*a*). Etenim quomodo ſe benigna legis memoria dignam credet, quæ tam turpiter neglexit memoriam mariti ſui?

(*a*) GAIL. *l.* 2. *obſ.* 98. *n.* 15.

§. XII. Vix clementiores fuere ſancti Patres ſecundis nuptiis, aliis tamen ex principiis. Licet enim ſecundas nuptias non damnarit penitus primitiva eccleſia juxta dictum Apoſtoli (*a*), *Si dormierit* (inquientis) *vir ejus, liberata eſt; cui vult, nubat tantum in Domino: beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Continentiæ tamen, & vitæ aſceticæ ſtudium odia graviſſima iisdem concitavit. Mentem & ſententiam communem Chriſtianorum his expreſſit verbis ATHENAGORAS (*b*): *vel ut natus eſt unusquisque noſtrûm manet, vel in unicis nuptiis; ſecundæ quippe* ſpecioſum *ſunt* adulterium. Paulo aliter MINUCIUS FELIX de Chriſtianis ait (*c*): *Nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus; unius matrimonii vinculo inhæremus; cupiditate procreandi, aut unam ſcimus, aut nullam:* ut taceam alia multa teſtimonia, quibus veritas aſſerti noſtri ſubnititur (*d*).

(*a*) PAU-

(a) PAULUS *ad Rom. c. 7. v. 2. & ad Corinth. c. 7. v. 39.* Confer etiam CHRYSOSTOM. *Homil. V. 32.* Patres Concilii Nicæni *c. 1. qui secundo nubentes ad communionem admittendos esse contra Novatianos statuunt.*
(b) *legat. pro Christianis p. m. 97.*
(c) *in Octavio C. 31. p. 327.*
(d) CLEMENS ALEXAND. *lib. 3. strom.* ANTIOCHENUS *lib. 3. ad Autolycum.* TERTULLIANUS *lib. 1. ad uxores c. 7.*

§. XIII. Recentiori canonum jure severior illa Patrum disciplina correcta est, & non tantum secundæ & ulteriores nuptiæ quocunque tempore permissæ sunt (*a*), sed ecclesia insuper pœnas infamiæ, aliasque jure civili contra secundo nubentes decretas sustulit (*b*), reservatis nihilominus iis, quæ in favorem liberorum prioris matrimonii justissime constitutæ sunt. Neque enim præsumendum est, S. PAULUM quidquam favori liberorum derogare aut leges publicas jura parentum, atque liberorum juste moderantes, tollere voluisse (*c*).

(a) *c. 10. Caus. 31. q. 1.*
(b) *c. 4. & 5. X de sec. nupt.*
(c) van ESPEN *J. Eccles. p. 2. Tit. 15. c. 3. n. 14.*

§. XIV. Videtur nihilominus ex disciplina & sententia Patrum primitivæ ecclesiæ de secundis nuptiis profluxisse, quod hodiedum bigami a sacris ordinibus excludantur (*a*), & secundo nubentibus benedictio sacerdotalis denegetur (*b*); licet consuetudine aut statuto in pluribus diœcesibus secundæ etiam nuptiæ benedicantur. *De quo vide Canonistas, & ritualia Diœcesana.*

(a) *Totus titulus in Jure Canon. X de bigamis non ordinandis.*
(b) *C. 3. X de secund. nupt.*

§. XV.

§. XV. Variæ igitur fuere cauſæ, propter quas tam civilia, quam ſacra canonum jura exoſas habuerunt ſecundas nuptias. Juſtiſſimæ haud dubio inter illas habendæ ſunt, quæ reſpiciunt favorem liberorum (*a*), quorum binubus aut binuba ut plurimum charitatem negligit (*b*), & in matre fides nulla, ſed negligentia & fraus in liberos præſumitur, quæ prioribus liberis vitricum ſuperinducit, dum mutato concubitu ab amore liberorum prioris matrimonii plerumque abalienatur.

(a) *Cauſ. 17. Q. 4. can. fin. cauſa liberorum favorabilior, quam cauſa pia, etiam jure poli.*
L. 1. §. 15. ff. de ventre in poſſ. mit. liberi non tantum parentibus, ſed etiam reipublicæ naſcuntur.
(b) *Nov. 22. Cap. 40.*

§. XVI. Reſtat, ut paucis in uſum modernum dictarum conſtitutionum inquiramus. Id enim juris ſtudioſo præcipuum eſſe debet, ut, præpoſita theoria legum, in earundem uſum practicum ſolertius inquirat. Quod conſtitutiones attinet, quibus pœnæ ſtatuuntur in conjuges, prædefunctum maritum, non, uti oportet, lugentes (§. X. ſup.), eas quidem totius imperii deſuetudine ſublatas eſſe, haud pauci JCtorum aſſerunt (*a*): minus recte tamen, mea opinione, id ita generaliter adſeritur. Sit enim, in uno alterove territorio eas ab uſu receſſiſſe, aut receptas nunquam fuiſſe: an generalem inde per totum imperium abrogationem, aut nullibi eas receptas eſſe, inferes? Illud admitto lubens, dictas conſtitutiones ad amuſſim juris Romani vix in imperio obſervari: in totum vero ſublatas eſſe, eſt, quod nego, & pernego, illuſtre hac in re teſtimonium præbente jure noſtro Franconico, circa parentes ad ſecunda vota nimis mature, violata verecundia, ante luctus exitum properantes (*b*), ſuperaddita inſigni differentia a jure Romano, quod maritus

tus sub dicta poena etiam per tres menses exspectare teneatur (c), cum jure Romano uxores viri lugere non compellantur (d).

(a) FLECK. *Biblioth. Juris. L. 1. Tit 55. n. 10.* SICHARDUS *ad rubric. Cod. de secund. nupt.*
WESENBECIUS *in apostil. ad Schneidevv. de hered. quæ ab intest.*
(b) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 107. §. 4.*
Begebe sie sich aber darüber in Ehe-Stand (intellige: So sie schwanger / bevor sie der Geburt entlediget / und aus dem Kind-Bett kommen ist (d. Tit. §. 2.); so sie nicht schwanger / vor Verfliessung dreyer Monath) so sollen sie alles dasjenige / so ihr von des Manns Güter / vermög der Heyrathlichen Abrede / gebühret hat / hierdurch verwürcket haben / und solches den Kindern anwachsen; oder da keine Kinder vorhanden / auf des Manns nächste Freunde fallen.
(c) cit. Tit. §. 5. gleicher Gestalt soll der Mann zu Ehren des heiligen Sacraments der Ehe / und um schuldiger Gedächtnus willen seines verstorbenen Ehe-Gemahls innerhalb gehörter Zeit der dreyen Monathen sich zu verheyrathen auch nicht Macht haben / bey obgesetzter Straff.
(d) *L. 9. D. de his qui not. infam.*

§. XVII. Multo minus de usu practico illarum legum dubitandum erit, quæ bonis liberorum prioris matrimonii consultum volunt. Neque crediderim, minus hodie incumbere summis imperantibus, novercalibus blanditiis & periculis, queis bona liberorum, parentibus eorum ad secundas nuptias transeuntibus, exposita esse noscuntur, salutaribus constitutionibus obviam ire, quam pridem a Romanis Imperatoribus id factum esse monstravimus (a).

(a) STRYCK *ad us. mod. Pandect. Tit. de ritu nuptiarum.*

§. XVIII. Verum cum status non tantum imperii, sed etiam singulorum territoriorum a statu reipublicæ & imperii

rii Romani veteri haud parum differat: mirum videri non debet, leges civiles non niſi in quantum ſtatui publico, & moribus patriæ ac territoriorum conveniunt, in imperio noſtro receptas, vel ſaltem iis æquivalentes & ſimiles ab ipſis Germanis legislatoribus latas, atque introductas fuiſſe.

§. XIX. Quapropter cum non tanto in diſcrimine educatio verſetur, quanto bona liberorum expoſita ſunt: enixius proſpiciendum eſſe rati ſunt legislatores, ne quidpiam anſæ relinquatur parentibus, in bonis liberorum impune graſſandi. Hinc ſtatutis multorum locorum cautum, ut, conjugum altero ad ſecunda vota tranſeunte, liberorum bona a ſubſtantia conjugis ſuperſtitis probe ſeparentur, atque hoc facto tutelæ curatelæve cognatorum ſuorum, aut aliorum virorum fide dignorum, committantur.

§. XX. At ne ſic quidem ſatis conſultum fuiſſe liberis prioris matrimonii, docuit & ratio & ipſa experientia. Quid enim, ſi prædefunctus conjux inops, ſuperſtes vero locuples extiterit? Hoc ſane caſu parum commodi ſentient liberi prioris matrimonii, ſi facta ſeparatione parenti ſuperſtiti plena facultas ſit in liberos ſuos poſterioris matrimonii omnem ſuam ſubſtantiam, ſive inter vivos conferendi, aut poſt mortem, excepta fors legitima, liberis prioris matrimonii debita, relinquendi.

Quod incommodum, ſeparationem conſequens, ne liberis primi thori eveniat, ſtatutis hinc inde ſapienter proviſum, atque portio totius maſſæ bonorum, tam maternorum, quam paternorum, determinata eſt, præſtanda liberis, ipſorum parentibus ad ſecunda vota convolantibus, & aliis nonnullis caſibus, de quibus conſulenda ſtatuta peculiaria locorum.

Portio hæc statutaria in Ducatu Franconiæ consistit in duabus tertiis, in casu separationis liberis in vicem legitimæ extradendis, relicta superstiti conjugi una tertia, de qua pleno jure disponit (a). Qua dispositione sapientissima egregie consulitur liberis, & incommoda secundarum nuptiarum, bonis ipsorum maxime infesta, efficaciter præcaventur.

(a) De hac legitima sive portione statutaria Ducatus Franconiæ vid. Landg. Ordnung *P. 3. Tit. 29.*

§. XXI. Enimvero cum portio hæc statutaria magnam inde substantiæ partem parentis superstitis absorbeat, præsertim si repetitis sæpius nuptiis iterato hæc separatio instituenda sit; 2. tota massa propter diffusas negotiationes, aliasque ob causas absque summo dispendio & periculo separari nequeat, neque propalari bonorum quantitatem forsan consultum sit; 3. aut denique bona ob tenuitatem separationem non admittant, nisi & alimenta liberis, & parenti superstiti honestam sese sustentandi viam præcludere velis: apparet, gravissimam subinde parentibus accidere bonorum separationem.

§. XXII. Immo subinde minus proficua etiam liberis deprehenditur; ut accidit in casu, ubi ob tenuitatem totius massæ & numerum liberorum duæ tertiæ ad alimenta ipsis præstanda haud sufficiunt. Adde, quod eveniat sæpius, ut incuria & negligentia tutorum & curatorum assignatam ipsis portionem antequam ad maturam ætatem perveniant, consumtam, aut dilapidatam comperiant, (a) ita, ut quod salutariter in liberorum utilitatem constitutum erat medium, in summam ipsorum injuriam cedat.

(a) Vid. Consult. DEMERAD. *in diff. J. com. & statuta. Franc. P. 4. diff. 6. n.* 8. 9. 10. *&* 11. succincte & pulcre hæc innuentem.

§. XXI.

§. XXIII. Aſt ſi nihilominus rei domeſticæ ratio ſuperſtitem conjugem extra conjugium vivere non ferat, corporis habitus & naturæ indoles ipſum non ſine ſcandalo aut periculo animæ vitam ſine thori ſocio tranſigere patiatur? Optimum haud dubie in hac officiorum colliſione judicabis, ſi ſalvis liberorum bonis & illæſa ſubſtantia parenti ſuperſtiti ad ſecundas nuptias tranſeundi via commonſtretur: id quod præſtitere leges patriæ in pactis, quibus primi & ſecundi thori liberi quoad ſucceſſionem in utriusque parentis bona ita parificantur, ac ſi ex iisdem legitimis nuptiis prognati eſſent.

§. XXIV. Atque ita naturali quaſi ductu legislatores noſtri incidêre in pactum unionis prolium (*Germanice* Ein-kindſchafft) æquiſſimis, firmiſſimisque ſuffultum rationibus, atque medium aptiſſimum, quo ſalvis ſecundis nuptiis earundem incommoda evitentur. Parificatis enim utriusque conjugii prolibus parum jam intereſt, quid quantumve in poſteriorem conjugem transferant parentes ſuperſtites, utpote cui & ipſi anterioris matrimonii liberi heredes exiſtunt; ceſſat periculum fore, ut ſubſtantiam bonorum augeant parentes cum privignorum diſpendio; cum jam eodem & pari jure ad eandem vocentur; denique, cum utrique conjugum privigni liberorum loco fiant, mediante hoc pacto unionis, potiſſimæ etiam neglectæ educationis privignorum cauſæ concidunt.

§. XXV. Aliam adhuc rationem introducti hujus pacti ſuggerit laudatus ſupra *Clariſſ.* DEMMERAD (*a*). Nimirum expeditum eſt in jure, defunctis parentibus liberos ipſorum legitimos ſimul & naturales heredes ab inteſtato fieri, atque ita defuncta matre liberos ipſius ſolos ſubſtantiam ipſius, & quidem jure Germanico etiam acquæſtus partem di-

midiam acquirere: id quod itidem de patre præmortuo dicendum. Quodsi jam contingat e. g. patrem, nulla prævie instituta separatione bonorum, matrem privignam liberis primi thori, immo tertiam, & quartam matrem liberis secundi & tertii matrimonii superinducere. Cum cujusvis conjugii liberi suæ matri succedant (*b*), tam in propriis ipsius bonis in matrimonium illatis, quam receptitiis, & in acquæstus parte jure Germanico: quanta quæso confusio bonorum! quot inventaria conficienda! quæ difficultates in acquæstu cujusvis conjugii determinando! Quis non videt infinita hic litium semina propullulare, uno ictu rescecanda pacto unionis, provide & juxta leges patrias, fraudes omnes hic abesse jubentes, inter liberos primi & ulteriorum conjugiorum inito.

(*a*) DEM. *l. cit.*
(b) *Novell. de consanguineis & uterinis fratribus. L. Matris D. ad Senatus Consult. Tertull.*

§. XXVI. Et mirari sane subiret, qua ratione Romanos Legislatores, de præcavendis secundarum nuptiarum incommodis & conservatione bonorum, pupillis ex priore conjugio obvenientium, summe sollicitos, pactum hocce unionis prolium fugere potuerit, nisi ipsum Romanorum jus publicum pacta qualiacunque de futura successione detestans (a), hujus rei rationis suppeditaret. Modi quippe, bona sua post mortem in alios transferendi, publicis legibus determinati cum essent, & ipsa testamenti factio speciem legislationis præ se ferret (b): per pacta privatorum successoria juri publico derogari credidere; id quod piaculo a Romanis habitum esse constat (c). Alias rationes, sed minus adæquatas, suggerit Justinianus (d), quas suo loco relinquimus.

(a) L.

(a) *L. 5. C. d. pact. convent. l. 19. & ult. C. de pactis.*
(b) HEINEC. *Antiquit. Rom. ad lib. 2. Inſt. Tit. 10. & 11. §. 2.*
(c) *L. ult. D. de ſuis & legit hered. L. 38. D. de pact.*
(d) *L. ult. C. de pactis.* ZOES. *ad tit. de pactis.*

§. XXVII. Enimvero hæc juris Romani de pactis ſucceſſoriis principia nunquam, aut ſaltem non ſine aliqua limitatione adoptavit Germania noſtra (a). Hinc mirum non eſt, quod unionem prolium, tanquam pactorum ſucceſſoriorum ſpeciem, receperint, & approbarint Legislatores noſtri, cum inter privatos etiam pacta de futura ſucceſſione, niſi fors in uno alterove territorio jus Rom. obtineat, valide celebrari, quotidiana doceat experientia (b).

(a) STRYCKII *Uſus mod. in Tit. de pactis §. 13.* ubi pacta ſucceſſoria, eorumque uſum modernum usque ad finem tituli diligenter inquirit.
(b) Teſte protocollo judicii provincialis.

§. XXVIII. Quando primum introductæ fuerint uniones prolium difficilis eſt perquiſitionis, nec certo definire licet. Puto ego, eandem eſſe antiquiſſimam & conſuetudine primum, ut fieri ſolet, a privatis introductam, poſt etiam publica, ac legali auctoritate in multis Germaniæ provinciis ſtabilitam fuiſſe (a). Primus, qui hujus pacti mentionem facit, eſt GIPHANIUS JCtus ſæculi XVI (b).

(a) RICK. *de Un. prol.*
GAIL. *l. 2. obſ. 125.*
STRYCK. *uſ. modern. §. 9. d. adoptio.*
Landg. Ord. *P. 3. Tit. 108. & ſeq.*
(b) GIPHANIUS *in tit. 11. d. adopt. ad inſtit. princ.* cujus verba hæc ſunt: *alter adoptionis modus per matrimonium hodie noſtris moribus eſt uſitatus, quo liberi dicuntur dari in Morganaticam ſeu Morgengabam; nam ſæpe fit, ut inſtrumento nuptiali pactum inſeratur, quo liberi antea ſuſcepti ex altero duntaxat, communes fiant.*

fiant, & quasi adoptentur. Refert ibidem septem adoptionis modos.

§. XXIX. Quando vero superius allegato loco STRYCKIUS & THOMASIUS (a) rarissime in praxi occurrere pacta unionis prolium asserunt: id quidem eidem quoad partes & provincias Saxoniæ & Germaniæ inferioris concedimus, neutiquam vero de Ducatu Franconiæ & adjacentibus provinciis, ubi teste experientia pacta unionum prolium sunt frequentissima, & quotidie celebrantur.

(a) THOMAS. *in diss. d. adopt. §. 6. lit. f.*

§. XXX. Justitiam hujus pacti sat firmis rationibus supra (§. XXIV.) evicimus. Neque obstat, quod propter mediocritatem bonorum novi conjugis bonis liberorum prioris matrimonii longe superioribus, his per ejusmodi pacta parificatoria præjudicium, & inæqualitas accrescat. Videbimus enim in sequentibus, quod & hic cautæ fuerint leges nostræ Reservatum & Præcipuum constituentes iis, quorum bona alterius bonis longe sint pinguiora (a).

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 121.* Von dem Voraus, auch wie und wovon derselbig gemacht, und wenn er gegeben werden soll. *& inferius Cap. 3. §.*

§. XXXI. Pactum hoc unionis prolium in genere definiri potest, quod sit pactum inter parentes binubos, de liberis, ex diverso matrimonio natis, aut nascituris, utriusque conjugis parificandis initum.

§. XXXII. Enimvero cum in societate civili legislatores naturalibus negotiorum & contractuum determinationibus civilia insuper requisita addere & formam novam superinducere soleant, cujus rationes jurisprudentia legislato-

latoria ſuggerit (a): in definiendis negotiis, & pactis civilibus ad determinationes civiles utique reſpiciendum, & ea definitionibus inſerenda, quæ ex ſola voluntate legislatoris, non per ſe invicem determinantur. Definio itaque unionem prolium juxta jus noſtrum Franconicum, quod ſit actus, ſive conventio legitima, qua cauſa cognita, judicii provincialis auctoritate, eorumque, quorum intereſt, conſenſu accedente, parentes, ad ſecundas nuptias tranſeuntes, liberos ex diverſo matrimonio ſuſceptos, vel ſuſcipiendos, utriusque conjugis parificant. (b)

(a) L. B. de WOLFF. *Politic. Cap. 6.*
(b) Landg. Ordn. *P. 3. Tit. 108. §. 1.* Und alſo alle zu gleicher Erbgerechtigkeit ſtehen ſollen/nicht anders als wann ſie alle aus einer Ehe gebohren wären ꝛc.

§. XXXIII. Pactum hoc unionis prolium multa cum adoptione juris Romani, qua in locum filii vel nepotis adſciſcitur is, qui natura talis non eſt, communia habet. Sic ratione modi unio prolium convenit cum adoptione; quod conſenſus parentum, & certa ratione liberorum, utrinque accedere debeat; quod neutra absque auctoritate magiſtratus fieri queat; quod ſicut adoptio, ita & unio prolium tribuat jus ſuccedendi, illa quidem ab inteſtato, hæc ex pacto &c. (a) Propter hanc ſimilitudinem in vicem adoptionis juris Romani ſucceſſiſſe unionem prolium haud pauci exiſtimant. (b)

(a) De ſimilitudine unionis prolium fuſius agit RICKIUS *dicto tract. d. un. prol. c. 9.* ubi enumerat 36. articulos, in quibus cum adoptione conveniat.
(b) THOMASIUS *in diſſ. d. adopt. §. 6. lit. D.*

§. XXXIV. At ſi rem rem propius penſites, finem & effectus utriusque negotii accurate perpendas; magnam

subesse differentiam deprehendes. Id solum recollige, adoptionis finem esse 1. conservationem familiarum, ne sacra privata, foci, & aræ domesticæ interirent; 2. ut orbitatis & legis Papiæ Poppææ pœnam effugerent Romani cives, πολυπαιδίας præmia participarent; 3. quibus accedebat ambitio dignitatum e. g. Tribunitiæ dignitatis, cujus patricii ordinis cives incapaces erant, nisi plebejo sese adoptandos dedissent. (a) Cogita effectus prorsus esse diversos unionis prolium, neque jus agnationis neque gentis, sicut in adoptione contingit, (b) imo secundum pleraque locorum statuta nequidem patriam potestatem tribuere (c), & centum inde deduces consectaria, quæ in unionis nostræ pactum neutiquam quadrant (d): ut debilis & imperfecta admodum sit comparatio adoptionis cum unione prolium, quæ nihil aliud est, quam pactum successorium juris Germanici.

(a) Causas adoptionis solide demonstrat HEINECCIUS *Antiq. Rom. Tit. 11. §. 1. & seqq.*

(b) vid. *tot. tit. Inst. de adopt.* & HEINECCII *Elementa Jur. Civ. juxta ord. Inst. d. tit. §. 175.*

(c) De jure tamen Franconico aliud dicendum. Nam cum juxta demonstranda *cap. 3. §. 2.* effectus hujus unionis in Franconia sit patria potestas: multa sane consequuntur, quæ & adoptioni communia sunt.

(d) Has differentias collegit idem RICK *cit. loc. n. 38.* JO. WILHELM. HART. *d. un. prol. C. 7. Th. 11. & alii.*

Præcipuæ sunt. 1. quod feminæ unire quidem, non vero adoptare possint, nisi ex indulgentia Principis in solatium liberorum amissorum. 2. Privignus frater sororem privignam unitam durante unione uxorem ducere potest, non adoptatam. 3. Ut uniens unitam plena pubertate excedat non requiritur. 4. Unio etiam fiat liberorum nasciturorum. 5. Unio semper supponat matrimonium: quæ omnia secus se habent in adoptione. *§. 10. Inst. de adopt. § 4. Inst. de nupt. §. 3. de adopt.*

§. XXXV. Subjectum, sive personæ, inter quas pactum

tum hoc unionis celebratur, ſunt perſonæ unientes, & uniendæ. Perſonæ, quæ primas in unione hac perficienda partes gerunt, ſunt conjuges, ad ſecundas nuptias tranſeuntes, qui liberos ex priori matrimonio ſuperſtites habent. Unio enim prolium neceſſario ſupponit matrimonium ſecundum contractum, aut contrahendum; nec minus liberos uniendos adeſſe debere ex ipſa definitione liquet (§. XXXII.). Nec refert, utrum amborum conjugum, an alterutrius tantum ſint ſecundæ nuptiæ. Nuptiarum etiam ſecundarum nomine hic intelligimus omnes, quæ non ſunt primæ; itaque etiam tertias, quartas, & ulteriores comprehendimus.

§. XXXVI. Inter quos igitur ſecundæ nuptiæ eſſe poſſunt, & qui liberos ex priori matrimonio ſuperſtites habent: eos unire poſſe conſtat.

§. XXXVII. Unde nec ſexagenario facultatem proles uniendi denegamus; quia ſola ſenectus non impedit matrimonium, quod in multis,ut in ſenibus, legis eſt obſequium & humanitatis ſolatium (a).

(a) *Can. 13. Cauſ. 31. Q. 1.*

§. XXXVIII. De Spadone idem dicendum. Ita nec moribundus excluditur; cum ipſius matrimonium ſubſiſtat (a).

(a) ZOES. *ad J. Can. L. 4. tit. 17. n. 14. & gloſſ. qui filii ſint legitimi n. 9.*

§. XXXIX. Ex adverſo caſtrati, & qualescunque alii ad matrimonium ineundem inhabiles a facultate, pactum hoc ineundi, excluduntur.

§. XL. De Judæis quæritur, an liberos suos unire possint? quod haud dubie affirmandum. Est enim inter eos verum matrimonium, saltem legitimum, & quatenus est contractus civilis; id quod sufficit ad effectus civiles ipsi impertiendos (a).

(a) Idem confirmat *Reformat. Francofurt. hoc. tit. thes. 32.*

§. XLI. Inter Nobiles haud adeo frequens occurrit unio prolium; cum plerumque pactis familiæ, & hereditatum conservativis, & renuntiativis sibi, & liberis suis prospicere soleant. Adde, quod plerumque feudalia bona teneant, quorum successio jure feudali, aut pacto, & providentia ordinata est. Interim inde arguere non licet, unionem prolium inter Nobiles prorsus cessare, aut sublatam esse. Quid enim obstat, quominus in bonis allodialibus, aut feudis mere hereditariis, si ita visum fuerit, nec pacta familiæ repugnent, liberos suos uniant?

§. XLII. Major dubitatio est, an vitricus, aut noverca privignos, ex priori matrimonio sibi unitos, reiterato in sequentibus nuptiis unire possit? Affirmat id expresse ordinatio judicii provinc. Franc. (a). Verum cum ejusmodi privigni captionibus, ita & insidiis vitrici & novercæ exponantur (b); quippe deficiente affectu, & amore naturali magis amore bonorum, quam liberorum unio in hoc casu peti præsumitur. Speciali igitur cautela hic opus esse judicarunt legislatores, & saluberrime ordinarunt, ejusmodi unionem non nisi coram judicio provinciali valide fieri (c); cum alias etiam extra judicium, aut aliis coram judiciis, accedente solum confirmatione judicii provincialis, celebrari possit, uti infra videbimus.

(a) Landg.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 115. §. 1.* Nun begiebt es ſich aber offt / wann derſelbig recht Vater / oder Mutter hernacher auch geſtorben / daß der überbleibende Stief-Vater / oder Mutter ſich wiederum verheyrathen / und abermahl eine Einkindſchaft auf künftige Kinder aufrichten wollen / dadurch die Kinder unter allerdings Stief-Vater / und Stief-Mutter eingeſteckt werden.

(b) *Ibid. §. 2.* Weil dann ſolches denſelben Kinderen ganz gefährlich ꝛc.

(c) *Ibid. §. 3.* Als wollen / ſetzen / und ordnen wir / daß zu mehrerer Sicherheit ſolche Einkindſchaften weder in Ehe-Betheidungen / noch Verträgen / ſondern allein vor Unſern Landgericht ſollen aufgerichtet werden.

§. XLIII. Porro ex eo, quod in hoc contractu exacta cognitio, utrum unio liberis expediat, præcedere debeat (§. XXIV.): facile colligitur, non valere unionem ad parentes futuros, & incertos; quia ſic judex ſcire nequit, an liberis ſit proficua (a). Hinc tales uniones expreſſe reprobant jura ſtatutaria Ducatus Franconiæ. (b)

(a) Eandem rationem aſſignat Landg. Ordn. *P. 3. tit. 112. §. 1.* viel weniger bedenken mögen / ob die Einkindſchaft den Kindern nutzlich / oder nachtheilig / alſo das fürnehmſte *Requiſitum* der Einkindſchaft nicht gehalten / noch erwogen worden.

(b) *cit. tit. §. 2.* So wollen Wir ſolche Unordnung / und eingeſchlichenen Mißbrauch hiermit abgethan / verworffen / und weiter ſtatuiret / verordnet / und befohlen haben / daß keinem auf ein künftig Weib / oder Mann / und alſo ungewiſſe und unbekannte Perſonen ein Proclamation gegeben / vielweniger ſolche Einkindſchaften an Unſerem Landgericht gemacht und beſtättiget werden ſollen.

§. XLIV. Porro uniendi facultas non tantum patri, & matri, verum etiam avo & aviæ, qui parentum loco habentur, competit; ut proin libere nepotes ſuos unire valeant, & hoc non tantum, ſi ipſi ad ſecundas nuptias

convolent; sed tum quoque, si illorum liberi, ad secundae vota transeuntes, accedente avi, aviæque consensu, ita liberos suos uniant, ut avo, aviæque, perinde ut sui nepotes, succedant (a) Ubi tamen avi, aviæque consentire debent; nam unio prolium alioquin ipsis præjudicio non esset. (b)

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 119. §. 5.* Wurden aber ꝛc.
(b) Plura circa hunc casum vide *in cap. 3. de effectibus.*

§. XLV. Personæ uniendæ sunt liberi sive puberes, sive impuberes, sive nati, sive nascituri (a), sive primi, sive ulterioris gradus; modo ex justis, diversis tamen nuptiis sint procreati. Ubi enim nullum præcessit matrimonium, ex quo liberi adsint ex parte alterutrius conjugis: unio prolium locum non habet. Hinc vel ab utraque, vel ab una saltem parte & matrimonium, & liberi ex eodem superstites requiruntur.

(a) RICKIUS *cit. loc. cap. 9.*

§. XLVI. In uniendis liberis tres diversi casus occurrunt. Aut enim tam ex parte matris, quam ex parte patris matrimonium antecessit, ex quo liberi supersunt, vel ex una tantum parte, matris vel patris scilicet. Primo casu dupliciter fit unio: vel enim 1. privigni inter se tantum parificantur; vel 2. privigni ex utroque latere cum liberis ex novo matrimonio nascituris peræquantur: ut e g. pater cajus ex priore matrimonio habens liberos Sempronium, & Mævium, mater Florentia ex priore matrimonio habens Florianum, & Julianum: Cajo & Florentia matrimonio junctis, id tantum agi poterit, ut Sempronius, Mævius, Florianus, & Julianus mediante unione prolium parificentur, vel ut hi liberi conjunctim cum liberis nascituris ex nova hac conjunctione uniantur. Vel 3. si ex una tantum parte conjugium fertile, & ex quo liberi supersunt, antecessit: hic non potest unio

aliter

aliter fieri, quam ut hujus conjugis liberi extantes cum liberis naſcituris uniantur. Libuit hic innuere diverſos hos caſus, licet quoad effectus parum momenti in unione prolium habere videantur.

§. XLVII. Cum liberi naturales matri perinde ut legitimi ſuccedant (a): a matre etiam uniri poſſe naturales liberos verius eſt; præcipue quia unio ſucceſſionis maxime æqualis commodum ſpectat. De patre non idem videtur, niſi legitimati fuerint; neque enim pater cenſetur, niſi quem nuptiæ demonſtrant.

(a) *L. 2. D. unde cognati.*

§. XLVIII. Objectum unionis prolium conſtituunt bona tam paterna, quam materna, præſentia & futura, talia tamen, quæ dependent a libera diſpoſitione parentum, & liberorum. Unde non procedit hoc pactum in bonis avitis, extra familiam alienari prohibitis; (a) nec in bonis majoratus, primogenituræ, nec in feudis antiquis non ex ſubſtantia patris, ſed ex proviſione primi acquirentis provenientibus. (b) Si enim novum foret feudum, a patre pro ſe, & heredibus emtum, aliud dicendum foret; cum dependeat adhuc ab arbitrio patris: (c) nec etiam procedit in fideicommiſſis familiarum. Talia enim fideicommiſſa pro familiæ & agnationis conſervatione conſtituuntur; unio vero jus ſanguinis, & agnationis non operatur (d).

(a) Ad unionem non ſunt trahendæ res, quas liberi præcipuas habent, ut ſunt feuda *&c.* RICK. *c. 5. n. 54.* HAHN *de Jur. rer. cap. 10. n. 4.*
(b) *Idem* RICK. *cap. 5. n. 11. & 12.*
(c) NICOL. BETS. *de pact. famil. illuſtr. cap. 5. ſub fine.*
(d) *Arg. L. 24. de pact. & L. 8. ff. R. J.*

CAPUT

CAPUT II.

DE MODIS CONSTITUENDI UNIONEM PROLIUM.

§. I. UNionem prolium pactum esse diximus, ast tale, quod non inter simplices & naturales conventionum limites subsistit, sed quod insuper propter prægnantes rationes (a) modo, & forma civili vestitum est, uti ex ipsa ejus definitione (cap. 1. §. XXXII.) elucescit. Quod si noveris, tum ea, quæ ad pactum hoc stabiliendum essentialiter, & ex ipsa sui natura requiruntur; tum quæ in eo constituendo leges civiles, & statutariæ observari jubent: modum intelliges, quo unio prolium erigitur. Est etenim modus determinatio eorum, quæ ad rem aliquam actui dandam requiruntur. Enimvero cum varie requisita ista determinari non implicet, tam ratione personarum, temporis, loci, quam auctoritatis superioris: varios modos uniendi proles constitui posse constat.

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 108. §. verb.* und aber darbey leichtlich allerhand Schaden und Nachtheil/ einer/ und anderer Ehe-Kinderen zuwachsen kan/ wo nicht sowohl die Obrigkeit/ als Freundschaft/ und Angewannte der Vater- oder Mutterlosen Kinder/ ein gutes Aufsehen haben/ damit dieselbe nicht vernachtheilet werden: als haben Wir/ wie/ und welcher Gestalt solche Einkindschaften/ in unserm Stifft Würzburg/ und Herzogthum zu Franken aufzurichten/ diese folgende Verordnungen thun wollen.
DEMMER. *p. 4. diff. 6. n. 19.* GAIL. *lib. 2. obs. 125. n. 5.* RICK. *de Un. prol. Cap. 9. n. 19.*

§. II. Determinationibus essentialibus, sine quibus ens in rerum natura neque esse, neque concipi potest, in

legibus

legibus poſitivis æquivalent determinationes legales, h. e. tales, quæ non ſecus, ac ipſa negotii eſſentialia intrinſeca, requiruntur ad id, ut actus civilis vim & effectum ſortiatur, eaque de ſubſtantia negotii eſſe dicuntur. Dubium itaque non eſt, quin ea, quæ in conſtituenda unione prolium neceſſario obſervari præcipiunt leges, ſint de ejus ſubſtantia, eaque neglecta totum actum, ſive unionem prolium, infirment, ſeu potius impediant (a): id quod eatenus cum celeberr. & conſultiſſ. D. Demerad (b) extendimus, ut unio nullo modo rata, aut firma pronuntiari valeat, licet poſtea appareat, eandem liberis non damnoſam fore (c). Omiſſa enim debita & formali ſollemnitate, totus actus vitiatur (d); nec judex actum validum pronuntiare poteſt, qui ipſo jure nullus eſt.

(a) RICKIUS *ibid. n. 49.*
(b) DEMMER. *p. 4. diff. 6. n. 15.*
(c) Ita de rigore juris; qui, quin accedentibus ſpecialibus æquitatis rationibus in uno, alterove caſu temperari poſſit, ipſa æquitas dictitat.
(d) *L. 5. Cod. de LL.*

§. III. Variant requiſita in unione prolium obſervanda (§. I.): hinc & modi uniendi proles non uni ſunt, iidemque in omnibus locis. (a). Conſulenda hic, ut in arbitrariis omnibus, & juribus non uniformibus, nec generaliter receptis, ſtatuta locorum diverſa. Nos prætermiſſis aliarum provinciarum uſibus, & conſuetudinibus ex ſtatutis Ducatus Franconici modos iſtos determinatum imus.

(a) *Reform. Worm.* von Einkindſchaften Würtenbergiſ. Landg. Ord. *eod. Statut. Francofurt. eod. &c.*
(b) De modis uniendi proles agit *pars.* 4. Landg. Ord. *tit. 9. 10. & 11.*

§. IV. Id saltem monemus, unionem in uno loco rite, ac legitime celebratam, etiam valere in alio loco, ubi plures, vel aliæ sollemnitates requiruntur ex communi, & recepta opinione DD. id statuentium, quod lex, sive statutum, disponens circa sollemnitates actus, effectus etiam suos extendat extra territorium (a). Principium enim generale est, quod quoad sollemnitates semper inspiciatur locus, ubi res agitur, tam circa contractus, quam circa ultimas voluntates, & præsertim actus, quos vocant voluntariæ jurisdictonis (b).

(a) *Arg. L. 6. de Evict.* vid. de hoc themate ULR. HUBER. *in dissert. de conflictu legum in diversis imperiis: subjuncto tit. ff. de legibus in prælectionibus suis Jur. Civ.* ubi doctissime hanc sententiam ex jure gentium demonstrat.
(b) GAIL. *L. 2. Obs. 123.*

§. V. Quid si parentes cum liberis suis unitis in aliud territorium migrent, ubi unio plane non, vel non eo modo recepta est, an parificatio sustineatur? id quod similiter affirmandum esse existimo; quia ex hoc pacto utrimque jam modo jus quæsitum est, quod non sine justa causa iis auferendum erit.

§. VI. Uniuntur autem proles in Franconia vel extra judicium, vel in judicio. Si extra judicium, tunc unio constituitur vel ante matrimonium in ipso nuptiali contractu, vel stante matrimonio per pactum speciale. Hinc triplicem modum, sive potius tres species unionis prolium constituerunt leges nostræ provinciales (a).

Primus modus, sive *species* est, quando initur ante matrimonium, & partem ipsius contractus nuptialis efficit (b). *Alter* modus, quando quidem post nuptias primo constitui-

tuitur, rurſum tamen extrajudicialiter (c): *tertius* denique, quando in ipſo judicio erigitur ſive ante, ſive poſt nuptias contractas (d). Præter hos nullos in Franconia uniendi modos agnoſcimus, ita ut ne quidem in teſtamento parentes liberos ſuos unire queant (e).

(a) Landg. Ord. *P.* 3. tit. 108. §. 3. verb. nämlich/ und erſtlich/ als bishero auf dreyerley unterſchiedliche Weiſen / die Einkindſchaften in unſerem Stift / und Herzogthum aufzurichten herkommen; bey offentlichen Heyraths-Bethaidigungen / ſodann ohne dieſelben durch abſonderliche Vergleichung/ Pacta, oder Geding zwiſchen den Aelteren/ und der Kinder Freundſchaften; und dann letztlich vor unſerm Landgericht Herzogthums Franken: Als laſſen wir es bey demſelben Herkommen auch nachmahls bewenden.

(b) De hoc agit *tit. 109.* wie in Heyraths-Bethaidigungen die Einkindſchaften aufgerichtet werden.

(c) *Tit. 110.* von Einkindſchaften / ſo auſſerhalb der Ehe-Bethaidigung durch Verträge aufgerichtet werden.

(d) *Tit. 111.* von Einkindſchaften/ ſo am Landgericht aufgerichtet werden.

(e) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 116. p. tot.*

§. VII. Hiſce modis, ſive potius ſpeciebus unionis prolium peculiaris ſua forma, & requiſita ad excludendas fraudes, & dolum præſcripta ſunt. Horum quædam generalia ſunt omnibus modis communia, quædam propria. Nos primo requiſita communia ordine recenſebimus, ſubjuncturi, quæ in quovis modo peculiariter obſervanda occurrunt.

§. VIII. Omnes conventiones ex conſenſu paciſcentium validitatem ſuam nanciſcuntur. Quare cum parentes in unione prolium ſint paciſcentes (C. 1. §. XXXV): ex ipſorum conſenſu utique ejusdem validitas pendet: cui accedit alia ratio juris civilis, ne ſcilicet parenti invito ſuus adgnaſcatur

heres

heres (a). Hinc primum requisitum generale est consensus parentem unientium.

(a) *Arg. §. 7. Inst. de adopt.*

§. IX. Hic consensus omnino liber esse debet. Libertas enim pactis essentialis est. Atque ita ne quidem auctoritate judicis parentes ad liberos uniendos compelli queunt; cum invitus nemo cogatur contrahere (a).

(a) *L. 19 C. de J. deliberandi.*
L. 11. C. de contrah. emt. & vend.

§. X. Cum unio prolium damnum, aut emolumentum liberorum respiciat, prout vel in præjudicium, aut in utilitatem eorum contrahitur: non mirum, si leges consensum liberorum adhibendum esse necessario voluerint. Necessitas hujus requisiti ex ipsa etiam definitione unionis prolium elucescit (C. 1. §. XXXII.)

§. XI. Consensum tamen liberorum intelligi velim, qui ejus sunt ætatis, ut consentire possint; quam distinctionem probe observat jus nostrum provinciale, ad id attendens, utrum libri majorennes, puberes, an impuberes sint. Impuberum consensus non requiritur; cum nondum consensum in jure nostro habeant (a): valide nihilominus uniuntur, nec puberes facti eam impugnandi facultate gaudent (b); quæ enim ipsis deest consentiendi facultas, affatim aliunde suppletur. Majorennium autem assensus necessario requiritur, ita quidem ut indistincte absque ulteriori inquisitione ex illorum consensu, aut dissensu unio vel subsistat, vel concidat (c). Quod puberes attinet, eorum quidem consensus de jure Franconico expresse requiritur (d) Cum vero inter omnes constet, fragile esse, & infirmum minorennis ætatis

ætatis conſilium (e): eorum conſenſus non ſufficit, niſi ſtipatus ſit conſilio, & eonſenſu cognatorum, aliorumve bonorum virorum. (f)

(a) videantur Auctores ad Titulum de *auctoritate Tutorum*.
(b) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit. 111. §. 11. verſ.* und mögen hernacher durch die gleichgemachte Kinder / ſo ſie mündig / und zu ihren vollen Jahren kommen ſind / mit nichten hintertrieben werden.
(c) *cit. loc. §. 15.* wann auch Kinder / welche eines vollkommenen Alters / und Verſtandes vor unſer Landgericht kommen / und eine Einkindſchaft begehren / und willigen / die ſollen Land-Richter / und Beyſitzer ohne fernere Inquiſition zu beſtätten ſchuldig ſeyn.
(d) *cit. tit.* §. *13.* jedoch iſt ꝛc.
(e) *L.* 1. *ff. de Min.*
(f) Landg. Ord. *cit. tit. §. 14.* es ſollen aber auch nichts deſto weniger / derſelben Kinder nächſte Blutsfreunde / von dem verſtorbenen Vater / oder Mutter / oder in Mangel deroſelben / andere zwen / oder mehr ehrliche Männer / ſo wie oben gehöret / aller Umbſtände / und Gelegenheit Wiſſenſchaft haben / erfordert / gezogen / und auf deroſelben Gutachten / mit Aufrichtung der Einkindſchaften verfahren werden.

§. XII. Quemadmodum autem leges, quæ conſenſum requirunt in negotio, aut contractu, de conſenſu libero, & ſpontaneo intelligendæ ſunt: ita neque in unione qualiſcunque conſenſus ſufficit, ſed & libere, & expreſſe liberi conſentiant, neceſſe eſt.

§. XIII. Minime itaque ſufficiet conſenſus, vi metuque extortus. Licet enim vi adactus velit, non tamen ſpontanee vult, neque propter motiva rei in-ſed extrinſeca, ab alio ſibi obtruſa, qualia ad obligationem producendam neutiquam ſufficiunt. Illegitima eſt talis voluntas, neque jus facit, niſi jam ante vim, metumve illatum, tale pactum perfectum

fuerit. Quare cum consensus liberorum vi metuque extorqueatur, si pater eos minis atrocioribus, vel verberibus ad consentiendum trahit: non erit ratihabendum ejusmodi pactum.

§. XIV. Quo autem dicta obtineant, requiritur, ut metus ille non sit vani hominis, sed qui in constantem virum cadit (a). Non itaque sufficiunt minæ leviores (b), nec metus levis. Sibi enim, & pusillanimitati suæ hoc imputet; quod in casibus occurrentibus prudenti judicis arbitrio relinquendum, qui pro varietate circumstantiarum, sexus, & ætatis determinet, an metus ad excludendum consensum sat gravis fuerit, nec ne. Inde huc referri nequit, si quis fors ex reverentia erga parentes unionis pactum inierit. Liberi enim libere parentes reverentur. Eapropter si ex reverentia consenserint, consensus eorum utpote omnis coactionis expers pro libero utique habendus, pactumque nihilominus validitate sua subsistet.

(a) *L. 6. Tit. quod metus caus.*
(b) *L. 9. Cod. eod.*

§. XV. Plerumque tamen, cum uniones prolium fiunt, liberi in ea ætate constituti sunt, qua vel omnino non; vel saltem minus perfecte ob imbecille animi judicium consentire valent. Hinc tertium descendit requisitum, scilicet consensus cognatorum, præsertim illorum, qui liberis conjuncti sunt ex parte parentis prædefuncti (a); hi enim ob naturalem & innatum amorem utilitati liberorum omnium optime vigilare censentur.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. Tit. 109. §. 1. vers.* fürnemlich aber diejenige/ so von dem verstorbenen Vater/ oder Mutter herrühren.

§. XVI.

§. XVI. Sin autem tales cognati reperiri nequeant? ad minimum duo alii boni viri, tanquam tutores, & curatores liberis uniendis adjungendi erunt (a); ut horum ſtipati præſidio omnem fucum, & colluſionem fraudulentam ab unionis actu ſuſcipiendo abeſſe judicem edoceant.

(a) Landg. Ordn. *cit.* §. *vers.* ſonſten andere ehrliche / verſtändige / unverdächtige Männer.

§. XVII. Horum partes in eo potiſſimum verſantur, ut ſincere, & fideliter omnes circumſtantias trutinent; facultates liberorum uniendorum, & parentum unientium rite explorent; in vitam, & mores novi conjugis diligenter inquirant; nihil denique eorum prætermittant, quod ad emolumentum liberorum ſpectare quavis ratione poſſit (a).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 109. §. 1. & 2. Tit. 111. §. 5.*

§. XVIII. Ut autem eorum vigilantia, & cura erga liberos uniendos eo minus ſit ſuſpecta, & ex ipſorum etiam parte omnis fraudis opinio removeatur: religione jurisjurandi eos adſtringendos eſſe voluere leges noſtræ (a); quòd putent, & ſincere credant, hoc unionis pactum liberis in univerſum ſalutare futurum.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. cit. tit. §. 2. verb.* dieſe Freunde / oder darzu ſonderlich verordnete Männer / ſollen bey ihren Pflichten / damit ſie den Herrſchaften verwandt ſind / ohne allen *Reſpect* der Perſonen / dasjenige handeln / und machen / daß in Bedenken allerley Umſtände / und Gelegenheit der Perſonen / auch deroſelbigen Vermögens / ſie darfür halten / und achten / das den Kinderen am nützeſten / und beſten ſeye; es werde gleich dadurch die vorhabende Einkindſchaft geſchloſſen / oder wann dieſelbig den Kinderen vor nachtheilig befunden / die Abtheilung der Güter verabſchiedet.

§. XIX.

§. XIX. Ex officio, quod bonis ejusmodi viris incumbit, consequitur, tales eos esse oportere, qui exasciatam tam liberorum uniendorum, quam parentum unientium notitiam habeant (a). Minime igitur admittendi erunt nuntii judiciales, aut alii, qui aut nulla, aut levi saltem notitia sunt instructi, cujus defectus liberis maxima damna parere posset (b).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. cit. tit. §. 1. vers.* so der Aelteren / auch der Kinder Wandel / Wesen / Nahrung / Reichthum / und aller ihrer Gelegenheit halber / nothwendige Wissenschaft haben.

(b) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 111. §. 4. vers.* und nicht (wie ein Zeitlang / nicht mit geringem Nachtheil der Kinder beschehen) Landgerichts-Bothen / oder andere Leute / so weder die Aelteren / noch Kinder bekannt.

§. XX. Quodsi nec boni viri, quales descripsimus, inveniri queant: parentes unientes adeant magistratum loci, ubi degunt, & clausas ab eo literas impetrent, in judicio provinciali producendas; ut ex his eluceat, utrum magistratus municipalis, & loci ejusmodi unionem liberis proficuam existimet, an secus (a).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. Tit. cit. §. 8. verbis:* im Falle aber die Eheleute weder Freunde / noch andere ehrliche Personen / wie oben verordnet / zu Aufrichtung ihrer vorhabenden Einkindschaft / könnten mitbringen rc. *p. 101.*

§. XXI. Enimvero licet omni adhibita cautela, & fidelissime pactum unionis fuerit perfectum: contingere tamen expost poterit, ut parentes helluationibus, compotationibus, aliisque dilapidationibus non propriam tantum, sed liberorum insuper unitorum substantiam deperdant, & absumant. Hisce ut obicem ponerent legislatores nostri,

pru-

prudentiſſime proſpexerunt, ut prædicti tutores, boni viri, cognati, magiſtratus municipales etiam poſt perfectam, & numeris ſuis abſolutam parificationem (eorum officio in tantum perdurante) parentum moribus, & vitæ rationi invigilent, &, ſi fors eam liberis, eorumque bonis damnoſam deprehenderint, judici parentum competenti id absque mora denuntient (a). Quo caſu judicis officium erit, parentes a prodigalitate, minusque frugali eorum vita dehortari, pœnis, carceribus, aliisque remediis abſtrahere, aut hiſce nihil proficientibus judicio provinciali id denuntiare (b).

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 117. rubric.* daß zum Fall übel Hausens/ der gleich gemachten Kinder Freunde/ und Vormündere/ der gemachten Aelteren Unwesen/ an die Obrigkeit bringen sollen.

(b) *cit. tit. §. 2.* es sollen jetzt gemeldte jede vorgesetzte Obrigkeit und Diener für sich selbsten bey ihren Pflichten auf solches ein fleißiges Aufmerken haben/ und die jenige gemachte Väter/ oder Mütter/ so sie/ wie gehöret/ des beschwährlichen Hausens mit ihren angenommenen Kinderen/ und derselben Güteren schuldig seyn befinden werden/ nach Gelegenheit der Sachen/ mit Verweisen ihres Hausens/ auch mit Straff/ und Gefängnus/ und dergleichen Wege/ von ihrem unfugsahmen Wesen abhalten; und da über solches a les bey ihnen kein Auffhörens seyn wollte/ die Sachen samt deren Beschaffenheit umbständlichst an unser Landgericht bringen.

§. XXII. Quodſi vero viri probi, tutores, curatores, aut conſanguinei aliive magiſtratus municipales in eo negligentes extiterint: non tantum actiones, in caſu tutelæ, aut curatelæ male geſtæ, jure proditæ, contra eos conceduntur; ſed præterea pœna arbitraria pro negligentiæ, & culpæ gradu in eos conſtituta eſt (a).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. cit. tit. §. 4.* würden aber die gehörte Vormündere/ Freunde/ oder unsere verordnete Diener/ und vorgesetzte Obrigkeit in deme/ wie oben gesetzt/ säumig/ oder nach-

lässig befunden: Sollen sie vorderst der jenigen Sprüchen/ welche die Rechte gegen die saumseelige Vormündere/ oder Obrigkeiten verstatten/ so wohl ernstlicher unnachlaßlicher Straff/ zu uns sich zu versehen/ und endlich zu gewarten haben.

§. XXIII. Quid si consanguinei in unionem consentire nolint, pater vero eos unire velit, an unio sit confirmanda? Regulariter id affirmandum esse censeo, (a) cum nullus amor vincat paternum (b). Non igitur judex nimium consanguineis credat, qui nonnunquam lucri sui gratia, aut odio patris asseverare quid solent; quo casu judex aliquid, præcipui convenientis nomine, liberis appropriare, unionemque confirmare poterit, si liberis ita expedire visum ipsi fuerit. Quodsi vero justas dissensus consanguineorum causas invenerit; unionem parenti arbitrio suo discreto denegabit.

(a) *Ita decisum fuit* am Landgericht nach *Invocavit*, den 5ten *Martii 1723.* in Sachen Hanß Görg Brandenstein/ Amts Carlstadt/ *contra* Friederich Mittnacht/ und Niclas Bartenstein zu Retzbach.
(b) *L. furiosis §. 1. C. de Curat. furios.*

§. XXIV. Quarto in omnibus unionibus requiritur, ut instrumentum, sive proclama, super unione prolium conficiatur. (a) Est autem proclama scriptura, quæ continet modum, & conditiones, sub quibus parentes hoc pactum inire intendunt, judicio provinciali exhibenda, ut illud approbet, & publicari faciat.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 113. Rubr.* über alle Einkindschaften sollen Proclamata ausgehen.

§. XXV. Ut itaque proclama legitime fiat, requiritur præter ea, quæ diximus, ut in judicio provinciali approbetur, proximis consanguineis intimetur, ac denique in ecclesia

ſia cathedrali, aut parochiali, cui liberi, & parentes ſubſunt, publice legatur; quo omnibus, & ſingulis idem innoteſcat, ut, ſi fors unus, alterve quidpiam contramonere velit, id mature indicet, id quod cuilibet de populo competere nemo dubitat arg. deſumto ab accuſatione ſuſpecti tutoris (a); quippe favor pupillorum publicus eſt. Hac publicatione peracta denuo proclama ſimul cum atteſtato parochi de publicatione judicio provinciali ad confirmationem transmittendum erit (b).

(a) Vid. *tit. in Inſt. de ſuſpectis Tutoribus.*
(b) De requiſitis proclamatis legatur die Landg. Ordn. *cit. tit.* 113.

§. XXVI. Hiſce præviis accedat 5to neceſſe eſt auctoritas, conſenſus, & confirmatio magiſtratus, qui tamen non ſimpliciter auctoritatis gratia adhibendus, ſed cum exacta cauſæ cognitione. Judex enim hac in parte vices parentum, & conſanguineorum agere, ac geminatum pietatis officium præſtare debet, (a) ut ſi in prædictis defectus aliquis reſideret, per magiſtratum, qui vere paternum, & maternum animum induere tenetur, ſuppleatur; nec nimium tutoribus, vel conſanguineis credat. Hinc rejecto conſilio cognatorum, aliorumque ponderatis circumſtantiis, ceteriſque motivis, pro variis, qui accidere poſſunt, caſibus, quod ſibi optimum factu videbitur, amplectatur (b).

(a) *Arg. L. 19. ff. de rit. nupt. L. 7. C. qui admitt. ad bon. poſſ.*
(b) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 109. §. 3. vers.* daſelbſten auch / ob ſolche abgeredte Einkindſchaft den Kinderen nuß / oder nicht nuß ſeye / mit allem Fleiß *inquirirt* / bedacht / erwogen / und alſo nach Befindung der Sachen die Einkindſchaft *confirmirt* / und beſtättiget / oder *annullirt* / aufgehoben / und dagegen die Theilung auferlegt werden ſolle.

§. XXVII. Qui unionem prolium ad actus jurisdictionis voluntariæ referunt, coram incompetente judice qualicunque eandem fieri posse asserunt (a): at nobis coram judice competente eam necessario perficiendam rectius videtur. Non enim hic actus est simpliciter voluntariæ jurisdictionis, sed quodammodo mixtæ; cum cognitionem non vulgarem, sed accuratam exigat; talia vero quæ sunt, in judicio competenti debent exerceri. Confer Stryk (b). Nec obest, quod Comitibus Palatinis facultas confirmandi uniones prolium plerumque indulta sit. Has enim confirmationes expediunt, non quia voluntariæ jurisdictionis, sed quia speciatim hæc facultas ab Imperatore ipsis concessa est. Accedit, quod in ducatu Franconiæ confirmatio Comitis Palatini haud quaquam admittatur, quod etiam novissime per mandatum de Anno 1707. expresse confirmatum est.

(a) HAHN. *de jur. rer. concl.* 73. *n.* 6. RICK. *de un. prol. cap.* 6. *n.* 27. MUSCULUS *d. membr.* 3. *n.* 69. CARPZ. *lib.* 5. *Resp.* 6. *n.* 16.
(b) STRYCK. *in us. mod. ad. Pand. de adopt.* §. 12.

§. XXVIII. Judex competens in Franconia est solum judicium provinciale, das Kayserliche Landgericht / coram quo in universum omnes uniones prolium vel confici, vel ad minimum confirmari debent (a) sub poena nullitatis. Forma enim a lege præscripta ad amussim est observanda, eaque non observata actus ponitur nullus (b).

(a) Landg. Ord. *P.* 3. *tit.* 114. *Rubr.* Alle Einkindschafften sollen am Landgericht confirmirt / oder aufgerichtet werden.
(b) Occasionaliter hic quæritur, si confirmatio proclamatis, condonationis, & comparationis ob dissensum cognatorum, arbitriumque judicis subsecuta non fuerit, an non liberis dein mortuis condonationis saltem pactum, quod consensu cognatorum non indiget, ratihaberi debeat, licet unus conjux amplius consentire nolit? Respondetur neg. quia contractus nondum erat

erat perfectus; nec etiam parentes condonationem tantum, ſed hanc ſimul cum unione celebrare voluerunt. Et ita judicatum eſt nach Lætare den 7ten April 1734. in Sachen Peter Boltts contra Annam Evam Catharinam ſein Eheweib/ beyde zu Neuſtatt.

§. XXIX. Requiſitis cuique modo propriis in ſpecie enumerandis non immorabimur, cum alia pene non ſint, quam quod primo caſu pactis nuptialibus; ſecundo poſt *nuptias* extra judicium provinciale, tertio denique in judicio provinciali celebretur, ex quo differentiæ nonnullæ in modis conſtituendi, præſertim circa inſtrumentum & proclama conficiendum, in cognatis, viris probis, tutoribus, & curatoribus adhibendis ſeſe exerunt, quæ tamen melius ex ipſo ordinationis textu perſpiciuntur, & ex praxi promtius addiſcuntur.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS UNIONIS PROLIUM.

§. I. INſignes ſane admodum effectus ex hoc parificationis pacto rite confecto profluere conſtat, quos partim ex fine ſuo naturaque generali, partim ex ſtatutis locorum, eorumque conſuetudinibus, partim ex adjectis conventionum legibus facile intelligere poteris; quippe in omnibus & ſingulis liberi ex diverſo conjugio comparantur, perindeque in omnibus habentur, ac ſi unius, ejusdemque ſanguinis, ac cognationis eſſent. Vitricus induit perſonam veri patris, noverca veræ matris, privignus & privigna germanorum liberorum & filiarum vices adſumunt; reveren-

tiam ac obsequium debitum parentibus unientibus non secus, ac si essent proprii, præstare tenentur (a).

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 118. §. 1. verb.* Und werden die eingesetzte Aelteren gegen den angenommenen Kinderen/ deßgleichen die Kinder gegen ihnen den Aelteren/ in Erb-Gerechtigkeiten/ und allen anderen Stücken dermassen geachtet/ und gehalten/ als wann die Kinder ihre rechte natürliche Kinder/ und sie der Kinder recht natürliche Aelteren wären/ so lang und so viel/ bis sie wieder von einander vertheilet werden.

§. II. Hinc inter primarios effectus unionis prolium in ducatu Franconiæ merito referri meretur jus patriæ potestatis. Asserit quidem Strykius (a) cum Rickio (b) nullatenus patriam potestatem inter effectus unionis computandam esse, etiamsi pacto unionis hoc expresse insertum. Verum laudatus Strykius opinionem suam ipsemet eo restringit, nisi statutum unionem prolium confirmans patriam potestatem expresse comprehendat. Namque statuti regulariter eadem vis, quæ legis est (c). Cum igitur in ordinatione ducatus Franconiæ inter effectus parificationis patria potestas expresse referatur (d): me ab opinione allegati auctoris nequaquam recedere existimo.

(a) STRYCK. *ad us. mod. Pand. de adopt. n. 15. Idem de success. ab Intest. Diss. 8. c. 6. §. 24.*
(b) RICK. *de un. prol. c. 8. n. 1. & seqq.*
(c) BACHOV. *ad Treutl. vol. 1. D. 2. Th. 11. Lit. E.*
(d) Landg. Ord. *tit. 118. §. 2. verb.* dann erstlichen werden die gemachte Aelteren/ und Kinder vermittels solcher Einkindschaft dermassen einander verwandt/ und vereiniget/ daß derselbige gemachte Vater/ oder Mutter diese Kinder/ gleich ihren rechten/ und natürlichen Kindern/ in ihren NB. Gewalt/ Zucht/ und Gehorsam bekommet. Dagegen sind die Kinder solchen Aelteren zu gehorsamen/ und gegen ihnen gleich/ als wären sie ihre rechte natürliche Aelteren/ sich zu erzeigen schuldig.

§. III.

§. III. Ex quo facile deduces, parentes hos fictitios liberis ſuis comparatis, non minus ac naturalibus & legitimis de alimentatione neceſſaria, victu ac veſtitu proſpicere teneri (a); tranſeunt enim in officium vere paternum, quod ipſa ratione & natura duce parentes omnium primo ad honeſtæ, neceſſariæque ſuſtentationis præſtationem adſtringit (b), ad quod eos refractarios mediante judicis imploratione (c) compellendos eſſe, nemo dubitat.

(a) Landg. Ord. *tit. 118. §. 4. verb.* Hingegen ſind die Aelteren dieſelbe/ wie ihre leibliche Kinder zu erziehen/ und zu unterhalten/ auch auf dem Falle des Abtheilens / ihnen ihr Angebühr des Zweytheils / oder ab inteſtato die ganze Erbſchaft verfolgen / und zukommen zu laſſen ſchuldig.

(b) GROTIUS *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 4. n. 2. Ea de cauſa inſtinctu ſcilicet naturali cetera quoque animantia proli ſuæ, quantum neceſſe eſt, alimenta ſuppeditant.*

L. un. §. 5. C. de reï uxor. act.

L. 4. ff. de agnoſc. & alien.

(c) Alimenta officio judicis petenda eſſe, aſſerit gloſs & BART. *in cit. L. 4. vide* STRYCK. *de actionibus inveſt. p. 1. c. 2. §. 5.*

§. IV. Inde etiam ſequitur, quod unitus ſumtus alimentationis, veſtitus, ſtudiorum, aut opificii in diviſionem haud quaquam conferre tenetur. Et ita in judicando hic obſervari teſtantur quotidiana præjudicia (a): bene vero in collationem veniunt ſumtus itineris; quia hi ad neceſſariam educationem non pertinent.

(a) *Ita judicatum fuit* am Landgericht nach *Lætare* den 7. Aprill 1734. in Sachen Balthaſar Uhls *contra* den münderjährigen Chriſtoph Jahn ſeinen Stief Sohn zu Würzburg ꝛc. ꝛc.

§. V. Nec minus exinde concipitur obligatio affiliatis perinde, ac propriis dotem convenientem, donationemve

ve propter nuptias constituendi; cum dos non minus, quam alimenta pro favorabili causa habeantur (a). Immo in certis casibus favorabilior est causa dotis, quam alimentorum (b): quibus tamen casibus dotem veris liberis denegare jura concedunt, iisdem & fictitiis absque ulla injuria denegare a majoritate rationis licebit; æqua enim lege cum germanis judicantur, nec melior conditio fictitiorum, quam verorum esse poterit.

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 98. §. 1. verb.* Die rechte natürliche / oder *NB.* eingesetzte / und rechtgemachte Aeltern / so die Kinder noch in ihrem Gewalt / oder bey sich noch unabgetheilet haben / sind denselben nach Größe und Gelegenheit ihrer Haab und Güter / wo sie sich mit Wissen und Willen ihrer Aelteren / und im rechtmäßigen Alter / wie hieunten geordnet / verheyrathen / ein ziemlich Heyrath Gut als *dotem, vel donationem propter nuptias*, zur Zeit des Verheyrathens zu geben schuldig.

(b) GAIL. *L. 2. Obs. 95. n. 1.*

§. VI. Quodsi vero liberis ex una parte præcipuum assignatum fuerit, quæri posset, an nihilominus dos ipsis porrigenda sit? id quod omnino affirmandum erit. Quæ enim ipsis foret utilitas ex præcipuo, sin ejus intuitu unius, alteriusve juris jacturam sustinerent? Nec illo fine dici potest præcipuum assignari, cum merum commodum, ac favorem liberorum ab una parte contineat, ceteris omnibus in suo statu salvis manentibus, juxta vulgatum juris bocardicon: *quod in favorem alicujus introductum, in ejus odium retorqueri nequit* (a). Corroborat etiam id jus nostrum Franconicum (b).

(a) *L. 6. C. de LL.*
L. 5. C. de Secund. nupt. in fine.

(b) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 98. §. 2. verb.* Da auch die Kinder Voraus hätten / sollen zu Zeit der Heyrath ihnen dieselbige alsobalden gege-

gegeben / und gereichet / und wann die Aelteren vermöglich / ſie den Kinderen nicht allein ſolche Voraus / ſondern auch / nach Gelegenheit ihrer Nahrung / von andern Gütern etwas ferners darzu zur Ausſteur / und Heyrath-Gut zu geben / auch wann ſich Aelteren / und Kinder / oder deroſelben Freunde deßwegen zweyen würden / unſers Landgerichts Entſchieds deßwegen zu gewarten ſchuldig ſeyn.

§. VII. Eadem ex ratione ad legitimam iisdem æque ac naturalibus, ac legitimis obligantur: & quidem jure communi in caſu diviſionis ſufficeret ipſis bona, ab illorum parente illata, adjudicare. Cum vero pactum illud compariationis differentias præprimis in ordine ad diverſitatem bonorum ad unam omnes ſuſtulerit: eandem legibus aſſignatam portionem legitimam (Ihr Angebühr des Zweyttheils) peræque ac naturalibus, & legitimis aſſignandam ipſis eſſe & rationi juris Franconici, & textibus convenit (a).

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 118. §. 4. verb.* auch auf dem Fall des Abtheilens / ihnen ihr Angebühr / des Zweyttheils / oder *ab inteſtato* die ganze Erbſchaft verfolgen / und zukommen zu laſſen ſchuldig.

§. VIII. Denique quidquid liberi tempore compariationis poſſident, in parentum poteſtatem transferunt ad exemplum arrogatorum, quos ſimul cum liberis, & bonis quibuscunque in arrogatoris poteſtatem, & familiam tranſiiſſe palam eſt (a).

(a) *§. 2. & 11. Inſt. de adopt. L. 40. ff. eod. tot. tit. Inſt. de Acquiſit. per arrog.* Landg. Ord. *P. 3. Tit. 118. §. 3.*

§. IX. Quidquid etiam ſtante unione acquirunt, parentibus acquirunt; immo, quod plus eſt, pleno jure, liberrima de iis tanquam de propriis diſponendi facultate paren-

tibus concessa; id quod jure civili Romano recentiori intelligendum foret juxta diversam peculiorum naturam (a). Ast toto cœlo ab eo recedit jus nostrum Franconicum (b), quod potius hac in re antiqua Romanorum jura resuscitasse videtur, quibus non tantum ususfructus, sed etiam pleno proprietatis jure, quidquid acquirebant liberi, parentibus accedere jus erat (c).

(a) HEINECC. *ad Instit.* §. 473. *& seqq. & Auctores passim in Tit. Inst. per quas personas cuique acquiratur.*

(b) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit.* 118. *§.* 3. *verb.* Zum andern / so werden alle die Haab / und Güter / so die Kinder jetzo haben / oder künftiglichen / da sie noch bey ihren Aeltern unabgetheilet wären / ererben / bekommen / und erlangen mögten / der Aeltern eigen; haben auch mit solchen / wie mit anderen ihren Gütern zu gebahren / zu thun / und zu lassen: und wo solche Kinder hernacher / ehe sie von ihren gemachten Aeltern abgetheilt werden / einige Güter gewinnen / oder bekommen / in denen sind diese gemachte Aeltern dieser ihrer Kinder (wann dieselbe ohne eheleibliche Kinder absterben) Erben *ab intestato.*

(c) *Videat.* HEINECC. *ad Inst. Tit. per quas pers. acquir. §.* 472. §. 1. *Inst. in text. d. tit.*

§. X. Quodsi vero liberis ea conditione donatum, relictumve quidpiam fuerit, ne parentibus acquiratur: jus proprietatis ejusmodi bonorum apud liberos salvum remanere decreverunt sapientissimi legislatores Ducatus Franconiæ; cujus rationem suppeditat Imperator noster Justinianus: ne, quod prospera fortuna eisdem accesserit, hoc in alium transferri contueri debeant (a). Ne vero parentibus in eo omnem utilitatis, atque commodi viam præcludere videantur: usumfructum iisdem nihilominus salvum, incolumemque retinuere (b). Sic etenim & parenti nihil derogabitur, usumfructum rerum possidenti; nec filii lugebunt, si,

quæ proſpera fortuna ſibi obvenerunt, ad ſe, non alios, translata viderint.

(a) §. 1. *in f. Inſt. per quas perſ.*
(b) Landg. Ord. *Part. 3. Tit. 118. §. 5. verb.* Wird aber dieſen verglichenen / und gemachten Kindern von jemand etwas verſchaffet/ vermachet/ geſchenket / gegeben / es geſchehe gleich durch einen letzten Willen/ oder in andere Wege / mit der ausdrücklichen Condition, und Maas/ daß daſſelb nicht der Aeltern/ ſondern deß/ oder der Kindern eigen ſeyn/ und bleiben ſolle: alsdann iſt das Eigenthum derſelbigen Kinder/ und bekommen die Aeltern nur den Uſumfructum, oder Nieſſung/ ſo lang ſolche Kinder noch unverheyrathet/ oder unabgetheilet bey ihnen ſind.

§. XI. Jus illud uſufructuarium leges Romanæ, ut notum eſt (a), ad dies vitæ patris extendunt. Competit enim patri, liberis in poteſtate ſua exiſtentibus, vi patriæ poteſtatis, cujus effectus eſt; durat liberis emancipatis in præmium emancipationis; continuatur mortuis etiam liberis (b), ne mors filii noceat patri. Longe aliter hæc deciſa reperio in ſtatutis Ducatus Franconiæ. Abſit hoc jure uſumfructum in dies vitæ continuari; etenim quantocyus liberi matrimonium celebrant; religionem ingrediuntur (c); aut diviſio ſuſcipitur: quidquid ita donatum, parentes iisdem reſtituendum ſciant, nec quidpiam in ſucceſſione parentum futura id ipſis præjudicabit, ne vel minimum etiam ex iisdem bonis, utpote quæ ab omni collatione exemta ſunt, conferre tenentur (d); cum ejusmodi bona non e ſubſtantia patris ad eos proficiſcantur. Quid? quod plus eſt, uſumfructum quoque, patre in totum excluſo, liberis expreſſa hac conditione reſervari poſſe, iidem legislatores concedunt (e), moti haud dubio jure Novellarum, quo arbitrio domini relinquitur determinare, quem modum rebus ſuis eſſe velit (f).

 (a) SCHNEI-

(a) SCHNEIDEW. *ad Instit. n.* 47. *D. patria potest.*

(b) *L. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib.* BRUNN. *ad Cod. d. Tit. L. 4. n. 6.*

(c) Namque validum est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, adeoque a pari procedunt. *Cap. Sicut vir caus.* 7. *Q. 1. Quia nubere dicitur, qui nubit in Christo.* GAIL. *Lib. 2. obs.* 94. *n.* 16.

(d) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit.* 118. §. 6. *verb.* Aber zur Zeit des Verheyrathens/ Abtheilens / oder so sie sich sonsten zu ehrlichen Sachen/ oder Händlen begeben/ sind die Aeltern ihnen dieselbige ohne Abgang ihres Zweit- oder Erbtheils einzuantworten/ und verfolgen zu lassen schuldig.

(e) Landg. Ord. *d. Tit.* §. 7. *verb.* Auf den Falle aber mit dem Eigenthum der *Usus fructus in specie*, und ausdrucklich den Kinderen obgesetzter Massen verschaffet/ oder vermachet würde: So haben die Aeltern an demselben Gut auch der Niessung halb nichts.

(f) *Nov.* 117. *cap.* 1.

§. XII. Eadem facultas, hereditatem dicta lege nepotibus relinquendi, avo aviæque, non ita distincte ex jure nostro civili Franconico attribuenda venit, quo jure distinguendum, an liberis suis (intellige parenti nepotum) legibus determinatam portionem, nempe duas tertias jam modo tribuerint, nec ne? Priori casu avum aviamque nullatenus prohiberi suam substantiæ partem tali conditione nepotibus adjudicare, dubitari nequit. Quid mirum? divisione facta scilicet ne vel obulum liberis parentes relinquere tenentur, & disponendi, testandi, cuicunque velint relinquendi facultatem, eamque liberrimam consequuntur (a). Posteriori casu aliter judicandum foret (b); transeunt enim in omne jus liberorum, consequenter & in spem, portionem suam consequendi, portionis adoptivis parentibus vivis (c) adventuræ, quod jus ipsis dispositione tertii haud absque injuria auferri potest. Accedit, quod, an liberis suis legitimam

con-

conferre, illive onus adjicere velint, nec ne, nullatenus ab arbitrio parentum dependeat.

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 39. §. 14. verſ.* Wann die Aeltern die Kinder/ ſie ſeyen gleich rechte/ und natürliche/ oder durch aufgerichte Einkindtſchaft gemachte Kinder / von ſich zu Grund hinweg, und abgetheilet: haben dieſelbige Aeltern Macht / ihren ganzen dritten Theil/ und was ſie weiter bekommen/ ihrem Gefallen/ und Willen nach/ zu verſchaffen/ und zu verteſtiren / und ſind den Kindern etwas weiters zu laſſen/ oder zu verſchaffen nicht pflichtig.

(b) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 118. §. 7. verſ.* Jedoch ſollen die Anherren / Anfrauen/ und andere *aſcendentes*, die ihre Kinder als ihre Noth-Erben ihrer *Legitima* des Zweytheils noch nicht vergnüget / jeztgehörte Vermächtnuß gegen ihren Dichtern anderſt nicht/ dann aus erheblichen Urſachen/ und auf Erkandtnuß unſers Langerichts zu thun Macht haben.

(c) Dixi: *vivis parentibus:* Hoc bene notandum; mediante patre enim ſuccedunt avo, ita ut eo præmortuo unioneque diſſoluta, ſoli nepotes proprii, excluſis unitis, ad ſucceſſionem avi vocentur.

§. XIII. Quoniam vero hujusmodi parificationis pactum juribus avi, aviæque nequidquam derogare valebit, niſi ad talem defectum expreſſum conſenſum ſuum præbuerint: teſtandi facultatem ipſis minime ademtam eſſe, ſanæ juris rationi magis congruere exiſtimo, in tantum, ut ſufficiat unitorum parenti duas tertias, ſibi competentes, ab omni onere vacuas relinquere; in reliqua vero tertia libera facultate iisdem competente, eandem relinquendi, aut ſuis naturalibus nepotibus ſolum, aut cui voluerint. Ita enim inter liberos naturales, & legitimos diſponere valent (a): quidni etiam inter nepotes unitos, quibus ſufficere debet, ſi parenti adoptivo ſua legibus portio ſalva obvenerit.

(a) Landg. Ord. *Tit. 39. §. 16.*

§. XXIV. Accedit etiam, quòd parentes unitorum unitos exheredare possint, si id promeriti fuerint; partim quia eodem modo, quo naturales, & legitimi in patriam potestatem transeunt; partim quia de jure nostro Franconico in omnibus & singulis æquali lege cum naturalibus, & legitimis censentur (a).

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 50. §. 6.* Wann ein Kind oder Dichter/ die wären gleich durch die Einkindschaft angenommene NB. Kinder oder nicht/ sich zu dem Stief-Vater oder Stief-Mutter gelegt ꝛc.

§. XV. Consideravimus effectus prolium, quatenus ex patria potestate proficiscuntur: sequuntur effectus successionem tam parentum, quam liberorum unitorum respicientes; inter quos præcipuus est, quod liberi uniti succedant parentibus pariter ac si ex iisdem procreati essent; quippe de hoc principaliter conventum; hic finis unionis prolium. Speciem enim ultimæ voluntatis hæc unio præsefert (a), nec minus irrevocabile succedendi jus ex conventione, adjectis tamen pactis modificabile, liberis utrimque attribuit.

(a) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 80. §. 1.* Wann die Eltern / Väter / oder Mütter Einkindschaft / immassen hieunten geordnet / mit ihren beyderseits habenden Kindern/ oder mit eines Theils Kindern / und denjenigen/ so sie miteinander ehelichen erzeuget hätten / oder erzeugen würden / aufrichten / und sich hernacher begebe / daß dieselbe Aeltern mit Tod abgiengen: So erben solche angenommene Kinder mit den eheleiblichen Kindern ihre Aeltern zugleich / und anders nicht / als wären sie aus deren Leib gebohren.

§. XVI. Itaque hoc succedendi commodum ad omnia bona parentum tam præsentia, quam futura, tam corporalia, quam incorporalia, tam mobilia, quam immobilia,

lia, modo parentum diſpoſitioni ſubjecta ſint (a), ſeſe indiſtincte extendit; niſi tamen parentes diſpoſitioni liberæ portionem ſibi reſervando, quæ vulgo reſervatum, die Außnahm / dici ſuevit, hoc ipſimet limitaverint; id quod eosdem facere poſſe & ratio (b) & lex permittit.

(a) *Cap. 1. §. ult.*

(b) Si nimirum bona unius conjugis alterius bona longe exſuperent.

§. XVII. Quamvis etiam in tali reſervato facultas teſtandi, donandi, quocunque modo de eo diſponendi, ſat magna parentibus competat: non tamen perpetuam eam eſſe praxis noſtra teſtatur. Etenim exſpirat 1. liberis ex illo thoro procreatis; cum ad hunc ſolum caſum reſtrinxiſſe parens reſervatum videatur, quo deficiente, tanquam corruente conditione, corruet & ſimul reſervatum (a). Nec magis attenditur reſervatum in diviſione bonorum cum liberis ſuſcipienda. Quod ſi contigerit, conjux, reſervans præcipuum, minime tenebit ſuum reſervatum, ſed univerſæ bonorum maſſæ, nullis exceptis, duas tertias liberis in diviſione adjudicandas fore, ſtatuta Franconiæ dubitare nos neutiquam patiuntur (b).

(a) Hanc limitationem ita obſervari, a viris, in judicio noſtro cæſareo Franconico judicantibus, accepi.

(b) Landg. Ord. *P. 3. Tit. 29. §. 1. verſ.* Sogar der Aeltern Heyrath-Güter *dotem, & donationem propter nuptias*, auch die NB. Außnahm / ſo bißweilen die Aeltern thun / mit eingerechnet.

§. XVIII. Quod ulterius hæc conventionalia ſuccedendi jura attinet, in tantum extenduntur, ut comparati ſimul cum germanis invicem concurrentes æqualiter in capita (a), concurrentes vero cum nepotibus ex fratre unito

in

in stirpes succedant (b) perinde, ac in successione fratrum naturalium, & legitimorum determinanda; tantundem enim unitis tribuit conventio, quantum leges germanis liberis.

(a) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit.* 80. §. 1. *vers.* So erben solche angenommene Kinder mit der eheleiblichen Kinderen ihre Aeltern NB. zugleich / und anderst nicht / als wären sie aus deroselben Leib gebohren.

(b) *Cit. loc.* §. 3. *vers.* So erben dieselbige gemachte Dichter/und Urdichter / sie seyen gleich in gleichem / oder ungleichem Grad an ihres verstorbenen Vater / oder Mutters statt / in die Stammen.

§. XIX. Ita etiam quod si evenerit solos fictitios concurrere, forsitan cum nulli secundo in conjugio parentibus liberi nascantur (a), aut etiam posito, liberos veros, & naturales decedere (b): non minus eos, quam naturales succedere clare innuunt statuta ducatus Franconiæ. Nec quidquam facit, quod liberis mortuis unio exspirare dicatur (c); cum textus seipsum solvat, si omnes mortui fuerint (d).

(a) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit.* 80. §. 2. *verb.* Da auch gleich andere eheleibliche Kinder nicht vorhanden wären / so nehmen sie doch gleichwohl ihrer gemachten Aelteren Erbschaft.

(b) Landg. Ordn. *P.* 3. *tit.* 119. §. 6. *vers.* Oder dieselbe vor den Aeltern alle mit Tod abgiengen: So bleiben nichts desto weniger altem Herkommen / Landrechten nach / diese angenommene / und gemachte Kinder / und Dichter / derselben Aelteren Kinder / und Dichter Erben.

(c) Landg. Ordn. *P.* 3. *Tit.* 119. §. 15. *verb.* Letztlich werden die Einkindschaften durch den zeitlichen / natürlichen Tod der verglichenen Kinder zerschlagen / und aufgelöset.

(d) *cit. loc.* Dann wann die Kinder NB. alle vor ihren Aelteren Todes versterben: So hat die Einkindschaft keine Würkung mehr zwischen den Aelteren / und deroselben Güteren.

§. XX.

§. XX. Quoniam vero liberis unius, alteriusve thori non mediocre in hac æquali ſucceſſione præjudicium variis in caſibus immineret: haud raro ipſis per conſtitutionem præcipui ſubvenitur (a). Fac enim parentem, liberis ſuperinducendum, facultatibus imparem; fac eum numero liberorum locupletiorem; aut pone liberis aliunde amplas hereditates, aliave commoda probabiliter obventura fore (b): maxima ſane tum foret inæqualitas, ſin ſucceſſio æqualis. Quod ut evitetur, ſalubrius ſane, aut conſultius remedium excogitari non potuit, quam ut præ aliis uniendis vel natis, vel naſcituris præcipui (zum Voraus) aliquid ipſis adſtipuletur.

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 121. §. 2.* Damit dann in Ertheidigung der Einkindſchaften/ aller der Kinder Nachtheil vermieden bleibe: Sollen derſelben Freunde/ oder Vormündere alle Umſtände fleißig bedenken/ und ſonderlich betrachten/ was vor Güter von den verſtorbenen Vater oder Mutter herkommen/ was das im Leben bleibende Ehe-Menſch allbereit hat/ was die Kinder für Anfälle zugewarten/ auch was der Stief-Vater/ oder Mutter herzubringen/ und noch zu gewarten haben/ und darauf nach Gelegenheit/ und Gröſſe derſelben/ auch befundener Ungleichheit der Nahrung/ den Kinderen einen billig-ziemlichen Voraus bedingen/ und machen.

(b) *Cap. 1. §. 30.*

§. XXI. Deſignatio præcipui variis caſibus varie fieri poteſt, aut in pecunia aut in aliis rebus immobilibus, aut mobilibus, veluti veſtibus, vino, pecoribus, &c. (a); vel etiam tota quædam hereditas obventura v. g. avi, aviæque ipſis præcipua aſſignari poterit (b).

(a) Landg. Ord. *cit.* §. und darauf ꝛc.

(b) Landg. Ord. *cit. tit. §.* 4. Zum Fall ꝛc.

§. XXII. Quanta autem quantitas ejusdem esse debeat, nobis determinare non licet. Determinabunt eam fideliter pro diverso numero liberorum, diversitatem bonorum, variarumque aliarum circumstantiarum, simul cum consanguineis liberorum parentes (a), aut iis invicem discrepantibus, judicium cæsareo-provinciale Franconicum (b).

(a) Landg. Ord. *cit.* §. *per tot.*
(b) Landg. Ord. *cit. tit.* §. *fin.* Auf den Falle auch in Machung und Bedingung des Voraus zwischen den Kinderen/ und Freunden/ oder Vormünderen Irrungen einfallen/ also daß ein Theil mehr zum Voraus haben/ der ander aber weniger/ oder gar nichts geben wollte/ und sich dessen nicht vergleichen könnten: Hat unser Land-Richter samt den Beysitzeren Macht/ nach guter Erfahrung des Handels/ und Gelegenheit der Güter ein mehrers/ oder sonders zu machen/ und was also durch sie gemacht würde/ dabey solle es bleiben.

§. XXIII. Jura liberis in præcipuo sat nobilia competunt, inter quæ præcipua sunt, quod 1. de eo testari possint, quamprimum illud acceperunt (a). Quamvis enim jure communi filiofamilias testandi facultas denegata fuerit: legibus Franconiæ tamen filiisfamilias ea conceditur, modo quid proprii habeant (b). Extenditur 2. quod dicta etiam procedant in casu, si parentes præcipui debitam præstationem retardare conentur (c). Accedit 3. quod in divisione, cum reliquis unitis fratribus suscipienda, præcipuum suum haud quaquam uniti conferant, sed æquis partibus concurrant ad hereditates, unionis pacto subjectas (d).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 39. §. 8. verb.* Von ihren gemachten Voraus/ den sie noch nicht empfangen: ergo arg. a contrario, si acceperint, testari poterunt.
(b) *Consult.* DEMMER. *p. 3. diff. 4.*
(c) *Cit. §. verb.* Es wäre dann/ daß die Aelteren an Bezahlung des schuldigen Voraus säumig wären.

(d) Landg.

(d) Landg. Ord. *P. 3. tit. 121. §. 6. verb.* Es ſollen auch die Kinder zur Zeit der Abtheilung von ihren Aelteren / oder zur Zeit der Erbtheilung ſolchen Voraus zum vorderſten hinweg-nehmen / und alsdann erſt ihren angebührenden Theil des Zweit- oder Erbtheils gleich den anderen / ſo keinen Voraus haben / empfangen.

§. XXIV. Quapropter ut omnis ſuſpicio fraudis, ceteræque controverſiæ, circa præcipuum alioquin futuræ, caute evitentur: id monere volui, ut omnes res, omnes conditiones, præcipuum illud conſtituentes, accurate, & ſpecifice in proclamate determinentur (a).

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 121. §. 7. verb.* Den Kindern ſoll ihr Voraus deutlich ausgedrückt / und benennet werden / was und wie der an Baarſchaften / liegenden oder fahrenden Güteren / und auf obgeſetzte Fälle gegeben werden ſolle: aber die andere Haab und Güter / ſo beede Eheleute zuſammen bringen / iſt nicht vonnöthen zu ſpecificiren / ob es liegende oder fahrende / ahn-herrlich / ahnfräulich / väter- oder mütterlich / brüder- oder ſchweſterlich / oder dergleichen ſeyen; dann alle dieſe Güter / wo ſie gleich herkommen wären / oder nachmahls kämen / ſind / und heiſſen / alten Gebrauch und Landrechten nach / ein gemein Gut des Vaters / und der Mutter / ſo viel und lang die Ein-kindſchaft währet / wie auch oben angedeutet.

§. XXV. Poſſet cuipiam nihilominus primo intuitu videri, nullatenus parentes obligatos eſſe univerſam bonorum ſuorum maſſam liberis unitis ſimul cum naturalibus poſt mortem relinquere; cum ordinarie parentes, de bonis ſuis teſtantes, relinquendo liberis determinatam legibus portionem officio ſuo ſatisfacere dicantur (a) juxta vulgatum illud: *arbitrium patris ſequitur ſubſtantia cetera*; & eo magis, cum illud in Franconicis ſtatutis de naturalibus, & legitimis ita deciſum reperiatur (b). Verum eodem loco teſtamenti factionem, donec diviſionem ſuſceperint ſtante

unione

unione in totum ipsis denegandam esse, expressis verbis decernitur (c). Ratio, quæ movit legislatores, utique hæc fuit, ut omnis ansa liberis propriis magis, quam unitis favendi, parentibus quoad omnia præscindatur.

(a) *Vid.* ZOES. *& al. auct. ad ff. in lib. 5. tit. 2.*
(b) Landg. Ord. *P. 3. tit. 39. §. 16. legatur.*
(c) Landg. Ord. *cit. tit. §. 15.* Da aber die Aelteren/ ihre Kinder/ und Dichter noch in ihrem Gewalt/ und nicht abgetheilt hätten: Sollen die legitimi parentes, das ist/ welche durch die aufgerichte Einkindschaft den Kinderen zu Aelteren gemachet worden/ vor gethaner Abtheilung de sua legitima, das ist/ von ihrem Drittheil/ oder von dem ganzen Gut/ etwas hinweg zu verteſtiren/ und einige Teſtament aufzurichten nicht Macht haben.
RICK. *de un. prol. c. 3. n. 18.*
MUSCUL. *de success. convent. lit. R. n. 155.*

§. XXVI. Cum vero pactum hoc unionis regulariter stricti juris dicatur (a); ac proinde extra res & casus in eo expressos non absque injustitia traheretur (b): exinde sequitur, avorum & reliquorum cognatorum successiones huic pacto nullatenus subjacere, aut sub eo ordinarie comprehensas esse (c); cum pactum unius alteri præjudicare non debeat, nec vicissim avi ex virtute correlativorum ab iisdem successionis commodum sperabunt (d).

(a) DEMMER. *Diss. 6. p. 4. n. 47. & gloss. ibid. cit.*
(b) *L. 27. §. 4. in f. ff. de pactis : ante omnia enim advertendum est, ne conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re, aliave persona noceat.*
(c) Landg. Ordn. *P. 3. Tit. 119. §. 1. vers.* als wollen wir/ daß solches *pactum unionis prolium*, der Einkindschaften/andere Personen nicht *obligiren*/ binden/ oder betreffen/ noch sich weiter erstrecken solle/ oder möge/ dann auf diejenige/ zwischen welchen die Einkindschaft gemacht/ und aufgerichtet worden/ nämlich

lich auf Vater / Mutter und die *unirte* Kinder / die zuſammen bringen / miteinander allbereit erzeugt / oder hinfürter erzeugen werden.

Quod tamen ita intellige, ſi pater uniti ſit præmortuus, neque avus conſenſerit.

(d) DEMMER. *P.* 4. *diff.* 6. *n.* 52. RICK. *de un. prol. C.* 7.

§. XXVII. Quodſi tamen idem expreſſe agatur, ut ſint tanquam veri nepotes: dubitandum non eſt, hanc etiam quoad avorum, aviarumque ſucceſſionem effectum operari, cum ex conventione legem accipiat. Ut autem id procedat, generalis conſenſus in unione liberorum non ſufficiet (a), niſi conſenſus avi, aviæque, aliorumque, de quorum hereditate quæritur, expreſſus, & ad hunc finem determinatus accedat (b).

(a) Landg. Ord. *P.* 3. *Tit.* 119. §. 3. *verſ.* wo nur ſchlechtlichen ohne weitere Bedingung / und Abredung ꝛc.

(b) Landg. Ord. *P.* 3. *cit. tit.* §. *verb.* würden aber dieſelbige Anherren / Anfrauen / und dergleichen Perſonen aufſteigender Linien / mit ausdrücklichen *ſpecificir*ten Worten willigen / abreden / und bedingen / daß diejenige Kinder / ſo ihren gegenwärtigen / oder künftigen Dichteren durch die Einkindſchaft verglichen / nicht allein ihrem Sohn oder Tochter zu rechten Kinderen gemacht / und angenommen / ſondern auch ſie ſelbſt derenſelben Anherren / und Anfrauen ſeyn wöllen: Dießfalls ſollen ſolche gleich gemachte Kinder / den gehörten Perſonen aufſteigender Linien / zu Dichteren gemachet / und in Erb-Fällen derſelbigen Güter / den rechten natürlichen Kinderen oder Dichteren gleich gehalten werden.

§. XXVIII. Quemadmodum etiam jura ſuccedendi reciproca regulariter, & viciſſitudinaria determinari ſolent (a): ita non immerito, unione ſtante liberis unitis decedentibus, parentes viciſſim ad eorum hereditatem vocabuntur

(b), ex generali tam naturæ, quam divini, & humani juris principio: *quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur* (c): Nec quidquam *illustr.* STRYK. *ad us. mod.* mihi refragatur, cum ille negativam defendat ex supposito deficientis statuti, aut conventionis: mihi autem in præsenti propositum est juxta statuta ducatus Franconiæ, jura, & effectus unionis prolium enucleare.

(a) *L. 11. C. de legit. hered.*
Ibid. BRUNNEMAN.
(b) RICK. *de un. prol. C. 6. n. 76.*
MUSCUL. *de memb. 3. n. 129.*
Landg. Ord. *P. 3. tit. 85. §. 1. verb.* die gemachte Aeltern/ die ihre *per unionem* angenommene Kinder von sich nicht abgetheilet/ noch ihrer *legitimæ* vergnüget haben/ erben altem Gebrauch und Unsers Stifts Landrechten nach/ solche ihre Kinder in allermassen wie oben von ehelicher Kindern *statuiret*/ und verordnet worden ist.
(c) *Tot. tit. in D. l. 2. tit. 1. & Auct. ibid.*

§. XXIX. Ex eodem fundamento laud. STRYKIUS defendit, quod unio prolium non inducat effectum successionis quoad ipsos unitos inter se (a), quam eandem sententiam amplectitur RICKIUS (b) & KNIPSCHILD (c), adeo ut BESOLDUS (d) nec expresso pacto fieri posse asserat, ut uniti inter se succedant. Verum quidquid dici posset præscindendo ab omni statuto, aut conventione, in ducatu Franconiæ certo certius, usquequo manet unio, manet invicem inter unitos perinde ac inter germanos mutua successio (e); cum Legislatores nostri in omnibus, & singulis comparatos naturalibus, & legitimis adæquare voluerunt.

(a) STRYCK. *cit. tit. §. 14.*
(b) RICK. *c. 7. n. 4.*
(c) KNIPSCHILD *de fideicom. famil. illust. c. 8. n. 438.*

(d) ad

(d) *ad jus Wirtenb. diſp. 3. th. 91.* Sed huic optime ſatisfacit STRYCK. *cit. §. 14. Imbellis*, ait, *ratio, quod nulla ex unione oriatur agnatio, ergo nec ſucceſſio; non enim ex cognatione, ſed conventione ſucceſſionis ratio petitur.*

(e) Landg. Ord. *P. 3. tit.* 119. §. 13. *verſ.* Erben ſie in Kraft ſolcher gemachten Einkindſchaft einander mit den rechten natürlichen Geſchwiſtrigten / oder ohne dieſelbe ꝛc.

§. XXX. Id quod in ducatu Franconiæ in tantum extendimus, ut, licet parentes mortui, aut etiam liberi a parentibus ſeparati fuerint: nihilominus inter unitos jus mutuum ſuccedendi in vigore ſuo conſervetur, donec actuali diviſione cuivis liberorum ſua pars aſſignata fuerit (a), quo demum perfecto vinculum illud tollitur.

(a) Landg. Ord. *P. 3. cit. tit. & §. verſ.* Aber doch ihre Güter bey einander und unzertheilt haben.

§. XXXI. An etiam inter conjuges mutuam ſucceſſionem liberis præmortuis producat? quæritur. Id quidem ex ſimplici comparationis pacto concipi haud poterit; quoniam de uniendis liberis, non parentibus uniendis agitur. Inſpiciendus igitur neceſſario, & ſubſtantia & tenor proclamatis, quod triplex eſſe conſtat: condonationis tantum; condonationis & comparationis ſimul; denique comparationis tantum. Quæ duo priora proclamata utique effectum mutuæ ſucceſſionis inter conjuges involvunt; cum id etiam expreſſe cum iis agatur: tertium vero mutuam inter conjuges ſucceſſionem haud operari verius eſt; cum id nec ex conventione, nec ex natura pacti in ſubſtrato caſu concipiendum ſit.

§. XXXII. Eximios vides B. L. in ducatu Franconiæ effectus comparationis, non tamen tanti ſunt, ut jura ſanguinis, aut agnationis operaretur. Proinde nobilitatem, licet pater nobilis, in unitos transferre nequit; cohæret enim iſta ſanguini, cum quo per traducem quaſi, interve-

niente

niente legitimo matrimonio, propagatur ad posteros; non tamen vi nativitatis, sed vi concessionis imperatoriæ, qua ad posteros nobilitas extensa (a), nec magis unitus sororem unitam etiam constante unione ducere impeditur.

(a) *Dn.* STRUV. *syntagm. d. adopt. th. 65.*

§. XXXIII. Progredior ad decimum parificationis effectum, quod scilicet mox unione prolium perfecta tutela curatelave finiatur, cum uniti in patriam potestatem parentis per unionem talis effecti transeant, quacum potestas tutricia stare nequit (a), reservatis tamen iisdem oneribus, quæ consanguineis, tutoribusve imposita manere superius asseruimus (b).

(a) *Patrem habenti tutor non datur.*
L. 239. pr. ff. de V. S.
L. 6. §. ult. ff. de tutelis.
(b) *Cap. 2. §.*

§. XXXIII. Ultimum porro effectum perquam notabilem absolvunt actiones, ex unione prolium profluentes tam personales, quam reales. Quoad personales

1. Datur condictio ex moribus, quæ competit liberis pro consequenda portione hereditaria ex bonis parentum unientium.

2. Remedia possessoria e. g. utile remedium *quorum bon.* (a)

3. Actio realis, sive petitio hereditatis conventionalis, cujus prædicatum est jus illud hereditarium conventionale, quod vi unionis prolium constituitur (b). Habet enim unio hæc vim ultimæ voluntatis, in qua liberi heredes declarantur, & hereditatis dilatio illis hoc pacto non minus, ac lege, aut testamento obvenit.

4. Deni-

4. Denique contra fratres & ſorores unitos producit utilem familiæ erciſcundæ actionem.

(a) *Dn.* STRYCK. *in tr. de S. A. J. diſſ. 8. cap. 6. th. 22.*
(b) *cit.* STRYCK. *de S. A. J. diſſ. 8. cap. 6. th. 22.*

Hi regulariter in ducatu Franconiæ ex unione prolium effectus promanant, quibus tamen haud raro pactis quidquam adjicitur, aut detrahitur: cujus ut in caſu ſpeciali edocearis, inſpice B. L. cujusvis proclamatis tenorem. Quod enim in illo non expreſſum invenitur, in judicando pro omiſſo habebitur, teſtante id ita praxi epiſcopatus & ducatus Franconiæ.

CAPUT IV.

DE MODIS, QUIBUS UNIO PROLIUM TOLLITUR.

QUibus modis contrahatur, quosque effectus poſt ſe trahat unio prolium *Cap.* 2. & 3. expoſuimus: reſtat, ut diſpiciamus, quibus modis eadem diſſolvatur.

§. II. Tollitur primo morte unitorum, non quidem unius, alteriusve, ſed omnium (a). Deficiunt enim hoc caſu perſonæ, ſine quibus unio nulla conſiſtere poteſt, h. e. liberi (Cap. 1. §. pen.); idque in tantum procedit, ut ne quidem inter parentes unientes aliquis ex unione effectus remaneat (b); quippe qui inter unientes, & unitos, non vero unientes tantum ſeſe exerunt.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit.* 119. § *15. vers.* Dann wann die Kinder alle vor ihren Aelteren Todes versterben: So hat die Einkindschaft keine Würkung mehr zwischen den Aelteren/ und deroselben Gütern.

(b) Landg. Ordn. *cit. tit. §. ult. verb.* Es ist auch keine weitere Vererbung der Aelteren zusammen gebrachter Haaben und Nahrungen/ sondern diese Güter/ so ein jedes Ehegenoß vor dem zusammen heyrathen gehabt/ oder hernacher in stehender Ehe bekommen/ sind wiederum sein eigen: Allein diese Güter/ so beyde Eheleute bey einander gewonnen/ und von den gemeinen Nutzungen/ und Zinsen ihrer Nahrung erspart/ und erobert haben/ die sind/ und bleiben Ehegenossen zu gleichen Theilen.

§. III. Minime vero morte parentum solvitur; fit enim eum in finem, ut post mortem conjugum unientium liberi uniti pari jure succedant. Hoc igitur subsecuto unio effectum suum sortita est: alterutro autem conjuge defuncto, quoad superstitem durat obligatio, & jus liberis ex pacto quaesitum, ut pluribus demonstratum dedimus supra *Cap.* 3.

§. IV. Quodsi autem superstes conjux ad secundas nuptias convolarit: unionis pactum non tam tollitur, quam effectum suum consequitur; cum liberi uniti duas suas tertias, seu legitimam mox petere possint (a), nisi fors cum novi conjugis nascituris liberis rursum parificati fuerint: id quod juri Franconico licitum esse supra demonstravimus.

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 31. §. 3. vers.* Alsdann ist dasselbig Ehegenoß/ das also seinen Wittibstand verrucket hat/ seinen Kinderen/ Dichteren/ oder Urdichten/ sie seyen gleich rechte und natürlich/ oder gemachte Kinder/ oder Dichter/ den zweyten Theil/ aller ihrer Haab und Güter/ so zur Zeit des verrückten Wittibstandes vorhanden/ sowohl von seinen eigenen/ als des verstorbenen Ehemenschen Güteren verfallen/ und alsobald nach gebrochener Hand ihnen denselben völliglichen zu reichen/ und zu geben schuldig.

§. V.

§. V. Eadem ratione 3. per realem diviſionem bonorum, durch die Grundtheilung/ qualicunque tempore factam, unionis pactum finitur (a); per hanc diviſionem enim communio tollitur, & liberi uniti, quod vi unionis ad ipſos pertinet, in effectu conſequuntur (b).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 85. §. 2. verb.* Aber wann dieſelbige Kinder oder Dichter von ihren gemachten Aelteren abgetheilet / und ihrer *legitimæ* vergnüget worden ſind: Alsdann iſt das *vinculum unionis* erloſchen / und können dieſe gemachte Aelteren ihre Stief- oder angenommene Kinder oder Dichter / weiter nicht erben / ſonderen kommet deren Verlaſſenſchaft auf der Kinder andere Geſipten / und nächſte Bluts-Freunde.

(b) *Conſult.* DEMMER. *p. 4. diff. 3. n. 63.*

§. VI Quæri autem poterat, an diviſio hæc bonorum, liberis legitimam acceptare detrectantibus, ad petitionem parentum officio judicis decerni valeat? & reſp. affirmative ex eo, quod ultra legitimam liberis a parentibus non debeatur, non obſtante unionis pacto, quod jura parentum confirmat magis, quam tollit: neque textus in jure noſtro contrarius invenitur. Hinc hoc paſſu juri communi ſtandum erit, cui ſe conformant jura noſtra provincialia (a), praxis & obſervantia corroborat (b).

(a) Landg. Ordn. *P. 3. tit. 39. §. 21. verb.* da auch die Aelteren / den Kinderen die Theilung anbiethen / dieſelbige auch wohl geſchehen könte / die Kinder aber ſolche gefährlicher fürſetzlicher Weiſe verziehen / oder nicht annehmen würden: Alsdann mögen die Aeltern / wie auch von Aelters herkommen / nach gethanem Anbiethen / in denen Fällen / da die Kinder den Zweyttheil anzunehmen ſchuldig ſind / von ihrer *legitimæ* ihrem Gefallen nach / wohin / und wem ſie wöllen *teſtiren* / *diſponiren* / und Geſchäfte thun in aller maſſen / als wann die Theilung gründlich geſchehen / und verwürket wäre.

(b) *Ita judicatum* am Landgericht nach *Kiliani* den 14ten *Julii 1734.* in

in caufa der Schnauffiſchen Wittib zu Kitzingen *contra* ihr Stief-Töchterlein Jacobäusinn allda.

§. VII. Nec quidquam refragatur textus in *tit.* 39. §. 15. quod parentes unientes teftari non valeant : ergo nec invitis liberis dividere. Nam fi textum penitius infpicias, id tantum inde fluere apparebit, quod parentes teftari non poffint ante divifionem (vor gethaner Abtheilung). Hinc divifionem petendi facultas non excludi verius eft; accedente textu expreffo fub *lit. a.* §. *præced.* Ratio autem difparitatis eft, quia teftamentum non alio fine, quam in merum odium unitorum fieri præfumitur: econtra divifionis inter vivos inftituendæ aliæ multæ juftæ caufæ fubeffe poffunt.

§. VIII. Unde prono alveo confequitur,tot modis finiri unionem prolium, quot cafibus jure provinc. Franconico liberi a parentibus legitimam jure petunt: id quod contingit 1. fi conjux fuperftes vitam reprobam & luxuriofam agat (a). 2. Si parentes continuis inter fe rixis, & contentionibus pacem domefticam conturbent (b). 3. Facta feparatione quoad thorum, & menfam (c). 4. Si parentes ob delictum quoddam publicum v. g. homicidium, vel adulterium pœna pecuniaria mulctentur (d). 5. Dum liberis honeftam educationem, quæ ex qualitate ftatus demetienda, malitiofe denegent (e). 6. Si in venditione aliove contractu, cum fuis fimulate inito, liberos parificatos defraudare ftudeant (f). 7. Si liberos in legitima lædere conentur (g). Id quod etiam 8. tum fieri apparet, cum conjux fuperftes bona dilapidare incipiat (h). 9. Dum parens fibi alimenta in Hofpitali, aliove loco ad dies vitæ emere intendat (i); quo tamen in cafu fi tertia pars bonorum parenti non fufficeret, liberi pro arbitrio judicis aliquid contri-

tribuere tenentur (k). Liberorum enim eſt, parentes ſuos inopes alere (l). Denique 10. ob ſævitiam, caſtigationis paternæ limites excedentem, parentes ad ſeparationem bonorum recte compelluntur (m). His adde 11. clauſulam generalem: ſi qua juſta judici cauſa videbitur (n).

(a) Landg. Ord. *P. 3. tit. 31. §. 5. verb.* Wann nach Abſterben des einen Ehegenoſſen / das ander und überbleibend ſich in unehrliche Beywohnung begiebt / und alſo wider die Ehre des Wittibſtandes handelt / oder ſonſten den Wittibſtand nicht halten / und in Unehren brechen thät: Hat daſſelbige auch dardurch *ipſo facto*, alsbald den Zweytheil verwürkt / und verfallen.

(b) *cit. tit. §. 15. verſ.* Wann die Eheleute ſtetig miteinander in Zank / und Hader liegen / auch der Eheſcheidung halben gegeneinander in Rechtfertigung ſtehen.

(c) *eod. §. 16. verb.* Wann die Aelteren / *ex legitima cauſa divortiirt* werden / ſollen ſie alsdann den Kinderen die *legitimam* zu geben auch ſchuldig ſeyn.

(d) *§. 18. verb.* Wann die Aelteren von wegen begangener *Malefiz* / als Todtſchlag / Ehebruch / und derogleichen Mißhandlungen / mit Geld geſtraffet werden.

(e) *§. 19. verſ.* Wann Aelteren / ſonderlich aber die Stief-Aelteren / aus Untreu / Kargheit / oder Mißgunſt einem Kind zu ehrlichen Sachen / mit ziemlicher Hülff / nach Gelegenheit ihrer Nahrung nicht wollen zu Steuer kommen; oder ſo die Kinder etwann in ein Krankheit fallen / oder ſchadhaft werden / dieſelbe ohne Pfleg / und Hülff wollten verlaſſen.

(f) *§. 17. vers.* unterſtehen ſie ſich ihnen ein ſtattliches liegend Gut / um ein viel geringere Summa Geldes / dann es ſonſten verkauffet werden möchte / darzu auch auf geringe Ziel / Kauffs-weiſe zuzuwenden; oder ſonſten was ſtattliches den Kinderen zum merklichen Nachtheil und Betrug zuzuſtoſſen. Wo ſolches geſchehe / ſollen die Aelteren dadurch den Kinderen den zweyten Theil auch verwürken / und zu geben ſchuldig ſeyn.

(g) *§. 7. vers.* ſo die Aelteren / es ſeyen gleich rechte natürliche / oder gemachte Väter / Mütter / oder andere auffſteigender Linien / in ihrem Ehe- oder Wittib-Stand / vor der Abtheilung / ihren

dritten Theil den Kinderen/ Dichteren/ oder Ur-Dichteren zu entziehen/ sich unterstehen.

(h) §. 8. *vers.* wann beyde rechte natürliche/ oder gemachte Aelteren/ oder aber nach Absterben deren eines/ das ander und überbleibende Ehe-Mensch/ den Güteren übel vorstehet/ dieselbige verschwendet/ vergeudet/ oder sonsten unnützlich zubringet. De quo casu jam superius *(C. 2.)* cognatorum, tutorum, Magistratusve municipalis officium esse monuimus, ut huic diligenter invigilent Landg. Ordn. *tit 117.* §. *3.*

(i) §. *11. vers.* von den gemeinen unabgetheilten Güteren/ ein Pfründ in ein Spital/ oder sonsten andere Ort kauffen rc.

§. *12. vers.* wann die Aelteren von unabgetheilten Güteren/ um ihrer Leibs-Nahrung willen/ mit jemanden *pacisc*iren/ sich vergleichen/ oder dessenthalben Vermächtnus thun.

(k) §. *13. verb.* jedoch/ und auf den Fall die ganze Erbschaft so groß oder stattlich nicht wäre/ daß die Aelteren von ihrem dritten Theil/ sich in ein Spital/ oder sonsten andere Orte/ wie gehöret/ könnten einkauffen/ und also ihre Leibs-Nahrung und Unterhaltung nicht haben möchten/ und doch die Kinder ihren zweyten Theil haben wollten: Solle es alsdann bey des Landgerichts Ermäßigung stehen/ nach Gelegenheit aller Umstände/ zwischen den Aelteren und Kinderen die Billigkeit zu verschaffen/ und in allewege dahin zu sehen/ damit die Aelteren in diesen Fällen was zu Unterhaltung ihres Leibs vonnöthen ist/ von sich zu geben nicht gemüßiget/ noch gedrungen werden.

(l) §. *20. verb.* wann die eingesetzte Aelteren/ die angenommene Kinder/ ohne rechtmäßige Ursachen übel halten/ von ihnen hinweg jagen/ oder sonsten zu Krüppelen/ und lahm schlagen: Sollen sie dadurch solchen Kinderen/ den zweyten Theil auch verwürket haben.

Arg. L fin. ff. si a parent.

(m) *Cit.* §. *20.*

(n) §. *21. verb.* und in was mehren/ ausserhalb obgesetzten Fällen/ die Aelteren den Kinderen den zweyten Theil verwürken/ und zu geben schuldig werden/ stellen Wir zu Unsers Landrichters Erkanntnus/ wie dann die *Moderation* in obgeschriebenen Fällen gleichermassen dahin gestellet bleibt.

§. IX.

§. IX. Sed quid, ſi parentes pacifice legitimam dictis caſibus extradere nolint, liberi vero ob inopiam, & paupertatem in judicio jus ſuum perſequi nequeant? Reſp. tum a parentibus expenſæ litis iis ſuppeditandæ erunt, quas tamen in diviſione bonorum deducere poterunt, niſi parentes ex juſta cauſa in expenſas inſuper condemnati fuerint (a).

(a) Landg. Ordn. *cit. tit. §. 22. verſ.* So wollen wir/ daß in ſolchem Fall die Aelteren ſchuldig ſeyn ſollen/ gehörten ihren Kinderen/ ſo aus beſcheinlichen Urſachen den zweyten Theil/ oder ihre Gebührnus daran/ als verwürket/ erforderen wollen/ ziemliche Gerichts-Köſten/ expenſas litis genannt/ jedoch weiter und mehr nicht/ bis die Beweiſung durch ſie/ die Kinder/ geſchehen/ zu reichen/ und zu geben ſchuldig ſeyn ſollen.

§. X. Utrum ex capite læſionis reſcindenda veniat unio prolium, diſquiritur? Putem ego diſtinguendum eſſe, an in favorem parentum, an in favorem liberorum reſciſſio petatur? Primo caſu reſciſſio plane deneganda erit; etenim non poſſet non vergere eo caſu in præjudicium, & damnum liberorum, cui tamen conſultum voluere leges, & jura mediante unionis pacto. Imputent ſibi parentes, quod in re tanti momenti non magis providi fuerint; idque eatenus extenditur, ut quamvis parentes, & conſanguinei una cum liberis conſentiant, unionem tamen inde diſſolvi haud patiatur judex, ubi diſſolutionem præjudicio fore liberis apparuerit (a); talis enim conſenſus & renuntiatio præſumitur magis extorta, quam ſpontanee emiſſa. Quod ſi autem liberi majorennes fuerint, maturi, & ſani judicii: aliud dicendum erit. Poſteriori vero caſu unionem reſcindi æquitati congruit. Neque enim ſub alia conditione inita, & comprobata fuit, quam quod liberis eam fore proficuam ipſi parentes, tutores, boni viri, & conſanguinei crediderint; hoc tamen eatenus limitationem patitur, niſi

pa-

parens naturalis læsionem stante matrimonio sciverit, & post mortem alterius conjugis demum de rescindenda unione agere velit, quo casu non audietur; fieri enim præsumitur in merum odium liberorum unitorum (b).

(a) *Et ita conclusum est in causa* des Knaus zu Ochsenfurth *contra* seine Kinder am Landgericht.

(b) *Ita judicatum fuit in causa* Johann *Bovery* zu Würzburg *contra* seine Stief-Töchter allda am Landgericht nach 3. *Regum* den 14ten *Januarii 1733*.

§. XI. Exspirat 5to ob ingratitudinem talem, ob quam exhereditatio jure Novellarum (a) est permissa, interveniente tamen cognitione magistratus, cujus auctoritate ingratus a successione repelletur, & sic unionis vinculum quoad hunc solvetur (b).

(a) *Nov. 115. C. 3.*

(b) *Arg. l. fin. de alend. lib. & parent.* RICK. *C. 10. n. 40. & seqq.*

§. XII. Rescinditur denique 6to unio prolium speciali pacto, dum certus modus dissolvendi pactum parificationis proclamati insertus fuerit; ita enim conveniri posse testatur experientia (a).

(a) *Ita judicatum fuit* am Landgericht *Anno 1733.* den 17ten *Augusti in proclamate Casparis Seufferth, & Catharinæ Sponsæ* zu Reippelsdorff.

§. XIII. Atque hæc de unione prolium episcopatus & ducatus nostri in medium attulisse sufficiat; quæ si accurata minus methodo elaborata, & deproperata tibi videantur, veniam dabis B. Lector, & temporis angustiis, & feriis appropinquantibus coarctato. Tu interim mihi fave & vale.

OPUS-

OPUSCULUM IV.

DE LÆSIONE ENORMI IN CONTRACTU EMTIONIS VENDITIONIS RECTE COMPUTANDA.

PRÆFATIO.

Inter probabilia vitæ humanæ negotia refero exactam determinationem veri pretii rerum, queis publicis civitatis legibus certus valor præfinitus non est, idque haud gravate largientur omnes, qui pensiculatius animo revolvunt, quam probe singulas rei, de cujus pretio quæritur, qualitates intrinsecas oporteat habere perspectas; quam accurate ad circumstantias extrinsecas loci & temporis, raritatem, artem, affectiones contrahentium & infinita alia veniat attendendum, si ad amussim verum rei valorem definire cogites. In contractu emtionis venditionis duo sunt contrahentes, emens atque vendens, quorum verum rei pretium perspectum habere perinde interest, ne lucretur contrahentium unus cum damno & jactura alterius, & sic contra justitiæ commutativæ regulas ex alieno locupletetur. Fortunæ aleam justum pretium ex asse attingendi atque periculum, ab eodem aberrandi utrinque æquale versari, eundem esse læsionis metum,

eandemque lucri spem ex parte emtoris, quæ est ex parte venditoris, luculenter hocce specimine comprobatum dedi, ut nulla prorsus excogitari queat ratio sufficiens, quare, quod circa læsiones, ex erronea pretii rerum, in contractum deductarum, definitione resultantes, sive ferendas, sive resarciendas in venditore juris est, idem illud in emtore justum reputari non debeat, ipsa hujus contractus natura omnem inæqualitatem respuente. Quapropter merito displicuit communis illa JCtorum & DD. sententia, qui in eodem emtionis venditionis contractu terminum a quo *læsionum enormium in venditore dimidium, in emtore vero alterum tantum justi & veri pretii constituunt. Cum tamen praxi plerorumque Dicasteriorum in Germania inveterata sit illa opinio: non male operam me collocaturum esse existimavi, si genuinum læsionem in utroque contrahente computandi modum ex indubiis principiis demonstrarem, atque errorem huncce communem solide confutarem, in ejusdemque originem penitius inquirerem. Quod an in præsenti hocce specimine præstiterim, tuum esto judicium B. L. Id adhuc monere volui, quod inter paucos DD., qui nobiscum sentiunt, celeberrimi Practici DAVID. MEVII (a) §. XLVII. mentionem facere debueram. Vale interim, & conatibus meis fave.*

(*a*) P. 6. *Decis.* CCXXII.

DE

DE

LÆSIONE ENORMI IN CONTRACTU EMTIONIS VENDITIONIS RECTE COMPUTANDA.

§. I. INtroducto rerum dominio ex necessaria quadam consequentia ad permutationes recurrendum fuit generi humano, ut mutuas suas indigentias sublevarent ii, quibus jam non indistincte in res quaslibet jus competit; sed illas solum, quas justo titulo, & modo dominii adquisitivo suas fecerunt, in usus suos convertere integrum est. Nimirum cum infinitæ sint rerum species, queis vita hominis sustinetur: impossibile erat, ut stante rerum proprietate singuli rebus omnibus affluerent. Mutuis igitur alienationibus efficiendum fuit, ut quod deesset uni, suppeditaretur ab altero, recepturo vicissim, quod ipsi abesset. Est enim hæc notio *permutationis* in genere, quod sit contractus, quo rei nostræ dominium aut jus aliquod ita transferimus in alterum, ut rem aliam in vicem ejus ab eodem recipiamus. Ita e. g. permutatio est, quando Titio triticum trado, ut in ejus locum vinum recipiam.

§. II. In permutationibus id agimus, ut in vicem rerum nostrarum, in alios translatarum, res alias recipiamus. (§. I.) Suppono enim nec gratis quidpiam in alterum conferre, nec donare aliquid nos in animo habere. Pro rebus igitur nostris tantundem recipere intendimus. Quando pro re aliqua in alterum translata tantundem recipitur, servatur *æqualitas*; uti ex ipsa æqualitatis notione patescit (a). In permutatione itaque servatur, & servanda est æqualitas; h. e. effici debet, ut facta permutatione status utriusque permutantis quoad rerum permutatarum valorem idem sit,

qui fuit ante contractum, & unus in alterius locum salva quantitate bonorum substitui possit.

(a) *Perill.* WOLFFII *Elem. Arithm. Latin. Edit. I. Tom. I. Oper. Mathem.* §. *15.*

§. III. Quo autem in contractu permutationis constare queat, utrum pro re nostra tantundem habeamus, an vero plus, aut minus receperimus, determinanda sunt rerum pretia, sive quod idem est, assumendæ sunt certæ quantitates ex bonitate, usu, necessitate, affluentia, aut raritate earundem determinandæ, singulis individuis, aut certæ cujusdam speciei massæ, numero, mensuræ, aut ponderi adsignandæ, ut his mediantibus inter se invicem comparari valeant, atque facta comparatione aptæ efficiantur, ut una pro alia commutari possit. Sit e. g. vinum commutandum cum lana; hoc casu certæ vini mensuræ v. c. amphoræ pro bonitate ac qualitate ejusdem certum pretium v. c. 3. statuendum erit. Quod si porro juxta easdem regulas certæ lanæ quantitatis e. g. libræ unius pretium deprehendatur esse 1.; comparari jam inter se poterunt vinum, & lana. Habebit se scilicet amphora vini ad massam lanæ unius libræ, sive in genere pretium vini ad pretium lanæ ut 3 : 1. sive in ratione tripla. Commutaturus igitur vinum cum lana sic, ut ratio æqualitatis emergat, (§. II.) loco unius amphoræ vini tres lanæ libras in vicem ejus recipiet, quo vinum datum sit ad lanam, loco ejus receptam, ut 3 : 3 = 1 : 1. nulla ex alterutra parte remanente inæqualitate.

§. IV. Enimvero quantis involutum sit difficultatibus, pretia rerum ex vero determinare, vel ex hoc apparet, quod omnes omnino rei, de cujus pretio quæritur, qualitates tam in quam extrinsecæ, usus ejus & utilitas in societate & commer-

mercio hominum, raritas, ars, affectio, aliæque circumſtantiæ temporis, loci, & perſonarum accuratiſſime veniant attendendæ & explorandæ (a); adeo ut, ſi omnem in vero pretio ſtatuendo errorem evitare velis, divini potius, quam humani intellectus negotium id reputari debeat. Quæ nos in vita humana pro veris rerum pretiis habemus, non niſi probabiliter talia ſunt, eo propius ad vera pretia accidentia, quo majori ſolertia in iisdem rite inveſtigandis atque determinandis verſamur. Experientia rerum & uſus commerciorum hic plurimum facit.

(a) PUFFENDORFF *J. N. & G. Lib. 5. Cap. 1. per tot.*

§. V. Verum non ſola hæc eſt difficultas, quæ rerum permutationes premit: occurrunt & aliæ non minus graves. Nam præterquam quod in dato quolibet permutationis inſtituendæ caſu pretia rerum, utrinque permutandarum, explorare, & rationem unius ad alteram indagare neceſſum ſit (§§. III. & IV.): illud præterea in rebus frequentis uſus moleſtum & grave accideret, quod ratio pretii earundem ad quaslibet alias, queis nos viciſſim indigemus, determinare oporteret; id quod in tanta rerum, ad vitam jucunde beateque tranſigendam comparatarum, copia immenſos pareret labores ac moleſtias: prout unusquisque facile intelliget, modo, quæ diximus, penitius ruminet, & calculi hujus tædia tentet. Sit e. g. vinum cum lana permutandum: hoc caſu palam eſt, tam vini quam lanæ pretia, & unius rationem ad alterum debere eſſe cognita (§§. III. & IV.). Aſt pone, non habere aliquem niſi vinum, rebus tamen aliis, tritico, corio, carne, ligno, ferro &c. indigere ſæpius: hoc caſu omnium harum rerum pretia ipſi exploranda & eorundem rationes ad pretium vini inveſtiganda forent, ſiquidem promte, & ſine læſionis periculo vinum ſuum cum illis commutare intenderet. Quod, quam

difficile foret, nisi nummis uteremur, acutioribus relinquo dijudicandum.

§. VI. His accedit, quod in tanta rerum varietate atque copia, quæ non ad necessitates tantum humanas sublevandas natura produxit, sed & ad vitæ commoditatem atque jucunditatem homines perfecerunt, & in formam artis redegerunt, non sine difficultate sæpe fuisset, eo præcise momento temporis, quo re aliqua opus habuissemus, invenire, qui rem nostram, ipsi forsan nulli usui futuram, accipere voluisset: quo ipso aut rebus necessariis destitutos nos egere oportuisset; aut easdem cum magno dispendio & jactura permutare dura nos necessitas adegisset.

§. VII. Quapropter non minus rationis lumine, quam experientia edocti fuerunt homines, non sufficere permutationes simplices, ut stante rerum dominio omni tempore pro rebus suis alias, sibi ad vitam necessarias atque utiles adquirerent. Ad *pretium* itaque *commune*, *nummum* scilicet, sive *pecuniam*, ex necessitate quadam naturali deventum fuit. Hæc pretium & mensura communis rerum omnium constituta fuit, ut ea mediante quodvis, quandocunque libuerit tempore, habere sibi, & comparare integrum esset. Pretio omnium rerum communi semel introducto, non amplius rei unius pretium cum pretio rerum aliarum omnium, sed cum sola pecunia conferre necessum fuit. Quin ne duarum quidem rerum permutandarum, sed unius saltem pretium nunc explorandum venit; quippe alterius, quæ in vicem datur, scil. pecuniæ valor per se certus & fixus esse supponitur. Immo quæ hodiedum fiunt permutationes, proprie ita dictæ, multo perficiuntur facilius, utriusque rei permutandæ pretio ad nummos reducto, vel ipsa experientia teste.

§. VIII.

§. VIII. Alia hinc species permutationis orta est, qua rem nostram in alterum ita transferimus, ut in vicem ejusdem non rem aliam, sed pretium commune, certam scil. pecuniæ summam, recipiamus. Dico *non rem aliam.* Licet enim, stricte loquendo, etiam pecunia res sit: non tamen ut talis in vita humana, & in commercio consideratur, sed ut quantitas, & communis rerum aliarum mensura, quam homines servant & custodiunt, dant, & recipiunt; non ut ex eadem immediate utilitatem percipiant, sed ut ea mediante necessitatibus atque commoditatibus suis mutuo prospiciant. Hanc permutationis speciem propter insignem ejus & frequentem usum peculiari nomine *Emtionem Venditionem* vocare placuit.

§. IX. Nimirum, quoniam in permutatione simplici uterque, alienans & transferens rem tradit, aliam in ejus vicem recipiens, ambo contrahentes non nisi uno nomine permutantium insigniuntur; neque contractus alio quam permutationis vocabulo effertur, atque eo ipso ex utraque parte actum eundem scil. permutationem celebrari indigitatur. Ast in emtione venditione diversi interveniunt actus ex parte venditoris atque emtoris. Ille rei suæ dominium in alterum scil. emtorem transfert pro certa pecuniæ summa: hic pro eadem pecuniæ summa rei istius dominium sibi adquirit. Qui emit, non vendit, & qui vendit, non emit: contra in permutatione uterque permutat. Quoniam tamen concipi nequit venditio absque emtione, neque emtio absque venditione, atque harum rerum mutua inter se relatio est: contractus hic conjunctis plerumque emtionis atque venditionis terminis efferri solet. Hinc definitur *emtio venditio*, quod sit contractus, quo venditor rei suæ dominium in emtorem transfert, sive, quod idem est, quo

quo emtor rei alicujus dominium sibi adquirit pro certa pecuniæ summa.

§. X. Dixi §. *præcedenti*, per contractum emtionis venditionis transferri dominium in emtorem: hoc tamen de jure tantum naturali intellectum velim, quo solo consensu serio domini, rem suam in alium transferre volentis, præcedente dominium transire omnino cum viris summis, HUGONE GROTIO (a) & ULRICO HUBERO (b) existimo. Enimvero cum jure nostro sola conventione neque dominium neque aliud jus, quod rem afficiat, & devinciat, adquiratur (c); sed tantum jus ad rem nascatur: *emtio*, *venditio* jure civili paulo aliter definienda erit; quod scilicet sit contractus, de rei nostræ dominio aut jure aliquo in alterum transferendo; sive quod idem est, de rei alicujus dominio, aut jure aliquo, ab altero acquirendo pro certa pecuniæ summa. Ita enim intelligimus, jure civili non solo contractu emtionis venditionis transferri, aut adquiri dominium; sed jus nasci ad dominium adquirendum ex parte emtoris, atque obligationem ex parte venditoris ad idem in emtorem transferendum.

(a) *Lib. 2. de J. B. & P. c. 6. in pr. & §. 1. item c. 8. §. 25. nec non in Introduct. in jus Holland. 2. Cap. 5.*
(b) ULR. HUBER. *Digress. Lib. 4. c. 8.*
(c) *L. 20. C. de pactis.*

§. XI. Licet ergo jure civili ex consensu ementis atque vendentis jus & obligatio civilis nascatur, atque ea de causa ad contractus consensuales referatur emtio venditio: non tamen omnis ei vis & effectus, quem habebat jure naturali, in civitate relictus est (§. X.); immo alia plura in eodem hoc contractu occurrunt, quæ jure naturali paulo aliter se habent: ut exemplo læsionum corrigendarum infrá

fra patefcet. Eatenus igitur recte pro civili negotio habebitur, licet ceteroquin ex aliis rationibus contractus juris gentium haud inconcinne dici queat.

§. XII. Emtio venditio eft fpecies permutationis late acceptæ (§§. VII. & VIII.). In permutatione fervanda eft utrinque æqualitas (§. II.). Servanda itaque æqualitas inter emtorem & venditorem. Atque adeo, quod emtor dat, pretium exacte refpondere debet merci, five rei, quam in vicem ejus recipit, ita ut venditoris conditio maneat prorfus eadem quæ fuit ante venditionem, neque plus, neque minus habeat; & ita viciffim merx, quam accipit emtor, pretium datum ex affe adæquare debet, uti volunt, & exigunt regulæ juftitiæ commutativæ, (a) juxta quas ex utraque contrahentium parte æqualitas arithmetica obfervanda venit, ita, ut quod ex una aut altera parte plus æquo deprehenditur, fubtrahatur, atque alteri, qui minus habet, addatur, inæqualitate omni procul amota. Pone mercis pretium deprehendi effe 6.: ab emtore itidem pretium 6. conftituendum & in vicem mercis acceptæ folvendum erit, ut æqualis maneat utriusque ementis & vendentis conditio, & unus tantundem habeat, quantum alter.

(a) L. B. de WOLFF *horæ fubfecivæ An. 1729. Trimef. vern. num. II. §. 10. p. 256. feq.*

§. XIII. Ut jgitur exacta illa æqualitas ad amuffim cuftodiatur: rei vendendæ pretium quam poterit accuratiffime utrinque explorandum erit (§. III.). Venditori incumbet veras rei qualitates, virtutes & vitia candide & fine diffimulatione ulla emtori manifeftare, nifi fors talia fuerint vitia, quæ in omnium oculos & fenfus incidunt; hoc enim cafu fupervacuum haberi debet de iisdem emtorem, ceteroquin prudentem commonefacere; nulla aget fraude, nulla callidi-

tate utetur ad decipiendum emtorem suum: & vicissim emtor caute & circumspecte singula exploret; ad qualitates, quas præcipue in re vendenda supponit, attendat; conditiones & qualitates extrinsecas, siquas velit adjectas, distincte & sine cavillatione exprimat; nec dolo, neque falsis repræsentationibus aut quibuscunque machinationibus efficiat, ut minus justo pretium rei suæ statuere venditor inducatur.

§. XIV. Quod de officio emtoris atque venditoris dixi, non velim trahi ad circumstantias temporis, loci, personarum, aut alias occasiones favorabiles, alterutri contrahentium solum perspectas. Has enim, ut unus alteri propalet, nulla eos stringit obligatio; nec charitatis leges jubent, si ceteroquin dolus malus, calliditas, & inhumanitas omnis absit. Necdum enim alteri jus quæsitum est favore istarum circumstantiarum lucrum aliquod ex pecunia aut mercibus suis adquirendi; quin potius lucrum illud & utilitas ista haberi adhuc potest pro re nullius, quæ fit primo occupantis. Quando igitur occasione loci, favore temporis, aut compendio aliarum circumstantiarum, mihi soli cognitarum, in solam meam utilitatem utor, dum nullam in contractu de iis mentionem injicio; non magis alteri injuriam facio, quam dum rem nullius occupo, eamque in usus meos converto. Atque ex hoc fundamento decidi potest difficilis hæc & spinosa quæstio, de qua vide pluribus PUFFENDORFFIUM (a) in opere suo de J. N. & G.

(a) *Lib. 5. c. 3. §. 4.*

§. XV. Quando hæc, quæ modo innuimus, in contractu emtionis venditionis mutuo observant emtores atque venditores, dicuntur agere ex *fide bona*. Est enim *fides bona* in contractibus habitus, sive constans animæ voluntas nemi-

neminem in contractibus lædendi, sed damna omnia, inde in alterutrum resultatura, avertendi. Quod cum fiat, si singula, quæ (§. XIII) diximus, ad effectum deducantur; notionum nostrarum veritas abunde elucescit.

§. XVI. Qui ex *fide bona* in contractu agit, non vult, ut alteri ex negotio, quod cum ipso celebrat, ullum damnum obveniat (§. XV.); omnem curam & industriam eo impendit, ne qualicunque ratione lædatur, aut imminutionem in bonis suis sentiat. Merito ergo *fide bona* contrahens ea voluntate esse præsumitur, quod non solum fraudem, dolum, & culpam omnem procul abesse velit, verum quod emersuras etiam post contractum læsiones quascunque, modo ex vitio, tempore contractus existente, aut ex errore tum admisso proveniant, reparare atque resarcire in animo habeat; ut exacta illa, quam his contractibus inesse voluimus (§. XII.), æqualitas ad amussim conservetur & officiis *boni viri*, non minus quam justitiæ commutativæ satisfiat (§. XIII.).

§. XVII. Prono alveo inde fluit, quod, quæ dolo malo, fraude, cavillatione, aut machinatione qualicunque, negligentia, aut culpa dantur damna, aut causantut læsiones, in contractu emtionis venditionis de jure naturæ veniant resarciendæ, & corrigi debeant. Sunt enim læsiones istæ proprie tales, & formales, quæ pravam voluntatem nocendi, aut culpam saltem, & negligentiam in lædente supponunt. Quare cum aliunde etiam damna dolo, culpave data resarcienda sint: quin idem in emtione venditione locum habeat, eo minus dubium est, quod fidem bonam sibi mutuo præstare debeant contrahentes. (§§. XIII. & seq.). Sed & idem statuendum erit de læsionibus improprie talibus, sive materialibus, quales dico, quando unus, aut alter

ter contrahentium sine prævio dolo, aut culpa, propter vitium rei inhærens, aut propter errorem in pretio damnum sentit. Nam cum ex notione bonæ fidei monstratum a nobis fuerit, quod contrahentes has etiam læsiones corrigere velle præsumantur (§. XVI.): quin ad damna & læsiones ejusmodi, quatenus in ipsorum potestate est, corrigendas teneantur, dubio caret. Quis enim diceret in bona fide esse illos, qui, dum post contractum vitium rei advertunt, aut veri pretii notitiam accipiunt, consequenter plus æquo apud se esse comperiunt, ejusdem restitutionem denegarent? An non potius in mala eos fide hærere dicendum foret? Confirmant hanc nostram sententiam jura nostra (§. XVIII.), licet & culparum præstationibus, & læsionibus improprie talibus certos limites posuerint. Quid enim aliud sibi volebant sollemnes in ejusmodi contractibus usitatæ formulæ: *Ex fide bona: ut inter bonos bene agier oportet: ne propter te, tuamque fidem frauder: quantum æquius melius:* De quibus vide celeberrimum HEINECCIUM. (a).

(a) *Antiquit. Rom. secundum ordinem Instit. Lib. 4. Tit. 6. §. 36.*

§. XVIII. Mirum itaque videri non debet, si non solum ob mutuum contrahentium dissensum (a), propter pacta adjecta, & conditiones, emtioni venditioni appositas, non impletas (b) propter dolum, vim, & metum (c) partim rescindatur, partim annulletur emtio venditio: sed si idem quoque leges nostræ juris esse voluerint, quando ex errore in contractu aut emtorem, aut venditorem læsos esse contigerit. Scilicet non videntur consentire, qui errant (d). Cum tamen alius sit error in corpore, alius in nomine, alius in sexu, alius in qualitate, alius in pretio: non uno eodemque in omnibus modo in contractu errantibus succurrunt. Aliis ipsæ emti & venditi actiones præsto sunt: emtori-

toribus in ſpecie ædilitia edicta comparata ſunt; de quibus videantur commentatores *ad Digeſta tit. De reſcindend. vendit.* interque eos vir eximius GERARDUS NOODT pulchre pro more ſuo exponens, quibus caſibus, & quando ob errorem læſo emtori aut venditori ſuccuratur. Nobis impræſenti tantum de læſis ex errore in pretio diſpiciendum, quibus in promtu eſt notiſſimum remedium *L.* 2. *Cod. De reſcindend. vendit.* De quo, quomodo ad utrumque tam venditorem, quam emtorem adplicandum ſit, paulo penitius indagare juvat.

(a) *L. 35. π. de R. J. & arg. Leg. 3. π. de reſcind. vendit.*
(b) *Tot. Tit. Cod. de pactis inter emtorem & venditorem.*
(c) *L. 1. L. 5. L. 8. Cod. de reſcind. vendit. L. 1. π. Quod metus cauſa. L. 3. L. 4. & ult. Cod. eod. & potiſſimum GERARD. NOODT. Lib. ſingulari de Forma emendandi doli mali C. 7. & ſeq.*
(d) *L. 116. de Reg. J.*
(e) *Tom. 2. Operum ad Tit. de Reſcind. vendit. p. 319. ſeq.*

§. XIX. Liquet igitur, & in aprico jacet ex *d. L.* 2. & 8. *Cod. De reſcind. vendit.* quod *bonæ fidei* contrarium judicaverint legislatores, tolerare inæqualitatem, quæ ex errore in definiendo pretio juſto reſultat. At vero, cum pretium ex rei veritate, & ad punctum determinare vix homini datum ſit (§. IV.); & innumeræ utrique poſſint eſſe rationes peculiares, cur emtor minoris, venditor majoris rem æſtimet: infinitarum litium ſemina relinquebantur, ſi in ſocietate civili quarumlibet, putativarum ſæpe læſionum reſarcitionem coram judice petendi facultas integra fuiſſet. Nulla propemodum celebrari poſſet emtio venditio, quam non quilibet contrahentium pro libidine & beneplacito ſuo everteret; jurgia & litigia plura ex uno hoc contractu, ſi minimæ quævis læſiones attenderentur, propullularent, quam ex quibuslibet aliis hominum negotiis. Quin ne in ſtatu qui-

dem naturali, stabilito semel rerum dominio, omnes promiscue læsiones in censum trahere, & in contractibus dominii rerum, & jurium translativis attendere, earumque resarcitionem petere, suasit tranquillitas humani generis, & socialitatis amor. Si necessarium fuit proprietatem rerum introducere: necesse etiam erat, consentire in id, sine quo aut plane non, aut difficulter subsisteret. Naturali itaque, & tacito quodam consensu de levioribus læsionibus, in contractibus ex errore provenientibus, insuper habendis convenisse inter homines censendum est: sicuti ex naturali dictamine, & hypothetica quadam necessitate præscriptionum jura fluxere, & testamenta condendi facultas indulgenda fuit; ut dominia in certo consisterent, & lites evitarentur. Eadem ratione naturaliter placuit, leviores errores in contractibus sibi mutuo condonare, & pro lucro licito habere, quod plus æquo apud alterum esset. Hinc non minus vere ex civili, quam naturali jure ait POMPONIUS (a): *in pretio emtionis & venditionis licere naturaliter contrahentibus se circumvenire*: quod JCtus PAULUS ex paritate emtionis etiam in locationibus conductionibus juris esse enunciat (b). Quippe non id dicere volunt JCti, quasi dolose, & data opera in hisce contractibus id agere naturaliter liceret, ut justo majori pretio venditor venderet, æquo minori emtor emeret. Quid enim magis a bona fide, (§. XV.) aut quid tam civilibus legibus refragaretur, quam dolos probare, & fraudes licitas enunciare? (§. XVII.). Id solum volunt, & insinuant, eam esse commerciorum naturam, tantas in inveniendis veris rerum pretiis occurrere difficultates, tot circumstantias speciales, quæ aut pretium minuant, aut intendant, ex utraque parte contrahentium intervenire, atque insciis sæpe ex fortuito & inopinato eventu nasci, ut, siquidem inæqualitates omnes, quæ perfecto contractu fors sese exerunt, ad unguem resecare, emendare ac corrigere velint, omnia commer-

mercia, & fides in contractibus haud dubie essent corruitura. Æquum itaque esse inopinati sunt, ut minusculas illas circumventiones in contractibus, præsertim si nullus aut dolus, aut vafrities subfuerit, æquo ferrent animo contrahentes, contenti, si dolos, vim, & fraudes coercerent, & notabiles ex errore enatas inæqualitates ad æquum reducerent judices. Atque hoc est, quod DIOCLETIANUS ait: *Substantiæ hujus contractus congruere, quod emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hunc contractum (scil. emtionem venditionem) accedant.* (c)

(a) *Lib. 16. §. 4. π. de Minorib.*
(b) *L. 22. §. ult. π. Locat. cond.*
(c) *L. 8. C. de rescindend. vendit.*

§. XX. Quod si itaque, ultra quam bona fides, & natura commerciorum patitur, & socialitatis amor jubet, in pretii determinatione ab æqualitatis tramite aberratum fuerit, justitiæ commutativæ regulæ volunt, ut lucrum immodicum sive emtori, sive venditori subtrahatur, & damnum passo resarciatur (§. XVII.). Læsiones minoris momenti, ex errore inculpabili natas, insuper habere præcipiunt civiles LL. & suadet naturalis ratio (§. XIX.); enormes vero tolerare nulla jura volunt. Est nimirum *læsio enormis* in contractibus (si a determinationibus civilibus præscindimus) damnum notabile, sive alicujus momenti, uni alterive contrahentium ex contractu obveniens. Cum vero in ejusmodi damna nullo modo consentire contrahentes monstraverimus (§. XVI.): læsiones quoque enormes a contractu qualescunque abesse voluere. Notam & differentiam specificam læsionis enormis gradum ejusdem intensiorem constituimus; hic igitur in casu quolibet specifico & individuali ex quantitate bonorum, ex pretio vero, læsi divitiis, aut indigentia &c. ulterius determinandus venit: uti evenit in

iis

iis omnibus e. g. *culpis*, quæ gradu & diversa ad extra relatione inter se differunt. Quod si igitur hac ratione aliquis enormiter se in contractu læsum esse probare poterit: ut aut damnum sibi resarciatur, aut a contractu recedatur, jure postulat; in læsiones enim immodicas consensisse nemo censendus est (§. XVI.).

§. XXI. Immodicas has sive enormes læsiones jure civili ante DIOCLET. & MAXIMIN. tempora ex clausulis & formulis generalibus *fidei bonæ* (§. XVII.), correctas fuisse vero est simile, & colligi quodammodo potest ex *LL.* 78. *&* 79. *& seq. π. Pro socio*, ubi PROCULUS in proposita quæstione (convenerat scilicet inter socios, ut amicus partes societatis constitueret,) arbitrium *boni viri* sequendum esse existimat, subjecta ratione generali, omnibus contractibus B. F. communi: *quod* scil. *judicium pro socio bonæ fidei sit.* Unde porro ex eadem illa ratione generali concludit PAULUS, quod si amici sive arbitri judicium ita pravum sit, ut manifesta ejus iniquitas appareat: idem corrigi per judicium B. F. Neque opus est, ut nodum hic in scirpo quæramus. Læsiones ex errore jure C. emendatas fuisse, etiam ante DD. Impp. probat manifeste *L.* 36. *π. de V. O.* ibi: *idem est, & si dolus nullus intercessit stipulantis; sed ipsa res in se dolum habeat, cum enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quod petit.* Quis dubitat rem in se dolum habere, non solum, dum vitiosa deprehenditur, verum etiam cum talis sit, in quam majus constitutum pretium, aut minoris solutio non quadret? An non dolo facit ille, qui, dum minoris rem esse comperit, majus nihilominus pretium petit, aut solutum retinet? Et ita vicissim in emtore (a). (§. XVII.) De stricti juris negotio loquitur alleg. lex: sed an minus in B. F. judiciis operabitur bona fides quam in stricti juris contractibus, qui arctius formulis suis & verborum conceptionibus inclu-

de-

debantur? Atque hanc sententiam nostram pluribus firmant viri de jurisprudentia summe meriti CUJACIUS (b) & GERARDUS NOODT (c) :neque eandem convellunt, quæ vir *celeberr.* JACOB. THOMASIUS (d) & alii nonnulli in contrarium afferunt.

(a) *Confer omnin. L. 1. §. 47. & L. 2. π. depositi L. 47. π. de Evict.*
(b) *Lib. XXIII. Obser. XXIV.*
(c) *In Commentar. ad digest. tit. de rescind. vend. p. 319. seq.*
(d) *In Differt. de æquitate cerebrina L. 2. c. de rescindend. vendit. c. 2. §. 7. seq.*

§. XXII. Quod autem differentiam hic inter venditorem & emtorem faciat CUJACIUS (a) in priore admittens, correctam fuisse læsionem enormem; in emtore secus: in eo plane non cum ipso sentimus. Neque enim ulla est probabilis dubitandi ratio, quin idem in emtore, quod in venditore observari voluerint LL. nostræ. Par est utriusque conditio: par utriusque difficultas pretium ex vero determinandi: iisdem errandi periculis subjectus emtor, quibus expositus venditor: venditor vult magni vendere, emtor parvi emere juxta illud PLAUTI *persa* 4. 4.

SA. Vin' bene emere? DO. Vin' tu pulchre vendere? TO. Ego scio hercle utrumque velle.

Necessitate subin venditor ad res vendendas, subinde etiam emtor ad res emendas adigitur. Et si disparitatem hic confingit CUIACIUS (b) & alii cum eo sentientes, dum aliam venditoris, aliam emtoris conditionem statuunt, illum ex necessitate vendere, hunc sine necessitate emere, aliquando luxuriæ indulgentem, sæpe affectioni opportunitatis, aut vicinitatis, aut coeli &c: eos tamen res ipsa redarguit, & nemo non videt hæc perinde, immo sæpius in venditorem quadrare. Ignorat quandoque verum rei pretium venditor,

ut minori rem tradat: sæpe etiam ignorat emtor, ut majori accipiat. Non ferunt subinde circumstantiæ venditoris, ut omnes rei qualitates, raritatem, artem, occasionem loci & temporis ex asse exploret, sed idem sæpe ratio temporis aut aliæ circumstantiæ non sinunt in emtore, ut ita uterque haud raro a vero pretio aberret. Quidni igitur utrumque commiseratione æquali dignum LL. judicent, si alterutrum in pretio enormiter læsum esse contigerit? ut, quod ex errore innocuo damnum sensere, officio *boni viri*, *judicis* intelligo, resarciri jubeant. Subsunt utrinque eædem æquitatis rationes, ut ovum ovo non tam sit simile. Nimium quantum igitur in principium rationis sufficientis impingeret Legislator, qui aliud in emtore, aliud in venditore læso statueret. Quid! an minus imputandum venditori, quod rem suam, cujus tamen ipse qualitates omnium optime perspectas habere debebat, justo minoris æstimaverit, quam emtori, cui, quod qualitates rei alienæ minus habuerit perspectas, condonandum videbatur, si innocenti errore ductus eandem justo majoris habuerit.

(a) *Lib. XVI. Obs. 18.*
(b) *Ibidem.*

§. XXIII. Patet ulterius assertum nostrum ex formulis in actionibus B. F. adhiberi solitis (§. XVII.), quæ utique tam emtori quam venditori communes fuere, nec pro uno plus quam pro altero valuerunt, ex regula generali, quam tradit Justinianus noster (a): in B. F. judiciis permitti videri judici ex *bono* & *æquo* æstimandi, quantum actori restitui debeat (b). Immo æqualitatem hancce ex utraque parte tam emtoris quam venditoris probe observandam esse inculcat Jctus Paulus, æquitatis summus arbiter (c). Licet enim in *alleg. L.* fraus liberti intervenerit: noluit tamen,

men, quia emtor fraude caruit, eundem minus quam venditorem jure ac facultate gaudere, utrum a contractu emtionis venditionis recedere, an rem justo pretio retinere, aut sibi habere malit. Neque solida subest disparitatis ratio, quare, quæ hic propter dolum liberti intervenientem inter emtorem & venditorem custoditur utrinque æqualitas, minus locum habere debeat, si ex errore læsio obvenerit (§. XXII.) Hinc acute non minus quam recte conjicit vir consultiss. GERARD. NOODT (d), DIOCLET. & MAXIM. ad vetera hæc jura & LL. respexisse, cum in *L. 2. C. de rescind vendit.* emtori libertatem relinqueret, an recedere a contractu, an justo pretio rem suam esse cupiat. Confirmantur hæc ulterius ex *L. 12. π. de jure dot.* quippe *dotis datio* & ipsa venditio est (e).

(a) *Inst. Lib. 4. Tit. 6. §. 30. de Act.*
(b) *Vid. HEINECCII Antiquit. Rom. secundum Ord. Inst. L. IV. Tit. 6. §. 36. BARNAB. BRISSON. de Formulis Lib. V. §. 159.*
(c) *In L. 1. §. 12. & 13. π. si quid in fraud. patron.*
(d) *Alleg. lo. p. 322. in fin.*
(e) *L. 10. §. 4. L. 12. §. 1. L. 16. π. de J. Dotium.*

§. XXIV. Evicimus itaque, tam in emtore quam in venditore læsionis enormis rationem fuisse habitam. Ast qualis illa? quibus ea terminis circumscripta fuit? nimirum vagis illis & indeterminatis, quos §. XX. innuimus, lubricis nimium, si civiles rationes & judiciorum nostrorum indolem serio expendas. Jure scilicet antiquo hæc res ex mero judicis arbitrio, ex fide bona judicantis, pendebat. Illius erat ex circumstantiis specialibus in casu dato obviis metiri, utrum immodica fuerit læsio, nec ne. Ex quo non poterat non summa sæpe judici suboriri in judicando difficultas, inter contrahentes irrepere inæqualitas, & turbari judiciorum ordo. Quid enim, si judex corrumpi se aut donis, aut par-

tium blandimentis passus fuerit? quid, si uni præ altero magis fuerit addictus? quid denique si lucrum ex lite sperabat? an non in tanta pretiorum, ex vero determinandorum, difficultate (§. IV.) & vaga læsionis enormis notione (§. XX.) amplissimus judici campus patebat, læsiones enormes pro lubitu suo citra fas & æquum statuendi? siquidem a tramite recte deflectere in animum induxisset. Quid? quod in tanta incertitudine læsionis immodicæ ipsis contrahentibus, præsertim si cavillandi, & litigiis alios vexandi desiderio pungerentur, latissima fuerit licentia, lites impune movendi, judicia temere adeundi, tam jus dicentibus, quam aliis molesti futuri. Hinc ex iisdem civilis prudentiæ regulis, quæ Legislatores induxerunt, ut pubertatis & minorennitatis annos definirent, præscriptionum tempora certa ponerent, terminos judiciales fixos redderent, & certis limitibus circumscriberent, permoti fuerunt Legislatores nostri DIOCLET. & MAXIM, ut vagam antea læsionis enormis summam cancellis certis definirent, atque læsiones, in contractibus tolerandas, ad certam quantitatem restringerent. Dimidium justi & veri pretii pro termino *a quo* constituisse Legislatores nostros, in sequentibus videbimus. Atque hactenus omnia nexu optimo cum principiis universalibus prudentiæ civilis, & scientiæ legislatoriæ regulis cohærent, quidquid in contrarium sentiat vir *celeberr.* JACOB. THOMASIUS (a), ceteroquin mea laude major.

(a) *In alleg. differt. de æquitate cerebrina L. 2. C. de rescind. vendit.*

§. XXV. Ex maxime momentosis & prægnantissimis rationibus §. *præcedenti* evicimus, læsionem enormem ad certum, a quo incipiat, terminum adstringendam, nec amplius vagam, & indeterminatam relinquendam fuisse. Quare cum eandem non minus in emtore, quam in venditore

cor-

corrigendam esse demonstratum a nobis fuerit (§. XXII.): eædem haud dubie militant rationes, ut in emtore, immo in omnibus contractibus dominii, aut jurium translativis certus læsioni enormi statuatur terminus *a quo*. Quapropter, cum eundem ad dimidium justi & veri pretii fixerint Legislatores nostri in venditione: idem quoque fecisse censendi sunt in emtione, locatione, conductione, permutatione, societate, &c. Neque obstat, quod in *d. L.* 2. *&* *L.* 8. *Cod. de rescind. vendit.* DIOCLET. & MAXIMIN. hanc suam legalem voluntatem in casu specifico venditionis proposuerint. Id enim ex accidenti est; neque rationem legis generalem destruere valet. Idem haud dubie responsuri erant Impp. si ab emtore, locatore, conductore, permutante, socio &c. in casu læsionis simili preces fuissent oblatæ.

§. XXVI. Separandæ nimirum sunt in dictis legibus rationes intrinsecæ, legales, finales & politicæ, a rationibus earundem occasionalibus & accidentalibus. Facta proposita a LUPO & EVODIA occasionem solum & ansam subministrarunt, ut ex rationibus, fuse supra a nobis (§. XXIV.) adumbratis, læsionem enormem certam redderent, & in genere tam contrahentibus, quam judicibus normam constituerent, quam imposterum in læsione immodica determinanda judices observandam sibi esse scirent. Facta speciales venditionum casus continent: rationes autem eorundem universales sunt, & b. f. contractibus omnibus communes. Quin cum nulla ante *d. LL.* 2. *&* 8. inter emtorem & venditorem subfuerit differentia (§§. XXII. & XXIII.): ipsa legum antecedentium ratio pro extensione *d. LL.* 2. *&* 8. ad emtorem, aliosque b. f. contrahentes pugnare videtur. Nec ab hac sententia te dimoveat, quod *dd. leges* sub venditionis schemate fuerint propositæ. Namque id novum non est in jurisprudentia veteri, & Legislatori-

bus sollemne fuit, sanctionem generalem sub schemate casus specialis proponere (a); idque pluribus exemplis firmare possem, nisi diutius immorari pigeret in re, in qua concordant JCti plerique, paucis cum Cujacio (b) contrarium tenentibus, quorum rationes adeo debiles sunt, ut ne confutari quidem mereantur.

(a) *Vid.* CASP. ZIEGLER *de Jur. Maj. C. 6. §. 16.*
(b) *Lib. XVI. Obs. 18.*

§. XXVII. Luculenter hucusque demonstratum dedimus, læsiones enormes ex errore in pretio resultantes non in venditore solum (§. XX. & XXI.), verum etiam in emtore, aliisque contractibus, ubi æqualitatem mutuam intendunt contrahentes (§. II. & XII.), esse attendendam, atque corrigendam (§. *XXII. & XXIII. seq.*). Evicimus præterea læsionis enormis modum antea vagum & indeterminatum, *Lege* 2. *& L.* 8. *alleg.* fixum, & certo termino adstrictum in iisdem contractibus non minus, quam in venditione locum sibi vindicare (§. XXV. & XXVI.), ut nulla amplius ambiguitas relicta esse videri possit. Enimvero cum in modo computandi læsionem non conveniant DD. & aliter eam in venditore, aliter in emtore instituant: dispiciendum nunc erit, quænam genuina ratio in computanda læsione servari debeat, ut neutri fiat injuria, & justitiæ commutativæ regulæ sancte custodiantur. Atque in hoc eo erimus curatiores, quo majus decisio hujus controversiæ in praxi momentum præbet, & quanto enixius, eo operam nostram quantulamcunque impendere decet, ut in certitudinem juris omnem e jurisprudentia nostra eliminemus.

§. XXVIII. Ut autem sententiam nostram de computanda læsione in emtore, atque venditore eo stabiliamus firmius,

firmius, non abs re fuerit principia quædam fundamenti loco præmittere, quibus veritatem dicendorum tanquam basi immotæ superstruamus.

§. XXIX. Tenendum itaque *primo*, quod in contractu emtionis venditionis, omnis alea, & periculum erroris, qui in determinando pretio committi potest, se teneat ex parte rei, a venditore in contractum deductæ. Hujus tantum valor & pretium quæritur; de hoc ex vero determinando laborant ambo contrahentes (§. VII.). Emtor enim loco rei pecuniam tradit (§. VIII.); hujus autem valor ex natura sua certus est, & publica lege definitus esse supponitur (§. eod.). Nullam adeo aleam subit, ut minoris eam expendat: neque venditor habet, quod timeat, ne majoris justo eandem accipiat; &, siquid tale (quod tamen raro evenit) fors ab alterutra parte ex errore contigerit, minima tamen inde resultans inæqualitas atque læsio corrigenda venit; uti in omnibus iis, quæ valorem a publica lege definitum habent, juris esse apud omnes constat. Læsiones itaque, quæ circa pecuniam, ab emtore traditam, contingunt, huc non pertinent; quævis quippe læsio, quæ in errore monetæ contingit, enormis censeri debet: ita e. g. si emtor aureum Hungaricum venditori ex errore traderet pro 4. flor. Rhen. poterit jure repetere 10. aut 12. *crucigeros*, quos hic terrarum aureus Hung. pluris valere noscitur; & vicissim, si venditor aureum Hungar. ex errore acceperit, pro 4. flor. Rhen. & 30. *crucig*: 18. suos, aut 20. *crucigeros*, qui justum aurei Hungarici valorem excedunt, optimo jure ab emtore sibi reddi postulat, non attento, quod longe infra dimidium læsus sit. Hæc praxis quotidiana confirmat. Nec magis hoc casu, quam in emtionibus, venditionibus frumenti, panis, atque carnis, quando publicum iis pretium a magistratu præfixum est, remedio *L. 2. c. de rescind. vendit.*

opus

opus est. Cessant hic omnes rationes, propter quas læsiones quasdam tolerandas esse diximus (§. XIX.). Nulla itaque hic ferenda inæqualitas.

§. XXX. Aliter se res habet in permutantibus. Nam cum uterque hic rem tradat, aliam in ejus vicem recipiens, (§. I.) & utriusque rei pretium definiendum sit (§§. III. & IV.): uterque duplicem subit aleam, sive periculum læsionis; 1. dum aberrat in vero pretio rei suæ; 2. dum aberrat a vero pretio rei alterius permutantis. In casu autem emtionis venditionis uterque contrahens non nisi simplici aleæ, ac læsionis periculo expositus est. Sit enim e.g. fundus vendendus P. Hoc casu venditor aut justum fundo suo statuit pretium; aut pluris eundem, aut minoris æquo æstimat. In duobus casibus prioribus nullum damnum sentit; cum primo casu suum habeat, secundo casu lucretur etiam. Solo igitur casu tertio, quando scil. minoris eundem facit, læsionem sentit. Et ita vicissim emtor aut verum fundo statuit pretium, aut minoris, aut majoris æquo eundem æstimat. In duobus casibus prioribus nihil perdit; cum primo casu suum in salvo habeat, altero vero lucretur. Solus igitur casus tertius superest, quo damnum in ipsum redundat, scil. quando fundo justo majus pretium statuit: e. g. sit pretium fundi P. 100. *aur.* si uterque 100. *aur.* eundem æstimet, neuter læditur. Pone vero venditorem eundem æstimare tantum 80. *aur.* atque pro hoc pretio eundem emtori tradere: hæret hoc casu emtor in lucro 20. *aureorum*; venditor autem damnum sentit itidem 20. Quodsi autem emtor fundo pretium statuat 120. *aur.* atque pro hoc pretio eundem accipiat: tunc læsio emtoris est 20. *aur.* & lucrum venditoris itidem 20. *aur.* Liquet igitur, ex utraque parte non nisi unicum esse casum generalem, quo læsionis aleam subeat aut emens, aut vendens

dens. Sit contra in permutatione fundus permutandus P. domus in vicem recipienda D.: hic uterque duplex subit periculum 1mo quando dominus fundi permutandi P. justo minoris eundem æstimat; 2do, quando domum in vicem sui fundi recipiendam justo majoris facit. Atque ita vicissim se res habet in domino domûs tetradendæ D. Pone enim fundi pretium verum esse 1000. *aur.* pretium domus itidem 1000. *aur.*: hoc casu permutans fundum læditur, si aut minoris e. g. 900. *aur.*, aut majoris domum v. g. 1100. *aur.* domum æstimaverit. Utroque enim casu læsio est 100. *aur.* & ita pariter in permutante domum, si domum suam 900. aut fundum P. 1100. pretio judicaverit. Scil. tota ratio disparitatis in eo sita est, quod in emtione venditione in pretio, pro fundo suo recipiendo a venditore, exsolvendo ab emtore, scil. pecunia, nullum in æstimatione periculum versetur. (§. XXIX.) Atque ad hanc disparitatem probe velim attendas. Suppeditabit ea solidam diversitatis rationem, quare in computatione læsionis enormis in permutantibus res se paulo aliter habeat, quam in emtione venditione. Præterea fons & origo erroris adversariorum clare ex hoc fundamento elucescet, & infra ad oculum demonstrabitur.

§. XXXI. Totum itaque erroris in pretio committendi periculum versatur circa rem, sive mercem in contractum deductam. (§. XXVIII.) Videamus porro cujus præ altero hic sit melior conditio? an emtor magis a vero pretio aberrare possit, quam venditor? an contra hujus præ altero sit pronior lapsus? Ambo de vero pretio inveniendo solliciti sunt, (fide bona enim eos agere supponimus) (§. XV.) difficultatem in eo perquirendo sentiunt parem (§. XXII.); tot, immo pluribus, casibus a vero aberrandi expositus est emtor, quot venditor, ita ut pari saltem, si non meliore eun-

dem cum venditore conditione & in statu æquali censere omni jure debeamus. Neuter læditur, si æquum attigerint pretium; in lucro hæret emtor, si venditor minoris vendiderit; lucratur venditor, si emtor majoris emerit; læditur emtor, si majoris justo emerit; læditur venditor, si minoris æquo vendiderit; exspectatio lucri & damni utrinque æqualis. Sit e. g. merx vendenda A. cujus pretium verum contrahentibus incognitum sit 10. *aur.*: hoc casu æque possibile est, ut emtor solvat venditori 11. quam ut hic emtori mercem relinquat pro 9., ut emtor 12. 13. 14. 15. 16. & ita porro ex errore rem æstimans solvat loco 10. hic pro 8. 7. 6. 5. 4. & ita porro pariter ex errore in pretio aberrans rem emtori vendat. Non major est possibilitas horum casuum in emtore, quam in venditore. Licet enim disparitas nonnulla in eo se sistat, quod emtor ultra alterum tantum etiam lædi possit; venditor autem ultra quantitatem pretii veri vix circumscribi queat: illud tamen æqualitatem & identitatem casuum, quos hic supponimus, non destruit. Sufficit, quod usque ad quantitatem veri pretii eadem utriusque sit conditio. Quæ in emtore læsionis alea ultra integrum justum pretium, sive alterum tantum deprehenditur, ad favorem potius ejus pertineret, & meliorem ipsius conditionem faceret: at nos eandem ne in computum quidem impræsenti trahemus, nec videntur traxisse legislatores, moti haud dubie rationibus (§§. XIX. & XXIV.) adductis.

§. XXXII. Quarti fundamenti loco suppono, non posse legislatorem citra manifestam injuriam partium in casibus prorsus æqualibus diversum jus statuere, obstante hic principio *rationis sufficientis*. Multo minus igitur ille, cui æqualitatem inter contrahentes omni modo conservare incumbit, inæqualitatem absque ullo juris colore inter eosdem introducere poterit. Quæ enim major foret injustitia

quam

quam e. g. venditori indulgere actionem ad pretium ab emtore petendum; emtori vero ad petendam mercem emtam nondum traditam nulla ratione succurrere?

§. XXXIII. Ex eo igitur, quod æqualis sit conditio emtoris atque venditoris in contractu emtionis venditionis (§§. XXI. & XXXII.); consequenter æqualia quoque ipsis jura indulgenda sint; nec majori favori venditor, quam emtor dignus haberi possit salvis justitiæ regulis (§. XXXII.), sponte sua sequitur, quodsi læsiones quasdam in contractu emtionis venditionis ferre cogatur emtor: quasdam etiam ferre debeat venditor (XIX.); quod si attendatur ac corrigatur læsio enormis ex parte venditoris (§. XX.): attendi quoque eadem debeat ex parte emtoris (§. XXII.); si suasit judiciorum ordo, & litium finiendarum studium, ut in venditore ad certam summam restringeretur læsio enormis, a qua tanquam termino suo *a quo* inciperet (§. XXIV.): idem quoque in emtore sanciri oportuit; quot numero casus læsionum in emtione venditione legislatores statuunt ferendos esse venditori, antequam civile ipsi impertiantur remedium: tot numero casus, & non plures emtorem tolerare æquum erit, antequam de resarcitione damni jure experiri ipsi liceat. Pone e. g. ad quintum usque casum impune in pretio lædi venditorem; sexto ipsi succurri, & læsionem corrigi: æquum sane est, ut vicissim non nisi quinque læsionum casus emtor ferat, sexto civile ipsi pateat remedium. Si in casu tertio, quarto, quinto, sexto, septimo &c. læsio venditoris corrigitur: iniquum profecto esset, si in tertio, quarto, quinto, sexto, septimo &c. casu diversum quid statueretur in emtore (§§. XXXI. & XXXII.). Atque ita, si in genere, legislator dimidiam, vel tertiam, quintam &c. veri & justi pretii partem terminum *a quo* læsionum velit esse in venditore: nulla adest ratio, quare non

eandem dimidiam, tertiam, quartam, aut quintam justi & veri pretii partem terminum *a quo* constituere velit; aut debeat in emtore, pecunia, quam emtor dat, ad determinandam in eodem læsionem enormem plane nihil faciente (§§. XXIX. & XXX.). Justi & veri pretii mercis hic solum habenda est ratio: ab hujus majore vel minore æstimatione læsio enormis dimetienda venit. Hæc si serio expendas, veritatem nostræ computationis anticipato percipies.

§. XXXIV. Atque hæc eo firmiori, ac inconcusso magis stabunt talo, si demonstratum dederimus casus læsionum in emtore esse eosdem cum casibus correspondentibus læsionum in venditore quoad quantitatem læsionis, & ejus, quod in effectu utrinque accipitur. Prius nemo facile vocabit in dubium. Pone enim venditorem accipere pro merce sua 4. 5. 6. 7. aut 5. *aur.*; si verum mercis pretium sit 10.: patet venditorem læsum esse in 6. 5. 4. 3. aut 2. *aur.* Quodsi vero ex adverso (quod æque facile fieri potest (§. XXXI.) ponas emtorem pro merce valente 10. dedisse 16. 15. 14. 13. aut 12. *aur.*: patet læsionem ejus, perinde ut venditoris, esse 6. 5. 4. 3. aut 2. *aur.* consequenter æqualem cum læsione venditoris. Q. E. D.

Quoad secundum, quod scilicet perinde, sicut venditor in casibus, ubi accipit 4. 5. 6. 7. aut 8. *aur.*, 4. tantum, 5. 6. 7. aut 8. *aur.* in salvo habet, emtor in casibus, ubi pro merce illa solvit 16. 15. 14. 13. aut 12. *aur.*, nonnisi 4. 5. 6. 7. aut 8. *aur.* in salvo habeat; & sic utriusque conditio prorsus sit eadem: id sequenti modo demonstro.

Sit primus casus, ubi venditor pro merce valente 10. accipit $4 = 10 - 6$; in casu opposito, ipsi correspondente, emtor pro merce solvit $16 = 10 + 6$; ipse vero in merce tantum 10 recipit. Est igitur in his casibus ratio differentiæ, sive arithmetica in-

inter id quod dedit venditor, & id quod accepit = 10 = 4 = 6, & ratio differentiæ inter id, quod dedit emtor, & id quod accepit = 16 − 10 = 6. Nimirum 10 − 4 = 16 − 10 = 6 læsio, sive differentia communis inter data utrinque & accepta. Cum autem in ratione differentiæ 16 − 10 nihil immutetur, si utrinque, scilicet a 16, & a 10, æqualia subtrahas (a): manebit eadem ratio differentiæ inter id, quod dedit emtor, & id quod accepit, si a dato 16, & ab accepto 10 utrinque 6 subduxeris.

$$\begin{array}{r} 16 - 10 \\ 6 = 6 \quad \textit{subtr.} \\ \hline 10 - 4 \end{array}$$

Consequenter erit adhuc, sicut ratio differentiæ inter id quod dedit venditor & id quod accepit = 10 − 4 = 6: ita pariter ratio differentiæ inter id quod dedit emtor & id quod accepit, sicut 10 − 4 = 6. Enimvero cum in casu priore venditor nonnisi 4 in salvo habeat juxta demonstrata: perinde emtor in casu posteriore itidem nonnisi 4 in salvo, sive in effectu habebit, manente eadem læsione 6. Q. E. D. Et ita demonstratio procedit de casibus omnibus sibi mutuo respondentibus, quotquot concipi possunt. Scilicet venditor, qui accepit 16 pro merce valente 10, habet 4 + 6 + 6, emtor vero 4 + 6. Quodsi jam auferas utrinque 6, & fingas emtorem mercem tantum 4. *aur.* habere: venditor nihilominus adhuc habet 4 + 6, consequenter tantum, quantum in casu altero habebat emtor, quo venditor pro merce 4 accepit, & in salvo habuit. Cum vero facta hac subtractione emtor pariter tantum 4 in salvo habeat, & venditor 10 habeat, sicut in casu opposito emtor, patet, quod eadem utrinque læsionis quantitas subsit & maneat, quæ ante fuit. Quæ a DUARENO hic dubia moveri possent, infra (§. LII.) solventur. Ceterum cui difficiliora hæc videntur, eoquod

principiorum Mathematicorum nonnullam cognitionem supponant: is se teneat in parte prima reductionis nostræ; nimirum in læsionum identitate, ex qua non minus evidenter veritas computationis nostræ elucescit.

(a) *Celeberr.* WOLFFII *Elem. Mathes. Lat. edit.* 1. *Arithm.* §. 84.

§. XXXV. Memoriæ tamen juvandæ gratia, & ut casus læsionum, earundemque identitatem eo promtius nobis repræsentare valeamus, tres tabulas hic placuit annectere, quarum prima continet casus 10 quibus venditor læditur, & emtor in lucro hæret, Tab. tertia 10 casus repræsentat, ubi emtor læditur & venditor in lucro hæret. Compendii gratia in hac Tab. notavimus quid emtor in effectu habeat subducta ejusdem læsione; inter utramque autem media casum unicum æqualitatis continet.

§. XXXVI. Ad oculum itaque patet, tot casibus, & in eadem quantitate lædi, aut lucrari emtorem, quot venditorem lædi, aut lucrari contingit. Si venditor vendit mercem $10-1=9$, qui est casus primus Tab. I. emtoris lucrum est 1, venditoris damnum pariter 1. Quodsi autem casum primum in Tab. II. ipsi respondentem, atque æque possibilem supponas, ubi venditor accipit $10+1=11$.: erit ipsius lucrum, sicut emtoris damnum pariter 1. Eandem utrinque æqualitatem omnes casus possibiles ita percurrendo invenies. Nullo itaque jure excusari poterit legislator, qui alium in emtore, alium in venditore terminum *a quo* læsionum enormium statueret (§. XXXIV.). Quis, obsecro! tantam ferat injustitiam, ut in pari causa, in pari errandi periculo, nulla commiserationis ratione pro uno plus militante, quam pro altero, venditori e. g. in casu sexto, ubi læsio ejus est 6, succurreret; in casu autem opposito in emtore, ubi scil.

sol-

Tab. I.

	Si venditor mercem vendit	*Læditur*	Sit mercis venditæ pretium verum	*Emtor autem in effectu habet*	*Consequenter lucratur*
10	10 — 10 = 0	10	10	10 + 10 = 20	10
9	10 — 9 = 1	9	10	10 + 9 = 19	9
8	10 — 8 = 2	8	10	10 + 8 = 18	8
7	10 — 7 = 3	7	10	10 + 7 = 17	7
6	10 — 6 = 4	6	10	10 + 6 = 16	6
5	10 — 5 = 5	5	10	10 + 5 = 15	5
4	10 — 4 = 6	4	10	10 + 4 = 14	4
3	10 — 3 = 7	3	10	10 + 3 = 13	3
2	10 — 2 = 8	2	10	10 + 2 = 12	2
1	10 — 1 = 9	1	10	10 + 1 = 11	1

Casus inæqualitatis, quibus venditor læditur, emtor vero lucratur.

ſolvit 16, conſequenter læſio itidem eſt 6, immo perinde (§. XXXIV.) ut venditor 4 tantum in ſalvo habet, auxilium emtori denegaret, atque lucrum penes venditorem relinqueret? quod tamen in caſu plane ſimili, immo eodem, (§. eod.) ab emtore avocatur. Quæ æquitatis ratio, ut plus oneremus, & duriores ſimus in emtorem, quam in venditorem?

§. XXXVII. Certa igitur, & inviolabilis regula in conſtituendo termino *a quo* læſionum enormium hæc cuſtodienda eſt: *Quod ab eodem caſu læſionis, ſive aberrationis a vero & juſto pretio læſio enormis debeat incipere in emtore, a quo incipit in venditore.* Sit e. g. determinatio iſtius termini *a quo* tertia pars juſti & veri pretii: hoc caſu læſio enormis erit, quæ tranſcendit partem terttiam juſti & veri pretii, conſequenter, ſi nequidem $\frac{2}{3}$ in ſalvo habet venditor. Eadem igitur tertia pars norma & terminus *a quo* læſionis enormis erit in emtore. Pone mercis pretium eſſe 9, ſi venditor ab emtore accipiat 6, nondum erit enormiter læſus, cum habeat $9 - 3 = \frac{6}{9} = \frac{2}{3}$ juſti & veri pretii; neque læſio terminum *a quo* 3. excedit. Quodſi vero venditori tantum ſoluti fuerint 5, habebit $9 - 4 = 5$, læſio autem erit $\frac{4}{3}$ adeoque tertia parte veri pretii ſive $\frac{3}{9} = \frac{1}{3}$ major, & conſequenter ex hypotheſi enormis: & viciſſim, ſi emtor dederit $12 = 9 + 3$, læſio eſt $3 = \frac{3}{9}\ \frac{1}{3}$ talis, ſcilicet, quæ terminum *a quo* nondum tranſcendit. Ceſſat igitur adhuc, nec datur hoc caſu remedium. Quodſi autem ſolverit $13 = 9 + 4$ læſio eſt $4 = \frac{4}{9}$, major termino *a quo*, ſive $\frac{3}{9} - \frac{1}{3}$ adeoque corrigenda erit. Idem dicendum erit, ſi terminus *a quo* fuerit pars dimidia, pars quarta, duæ tertiæ &c. juſti & veri pretii. Uti enim primo caſu inciperet læſio enormis ab ea, quæ excedit dimidiam; in altero ab ea, quæ tranſcendit quartam, in tertio caſu, quæ eſſet ſupra duas tertias juſti & veri pretii:

ita

ita pariter idem terminus *a quo*, atque eadem quantitas justi & veri pretii spectanda foret in emtore, si æqualitatem, quam toties inculcavimus, in utroque contrahente observare velis.

§. XXXVIII. Restat nunc, ut dispiciamus, utrum ab hoc tramite recti abeant leges nostræ, & alium in venditore, alium in emtore statuant terminum *a quo* læsionum enormium; & an non potius eandem æqualitatem in emtore, & venditore sancte custodiri voluerint. Ajunt Imperatores *L.* 2. *C. de rescind. vendit. Rem majoris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit : humanum est, ut vel pretium te restituente emtoribus, fundum venundatum recipias auctoritate judicis intercedente; vel si emtor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta est.* Et *L.* 8. *C. eod.* verb. *profecto perspicies, neque bonam fidem, quæ emtionis atque venditionis conventionem tuetur, neque ullam rationem concedere rescindi propter hoc consensu finitum contractum, vel statim vel post pretii quantitatis disceptationem, nisi minus dimidia justi pretii, quod fuerat tempore venditionis datum esset, electione* &c. Ex verbis harum legum luculenter apparet, terminum *a quo* læsionum enormium, in venditore constitutum, esse dimidium veri & justi pretii; ad rescindendum contractum agere ipsum posse, si nec dimidium rei suæ habeat; corrigi læsionem venditoris, si nec dimidia pars justi pretii soluta sit, eam, quæ infra est, non attendi. Nullam ansam leges hic reliquerunt disceptandi, aut alienam legislatoribus mentem affingendi. In dato quolibet casu cognito pretio statim patescit, utrum venditor enormiter læsus sit, ne ne? utrum remedio civili locus sit, an ferenda ipsi læsio? Pone pretium justum esse 6, venditorem accepisse 4: patet, repelli eum a limine judicii, siquidem dimidiam, aut dimidia majorem veri pretii accepit. Quod

si vero ponas ipsi ab emtore tantum 2. data esse: jam patet, ne dimidium quidem scil. 3. ipsum habere; consequenter enormiter læsum actione civili emtorem pulsare posse. Similiter, si pretium verum fuerit 10.: casus enormis læsionis existet, si vel minimum a dimidio veri pretii scil. 5 absit. Adhuc enim verum est juxta *dd. LL.* ipsum nec dimidium veri pretii habere: cum contra *nulla ratio concedat rescindi contractum emtionis venditionis*, si dimidium pretii veri venditor in salvo habeat.

§. XXXIX. Patet itaque inveniri terminum *a quo* læsionum enormium in venditore, si inquiratur in verum rei pretium; ab hujus enim summa dimidia incipiunt læsiones immodicæ: sic Titius scire volens, utrum in domo vendita ultra dimidium læsus sit, exploret verum domus pretium; quod, quibus modis in republica fieri queat, dicere hic non attinet. Ponamus illud deprehendi esse 2000. *aur.*, dimidium ejus erit 1000. terminus ultimus læsionum ferendarum, & terminus *a quo* læsionum resarciendarum. Quodsi itaque tantum 999. ipsi fuerint soluti: læsio justam querelæ causam facit. Sit denique in genere merx qualiscunque vendita M, pretium ejus verum p: erit dimidium $\frac{1}{2}$ p terminus *a quo* læsionum enormium, quarum series erit $\frac{1}{2}$ p — a, $\frac{1}{2}$ p — b, $\frac{1}{2}$ p — c, $\frac{1}{2}$ p — d, & ita porro usquedum $\frac{1}{2}$ p — n = o, quæ est omnium maxima in venditore, cum hoc casu plane nihil ex re sua habeat.

§. XL. Ast vero, quid de emtore nostro faciemus, de quo *alleg. LL.* silent? Num alium, quam dimidium veri & justi pretii terminum *a quo* læsionum enormium in ipso constituisse Impp. nostros dicemus? Non puto; nec tam oblitos æquitatis ipsos fuisse crediderim, ut adeo enormiter in justitiæ commutativæ regulas impingerent (§§. XXXII. & XXXVI.)

XXXVI.): neque ex *dd. LL.* 2. *&* 8. *Cod. de rescind. vendit.* contrarium elicitur, dicitur ibi: *Minus pretium esse si nec dimidia pars veri pretii soluta, aut data est.* At demonstratum dedimus (§. XXXVII.), iisdem casibus, ubi nec dimidia pars venditori soluta est, ex adverso neque emtori dimidium veri pretii in effectu datum esse (§. cit. & Tab. I. & III.). Perinde igitur alleg. LL. ad emtores & venditores pertinent. Deinde verba: *Soluta est, datum esset*, casibus propositis venditorum adaptata sunt, neque generali determinationi, & menti legislatorum, qui haud dubie dimidium veri & justi pretii pro termino communi *a quo* læsionum enormium esse voluerunt, quidpiam præjudicant. Voluere saltem Impp. læsioni enormi in genere terminum fixum statuere, qui perinde tertia, quarta, quinta, aut sexta pars justi & veri pretii esse potuisset: sed magis placuit in dimidio justi pretii eundem consistere, quo & læsionibus immodicis obex poneretur, neque tamen nimiis litibus fora & judicia pulsarentur. Mensura læsionum ferendarum utrinque eadem est: licet paulo aliter in venditore, quam in emtore enuncianda fuerit. In venditore dicendum fuit: *Læsionem enormem, aut minus justo pretium esse, si nec dimidia veri & justi pretii pars data, aut soluta esset.* In emtore contra sic enunciandum fuerat: *Læsionem enormem, aut majus justo pretium esse, si præter verum rei pretium ultra dimidium ejusdem justi pretii datum aut solutum esset.* Verba diversa, res eadem. Quod in casu venditionis legislatores mentem suam declaraverint, & justum læsionum terminum sanxerint, id per accidens est. Absit, ut aliud in emtore legislatoribus placuisse sine ulla necessitate effingamus, & mentem ipsis obtrudamus nullibi in legibus obviam, & quam, si casus similis ab emtore fuisset propositus, non potuissent non abhorrere (§. XXXII.).

§. XLI.

§. XLI. Quare, cum idem dimidium justi & veri pretii sit terminus *a quo* læsionum enormium in emtore: facile est in casu quolibet dato invenire, utrum emtor enormiter læsus. Inquirendum scil. ut ante in venditore (§. XXXIX.) in verum rei pretium, idque in duas partes æquales dividendum erit. Quo facto si appareat, emtorem præter verum rei pretium ultra dimidium justi & veri pretii dedisse: patebit ipsi remedium *L.* 2. *Cod. alleg.* perinde, ut venditori, & ad corrigendam læsionem æqualiter actionem instituere poterit (§§. XXVI. & XXVII.). E. g. in emtione domus sit pretium ejus verum 1000. *aur.* dimidium erit 500: si præter pretium verum 1000. minus dimidio v. c. 499 emtor dederit, nondum enormiter læsus est; erit tamen, si præter verum pretium 1000. ultra dimidium e. g. 501, & ita porro solverit. Atque ita, si verum rei pretium in genere ponatur esse p: erit dimidium $\frac{1}{2}$ p, consequenter p + $\frac{1}{2}$ p terminus *a quo* læsionum enormium in emtore, ipsæ vero læsiones enormes p + $\frac{1}{2}$ p + a, p + $\frac{1}{2}$ p + b, p + $\frac{1}{2}$ p + d, & ita porro in infinitum. Unde differentia aliqua hic apparet inter venditorem & emtorem. Illius enim læsiones enormes habent terminum *ad quem* $\frac{1}{2}$ p − n = o: hujus vero scil. emtoris nullum talem agnoscunt (§. XXX. *in fine.*).

§. XLII. Emtioni venditioni similis est locatio conductio (a). Locator venditoris, conductor vero emtoris loco est: res locata mercis, locarium pretii vicem subit. Quare cum evictum a nobis fuerit (§§. XXVI. & XXVII.) remedium *LL.* 2. *&* 8. *Cod. de rescind. vendit.* in locatione conductione, permutatione &c. peræque locum habere: patet, eadem ratione, qua in contractu emtionis venditionis, læsionem enormem in locatore & conductore computandam, easdemque prorsus observandas esse regulas. Sit e. g. loca-

locarium pro fundo añuum verum & justum 100. *aur*. Quodsi locatori minus dimidio justi & veri locarii, e. g. 49 ex errore datum fuerit: erit locator perinde læsus, ac si venditor pro merce valente 100. *aur*. tantum accepisset 49 *aur*.; sicut enim hic dimidium veri & justi pretii non haberet, ita in locatore verum est, eundem dimidiam justæ & veræ mercedis, sive locarii partem non habere. Et ita vicissim, si ponas conductorem ex errore dedisse præter justum & verum locarium ultra ejus dimidium e. g. ultra 100 *aur*.: adhuc 52. h. e. 552 suberit hic pariter læsio enormis. Perinde enim, ut locator, ultra dimidium justi & veri locarii læsus est. Repetenda hic sunt, quæ de identitate casuum læsionum in emtore & in venditore fuse supra (§. XXXIV.) demonstravimus.

(a) *L. 2. π. Locat. conduct. Pr. Instit. eod.* LAUTERBACH *Colleg. Theoret. pract. ibid. §. 1.*

§. XLIII. In contractu permutationis uterque permutans ut emtor, & ut venditor considerari potest; hinc duos in utroque permutante casus generales, quo lædi possunt, locum habere (§. XXX.) monstravimus. Semel læditur, quatenus consideratur ut emtor, semel quatenus consideratur ut venditor. Cum autem rationem computationis in emtore, & venditore eadem ratione fieri, sive mensuram læsionis enormis eandem in utroque esse dimidium justi & veri pretii, evictum dederimus (§§. XXXIII. & XL.): idem etiam in permutantibus locum habere debet. Sit e. g. fundus Titii permutantis unius P.; domus Caji permutantis alterius D; pretium verum utrinque 1000, *aur*. Ponamus 1. Titium fundum suum ex errore æstimare 480 *aur*. & quod 1000 *aur*. deest, scil. 520 alia ratione supplere: considerari hic potest Titius ut venditor, qui nec dimidium veri & justi

justi pretii sui fundi ab altero recipit. Nam cum 520 *aur.* in aliis rebus datis cum totidem *aur.* in domo compensentur: revera loco 1000. tantum 480 habet. Læsum itaque enormiter esse apparet. Pone 2. eundem Titium domum Caji ex errore æstimare 1520, atque præter fundum reliquos 520. *aur.* aliunde supplere: considerari hic potest Titius ut emtor, qui rem valentem 1000. emit pro 1520. Cum vero hoc casu emtorem ultra dimidium læsum esse evicerimus (§. XL.): Titius perinde & hoc casu ultra dimidium læsus erit, & justam querelæ causam habebit. Idem dic de Cajo, si ex adverso ipsum hac ratione circumscriptum esse appareat. Atque hæc læsionem in permutante computandi ratio non mediocrem lucem affert sententiæ nostræ, hactenus a nobis stabilitæ; cum nulla ab adversariis hic possit confingi disparitatis ratio, cur permutanti Titio in primo potius casu, ubi 520. ipsi absunt, ipsi succurri debeat, quam in secundo, ubi itidem in 520. *aur.* ex errore læsus est, & par utrumque errorem committendi subsit periculum. In contractu societatis eadem ferme ratione calculus læsionis enormis instituitur: ut pluribus exemplis hanc nostram computandi rationem confirmare merito supersedeamus.

§. XLIV. Illud adhuc monendum erat, observato hoc, quem adstruximus, computandi modo in emtore & venditore æquali, perfectam custodiri æqualitatem inter contrahentes; non queri potest emtor, quod plus venditori, quam ipsi leges indulgeant; læsionum casus, quos uterque ferre cogitur, utrinque sunt iidem (vid. Tab. I. & III.); si quod lucrum immodicum revocatur ab emtore, idem illud in casu opposito leges revocant a venditore; æqualis ergo, & prorsus eadem utriusque est conditio, qualem inter commutantes custodiendam esse, abunde a nobis demonstratum est (§§. II. & XII. & alibi passim.).

§. XLV. Justum dicimus id, quod officiis erga alios est conforme; sive quo tribuitur cuique, quod ipsi debetur. Quare cum nostra computandi ratio tribuat venditori, pariter ac emtori quod ipsis ex errore in pretio abest: justam eandem esse apparet. Præterea justum etiam illud dicitur, quod inæqualitates injustas tollit. Unde alia etiam ratione elucescit, quare computandi ratio, quam in utroque contrahentium parem & æqualem constituimus, pro justa sit reputanda.

§. XLVI. Quod vero eadem etiam legibus congruat, abunde (§§. XXVI XXVII. XL.) evicimus. Frustra saltem laborant, & alienam mentem legislatori affingunt, qui eandem ex dictis legibus impugnant; veram Impp. mentem eruimus (d. §. XL.), ut proin computationis hujus instituendæ æquitas (§. XLIV.), justitia (§. XLV.), & ejusdem cum legibus consonantia firmo stet talo, & immotis fundamentis suffulta sit.

§. XLVII. Hoc fateor, si JCtorum auctoritate, & numero magis, quam ex sanis verioris jurisprudentiæ principiis sententiam nostram firmare velimus, quod longe inferiores palmam & victoriam adversariis relinquere nos oporteat. Pauci enim sunt, qui nostrum computandi modum probent, si veteres juris interpretes excipias, quorum tamen haud raro sublesta fides est. Inter eos, qui hunc nostrum computandi modum defenderunt, primas tenet ACCURSIUS *ad L. 2. C. de rescind. vend.* ubi ait: *Sed quæ est hæc dimidia? Dic in emtore decepto, si rem valentem decem emit pro 16, licet alii dicant, emit pro 21: quod non placet, quia tunc non dimidium justi pretii, sed duplum egreditur. In venditore: sicut si rem valentem 10, vendidit pro 4: & probantur hæc in f. d. L. & in fin. eod. L. si voluit &c.* PINELIUS *ad L. 2. Cod. de rescind.*

ven-

vendit. P. 1. C. 2. n. 6. GUTTIEREZ *lib.* 2. *pract.* 133. SCACCIAS, BARBOSA, & HISPANI communiter omnes; itemque J. *Würtenbergicum* P. 2. *Tit.* 14. §. und soll das ibi : Als wann zur Zeit des Contracts ein Gut dem gemeinen Werth nach 60. Flor. werts gewesen / und der Verkäuffer weniger als 40. Flor. davor empfangen / oder der Käuffer 80. Flor. oder mehr davor bezahlt hätte. Licet enim hic tertia justi pretii pars pro termino læsionis enormis constituta sit: idem tamen sapientissime non minus in emtore, quam in venditore juris esse voluerunt (a).

(a) LAUTERBACH. *Coll. Theor. pract. Pandect. ad Tit. de rescind. vendit. th.* 10. *in fine.*

§. XLVIII. Ab hac nihilominus læsionem in emtore computandi ratione optima abeunt JCti recentiores vix non ad unum omnes, tum demum in emtore læsionem enormem subesse admittentes, quando ultra alterum tantum justi & veri pretii læsus est: sic si fundi venditi verum pretium fuerit 1000. *aureorum*, atque emtor eum ex errore æstimaverit 1600. 1700. 1800. 1900. immo 2000. nondum conqueri eundem posse, se enormiter læsum esse, sed tum demum ipsi ex *L.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* succurri, si 2001. &c. solverit. Id quod ex paritate rationis itidem in conductore admittere coguntur (§. XLII.), ita ut, si conductor fundum, cujus verum locarium sit 100, pro annuo locario 156. 160. 170. 190. imo 200. conduxisset, nondum ex capite læsionis enormis rescindatur locatio conductio, sed tum demum, si 201. &c, pro annuo locario dedisset, læsio corrigatur.

§. XLIX. Ex verbis ACCURSII, quæ supra (§. XLVII.) retulimus, patet, non nostris demum temporibus erro-

neam

neam hanc sententiam irrepsisse in jurisprudentiam nostram sed multis retro sæculis a JCtis eandem fuisse propugnatam. Defendunt eandem præter DUARENUM (a), & CUIACIUM (b), MOLINÆUS (c), MYNSINGERUS (d), MEIERUS (e), FRANTKIUS (f), ZOESIUS (g), BRUNNEMANNUS (h), STRUVIUS (i), PETRUS MÜLLERUS (k), SCHILTERUS (l), ARUMÆUS (m), HAHN (n), LAUTERBACHIUS (o), JCTI SAXONICI (q), Jus PRUSSICUM ELECTOR. (r), & recentiores plerique, nostram computandi rationem veteris erroris nomine insignientes, suam vero communem JCtorum opinionem esse asserentes: id quod eisdem, si ex numero magis, quam rationum pondere eandem æstimare velis, lubentes concedimus.

(a) *Ad L. 36. π. de V.*
(b) *Lib. XVI. Obs. XVIII.*
(c) *Tract. de Usuris.*
(d) *Cent. IV. Obs. 73.*
(e) *Colleg. Jur. Argent. ad Tit. de rescind. vend. Th. 6.*
(f) *Lib. 3. Resol. 3. n. 14.*
(g) *Ad Digesta Tit. de rescind. vend. n. 6.*
(h) *Ad Tit. π. de rescind. vendit.*
(i) *Exercit. XXIII. Tit. V. Thes. 86.*
(k) *Ibidem in notis.*
(l) *Exercitat. ad π. 30. §. 94. seq.*
(m) *Ad L. 2. Cod. d. Tit. disp. 1. Th. 8.*
(n) *Ad* WESSENBEC. *Tit. eod. n. 6.*
(o) *Colleg. Theor. pract. eod. Tit. §. 10.*
(p) BRUNNEM. *d. L. 4. π. eod. Tit.*
(q) CARPZOV. *P. 2. C. 34. d. 8.*
(r) *Lib. 4. Tit. VI. Art. XV. §. 7.*

§. L. Id mirere, eandem æquitatem sententiæ suæ prætexere adversarios; eandemque, quam pro nostra adstruximus, eosdem obtendere computationis suæ cum jure & legibus consonantiam. Ita enim DUARENUS (cujus verbis,

bis, etsi prolixioribus adversariorum fundamenta proponere lubet) ea de re *cit. l.* differit: *Proinde*| *quod de venditore a* DIOCLETIANO *rescriptum est, ad emtorem ita producere necesse est, ut inter emtorem & venditorem æqualitas & proportio servetur. Idque ut commodius facere possimus, ex ea hypothesi thesis facienda est, & generaliter constituendum, ei, qui ita deceptus est, ut ne dimidium quidem acceperit ejus, quod accipere debuit, subveniendum esse: vel ita, quoties id, quod datur, altero tanto amplius est, quam quod accipitur.* rel. *Quam ob rem si ponamus, inversa specie mercem valore 4, pretium esse* 10: *dubitandum non est, quin succurratur emtori; quia verum est, eum altero tanto amplius dare, quam accipiat, & ne dimidium quidem ejus, quod dat, accipere. Quodsi ponas pretium esse septem: aliud dicendum erit, quia hic non dat emtor altero tanto plus, quam accipiat. Item si ponamus mercem valere decem, & emtorem pretii nomine dedisse viginti: non rescinditur venditio; quia verum est eum dimidiam partem accepisse ejus, quod dedit, quodque acciperet, si æqualitas in commerciis exacte servaretur. Quodsi unum & viginti dederit emtor venditori: tunc deceptionis ratio habebitur; cum ne dimidium quidem acceperit. Sunt, qui existiment emtori etiam tunc succurrendum esse, cum sedecim solvit venditori; quoniam par est ejus jactura, & venditoris, qui ab emtore quatuor accepit, & emtoris, qui sedecim solvit; utrique enim absunt sex aurei. Sed illi non animadvertunt magis decipi eum, qui dat decem pro quatuor, quam qui dat viginti pro decem; eandem esse proportionem viginti ad decem, quæ est decem ad quinque. At certum est ei non succurri, qui decem pro quinque dedit; quod tunc dimidium accepisse dicatur. Ex quo consequens est, ne ejus quidem rationem habendam esse, qui vigiuti dat, & decem accipit. Si cui autem iniquum videatur, & absurdum, cum uterque sex aur. amiserit, utrique pariter non succurri: is cogitet velim & animadvertat, gravitatem damni in quaque specie ex eo, quod mutuo datur & accipitur, æstimandam esse. Ex quo fit interdum, ut facilius ei succurratur, cui minus, quam cui plus abest.*

 Exem-

Exempli loco: *Titius rem valentem* 10 *vendidit* 4.; *Sempronius rem valentem* 20 *vendidit* 10: *hic succurritur Titio*, *cujus damnum est sex tantum*, *non Sempronio*, *cujus damnum est* 10.

§. LI. Habes hic in compendio, quidquid pro sententia contraria afferri potest. Existimant nimirum adversarii, perinde, ut in venditore constituitur læsio enormis, si nec dimidium rei suæ acceperit, sic in emtore rationem læsionis immodicæ collocandam esse, si nec dimidium pretii dati, sive pecuniæ suæ habeat; adeoque generalem hanc regulam obtinere: *quod ille censeri debeat læsus esse enormiter, qui nec dimidium ejus, quod dedit, in salvo habet*; ac proinde in venditore inquirendum esse in verum rei pretium, cujus dimidium si acceperit venditor, querelæ locum non esse, perinde ut supra (§. XLI.) docuimus. Neque enim quoad venditorem inter nos dissensio est: in emtore contra hanc constituunt regulam: *Quod scilicet inquirendum sit in pretium mercis verum, & in pretium solutum ab emtore: hoc dividendum in partes æquales duas: quodsi dimidia pretii soluti pars superet pretium verum, læsionem enormem esse, secus, si vel adæquet, aut infra sit.* E. g. sit pretium mercis 10, pretium solutum 16: huius dimidium erit 8. Cum 8 nondum adæquet pretium verum 10: ex hypothesia dversariorum nondum læsio enormis subest. Quodsi vero pretium solutum fuerit 24: dimidium erit 12. Quod, cum superet pretium verum 10 duobus *aur.*: juxta ipsos læsionem enormem esse patet. Unde apparet, ipsos terminum *a quo* læsionum enormium in emtore alterum tantum justi & veri pretii constituere. *Perinde*, ait SCHILTERUS (a), *uti pretium minus solutum ab emtore bis debet contineri in justo pretio mercis datæ*, & *solvendo*, *ac præterea aliquid plus*: *vicissim ut rescissio ab emtore locum habeat*, *debet merx vilioris pretii data a venditore bis contineri in pretio injuste soluto*, *ac præterea aliquid plus*: uti in casu, ubi pro mer-

ce

ce 10 *aur.* fuere soluti 4, pretium minus scil. 4. continetur in vero scil. 10 bis & aliquid plus, nimirum $2\frac{1}{2}$: item si pro merce 10 *aur.* dati fuerunt 21, merx vilior seu pretium verum continetur in 22, bis & aliquid plus sive $2\frac{1}{10}$.

(a) *Cit. loco §. 97.*

§. LII. Enimvero hæc scrupulum non movent, neque veritatem computationis supra a nobis stabilitæ infringunt. Illud enim gratis omnino sumitur, enormiter læsum censeri eum, qui nec dimidium ejus, quod dedit, in salvo habet, nisi juxta hypothesin reductionis nostræ (§. XXXIV.) casus in emtore ad identitatem casuum, ipsis correspondentium, in venditore reduxeris. Facta quippe reductione universaliter verum est, tam in emtore, quam in venditore, enormiter lædi eum, qui nec dimidium rei suæ integrum & salvum habet. Sic verum est, venditorem lædi enormiter, si pro re valente 10. accipiat tantum 4; quia nec dimidium scil. 5. in salvo habet. Similiter si casum, quo emtor solvit 16, ad eundem casum reduxeris, quo monstravimus ipsum tantum 4 in salvo habere (§. XXXIV.): æque verum est, eum enormiter læsum; quoniam ultra 5, dimidium scilicet 10 *aureorum* ipsi absunt. Ast, ubi emtorem supponis dedisse 16 *aureos*, & in merce eundem accepisse 10, atque huic casui regulam illam adplicare velis: eadem cum juris & æquitatis ratione consistere nequit. Impp. non dimidium ejus, quod datum esset, sed dimidium veri & justi pretii rei in venditionis atque emtionis contractum deductæ voluerunt esse terminum *a quo* læsionum enormium (§§. XXXIX. & XL.). Res, quæ in contractum emtionis venditionis deducitur, solum est objectum erroris, & lapis offensionis, ubi uterque, tam emtor, quam venditor æqualiter impingere possunt; ille statuendo majus; hic præfigen-

do rei suæ minus justo pretium. Unius lapsus in hujus determinatione æque facilis est, & possibilis, quam alterius (§§. XXIX. XXXI. & XXXII.). Cur igitur erroribus in venditore plus faverent leges, ultra dimidium justi pretii læsiones non ferentes, quam erroribus emtoris, quem altero tanto pluribus casibus sine spe resarcitionis ferendis subjicerent? At audio te regerere cum DUARENO, emtorem, cum læsio ejus verum pretium rei sive mercis acceptæ adæquat, habere adhuc dimidium rei suæ, scil. pretii dati; consequenter æquali eundem esse conditione cum venditore. E. g. si venditor mercem dat 10. aureorum, emtor vero solvat 20: emtor in merce, quam recipit, 10 *aur*, sive dimidium ejus, quod dedit, in salvo habet, neque adeo enormiter læsum se esse conqueri potest. Enimvero procul abest, ut hac ratione servetur æqua utriusque conditio, ut maxima potius sit inæqualitas. Venditor in merce valente 10. (supponimus nimirum lucra & damna progredi in numeris integris) decem habet casus, quibus lucrari, & totidem ex adverso sunt casus, quibus emtor perdere potest. Quodsi enim venditor pro merce sua accipit 20, lucratur 10, quos ex adverso emtor perdit: contra, emtor in eodem contractu tantum quinque habet casus, quibus lucrum sibi promittere valet, sine obligatione aut necessitate civili idem restituendi. Quare cum in his tantum casibus venditor perderet: evidens est, quinque tantum esse casus, quo venditor perdere potest. Pone venditorem mercem 10 *aur.* dare pro 5 *aur.* qui est terminus maximus læsionum, ab ipso tolerandarum: lucratur hoc casu emtor 5 *aur.* quos ex adverso venditor perdit. Habet igitur se lucrum maximum venditoris ad lucrum maximum emtoris ut $10 : 5 = 2 : 1$, sive in ratione dupla; damnum maximum ad damnum maximum emtoris ut $5 : 10 = 1 : 2$ sive in ratione subdupla; damnum scilicet maximum venditoris altero tanto minus est damno maximo emtoris: hujus con-

tra

tra lucrum maximum altero tanto minus est lucro maximo venditoris. Quæ an non sit inæqualitas e contractu, ubi par est periculum, par utrinque alea aberrandi a vero pretio, judicio relinquo eorum, quibus veritates penitius animo comprehendere datum est.

§. LIII. Videntur scilicet DUARENUS, & qui eum sequuntur confundere contractum emtionis venditionis cum contractu permutationis, in quo regula dicta quodammodo tolerari & admitti potest. Nam cum in permutatione utrique permutantes ut emtores, & ut venditores considerari possint (§§. XXX. & XLIII.): in casibus, ubi habentur pro venditoribus, utrinque verum est, eos læsos esse enormiter, si nec dimidium ejus, quod dederint, habeant. Sit e. g. *Titii* permutantis triticum 100 *aur.* *Sempronii* permutantis alterius vinum itidem 100 *aur.*: læditur *Titius* enormiter, si pro tritico nequidem 50 habeat; similiter *Sempronii* læsio enormis est, si ipse pro vino ne quidem 50 in salvo servet. Utroque enim casu verum est, eos ne dimidium quidem habere ejus, quod dederunt. Nec ratio in obscuro est; servatur enim hic exacta æqualitas, & par est utriusque lucrandi, aut perdendi periculum: potest *Titius* triticum suum æstimare 150 *aur.* & sic lucrari 50 in permutatione facta cum *Sempronio*: potest idem *Titius* triticum suum facere tantum 50 *aur.* & sic ex adverso in eodem contractu perdere 50. Sed eandem aleam habet *Sempronius*. Quodsi enim vinum suum æstimet 150 *aur.*, lucratur 50, quos perderet, si pretium eidem tantum 50 statueret. Nimirum in re, quam hic in vicem tradit *Sempronius*, scilicet vino, manet ipsum, sicut periculi & damni ita & fortunæ æqualis alea. Ast in emtione venditione aliter se res habet. Unica tantum hic res est, circa quam errare potest aut emtor aut venditor (§§. XXIX. & XXX.): ambo æqualiter (§. XXXI.): circa pecuniæ æstimationem

alea nulla est (cit. §§.): eam tamen in hypothesi adversariorum sentit emtor, dum periculo ipsum subjiciunt perdendi pecuniam usque ad quantitatem veri pretii mercis contractum deductæ, sine spe, sine alea pari tantundem a venditore lucrandi. Justum est, ut venditor dimidii veri & justi pretii jacturam ferat; quoniam parem habet aleam dimidium veri pretii lucrandi. Quippe æque possibile est, ut emtor plus dimidio veri pretii solvat, quam ut iste minus dimidio rem suam tradat. Ast in emtorem duplum solventem hæc ratio non quadrat. Perderet hic dimidium pecuniæ suæ, in qua nulla spes est, fore, ut venditor eam duplo pluris æstimet. Frustra expectat emtor, ut venditor aliquando ex errore 10 *aureis* pretium 20 *aur.* statuat, & præter mercem in alia re, aut alia moneta 10 *aureos* ipsum lucrari faciat. Obstant hic quæ supra (§. XXIX. & XXX.) dicta & demonstrata fuere: æqualis tamen fortunæ alea necessaria foret, si in hypothesi sententiæ contrariæ æqualis utriusque conditio & status idem esse deberet emtoris & venditoris. Venditor in merce 10 *aur.* quam tradit, potest lucrari 5, si eam vendat 15; hanc enim læsionem ferre cogitur emtor: emtor a pari 5 lucratur, si mercem emat pro 5, ferente reciproce læsionem venditore. Ast venditor 10 lucraretur, si emtor pro merce 10 *aur.* solveret 20 *aur.*: cum contra emtori, neque, si mercem 10 *aur.* acciperet pro 0, consequenter 10 lucraretur, lucrum retinere liceat, obstante ipsi *L. 2. C. de rescind. vendit.* Neque fortunæ casum sibi promittere valeat, ut venditor vicissim in pecunia sic aberret, ut 10 emtoris *aureos* 20 *aureor.* pretio æstimet; cum, si id per errorem forsan a venditore fieret, illud emtori parum proficeret, quippe obstricto ad minimum in moneta errorem corrigendum (§§. XXIX. & XXX.). Ast in permutatione in re utrimque tradita & permutata eandem aleam, eandem fortunam experiuntur ambo permutantes. Deteximus adeo feli-

lici-

ſiciter errorem, qui JCtos hactenus ſeduxit, ut ſententiæ adſtipularentur, a qua ego ſemper ductu quodam naturali abhorrui. Cadit jam cum decantata adverſariorum regula omne ſententiæ contrariæ robur. Sed pergamus, quæ reſtant rudera, ſolo æquare.

§. LIV. Non aliis opus eſt fundamentis, ut Schilteri proportionem geometricam termini *a quo* læſionis in venditore ad pretium verum, ita pretium verum ad terminum *a quo* læſionum enormium in emtore, ſive in hypoth. mercis 10 *aur.* ut 5 : 10 = 10 : 20, conſequenter etiam læſionum enormium e. g. 4 : 10 = 10 : 25, & ita porro, deſtruamus. Illam proportionem enim in diverſis emtionibus venditionibus inter læſiones enormes venditorum & emtorum locum habere admittimus, in quibus ſunt ſicut terminus *a quo* læſionum enormium ad pretium verum unius, ita terminus *a quo* læſionum enormium ad pretium verum alterius. E. g. in venditoribus

term. a quo ad pret. verum ita *term. a quo ad pret. verum*
primi *ſecundi*
ut 5 : 10 = 10 : 20.

In emtoribus

term. a quo ad pret. verum ita *term. a quo ad pret. verum*
primi *ſecundi*
ut 15 : 10 = 30 : 20.

Et ita inter ipſas quoque læſiones proportionales progreditur proportio. In contractu vero emtionis venditionis inter emtorem & venditorem illud largiri non poſſumus, ubi non geometricam, ſed arithmeticam proportionem obſervandam eſſe, ex ſuperioribus liquet, ita, ut ſit, ſicut

Diff. *term. a quo & p. ver.* ita diff. *p. ver. & term. a quo.*
venditoris emtoris
5 — 10 = 10 — 15.

h. e.

h. e. ut differentia inter terminum *a quo* læsionum enormium in venditore & pretium verum, ita differentia inter pretium verum & terminum *a quo* læsionum enormium in emtore. Par enim ita servatur distantia, seu differentia æqualis a termino communi, scilicet pretio vero, uti vult justitia commutativa, & regulæ (§§. XXXIII. XXXIV. seq. & §§. LII. & LIII.) a nobis adstructæ. Hæsit nimirum Schilterus in erroneo supposito, quod emtor considerandus sit, aut considerari possit, cum pecunia sua, quam dat venditori, sicut venditor cum merce, quam tradit emtori; quem errorem §. *præcedenti* refutavimus. Stante illa hypothesi vera esset laudati auctoris proportio. Sed cum numus sive pecunia, quam emtor dat, in hoc contractu in ordine ad constituendum terminum *a quo* læsionis in emtore nihil faciat, sed solum pretium rei in contractum deductæ justo minus, aut majus attendatur (§§. XXIX. & XXX.): fundamentum quoque, cui præfatus auctor sententiam suam superstruit, corruit.

§. LV. Insistit Duarenus, magis decipi eum, qui dat 10 pro 4, quam qui dat 20 pro 10; eandem esse proportionem 20 ad 10 quæ est 10 ad 5: at vero in ultimo hoc casu ex parte venditoris nondum subesse læsionem enormem: ergo nec in priore. Verum respondeo, si de duobus venditoribus, consequenter duobus numero diversis contractibus loqueretur Duarenus, vera essent, quæ objicit; esset e-

$2\frac{1}{2}$

nim pretium verum primi ad ejusdem læsionem ut 10 : 4 : pretium verum, sive merx secundi ad ejusdem læsionem ut

2 $2\frac{1}{2}$ 2

20 : 10. Cum vero ratio 10 : 4 major sit ratione 20 : 10: læsionem quoque primi majorem esse apparet læsione posterio-

ſterioris, quæ tum demum proportionalis foret, ſi eſſet $10 : 5^{2} = 20 : 10^{2}.$ = ſive $20 : 10 = 10 : 5$: cum autem Duarenus eundem ſupponat contractum emtionis venditionis, in quo venditor a vero pretio aberrat 6., emtor vero 10.: aliud utique dicendum erit. Longius a vero pretio abit, qui dat 20, quam qui accipit 5. Illius diſtantia a pretio communi eſt 10, huius tantum 6. Cum autem eandem non majorem unus præ altero aleam habuerit verum attingendi: eadem, ſi non potior, eſt ratio, ut ſuccurratur ei, qui in 10 læſus eſt, quam illi qui 6 tantum *aur.* læſionem ſentit. Loquitur Duarenus ex falſo ſuo ſuppoſito, quod emtoris læſio ex pecunia, quam dat, dimetienda ſit, & ipſe non ſecus ac venditor aut permutans conſiderari debeat: quod tamen in contractu emtionis venditionis aliter ſe habere demonſtravimus. Repetenda hic ſunt, quæ (§§. LII. & LIII.) probata dedimus.

§. LVI. Quando ulterius ait Duarenus, gravitatem damni in quaque ſpecie ex eo, quod mutuo datur & accipitur, æſtimandam eſſe: id in permutationibus, nequaquam vero in emtionibus venditionibus locum habere ex iis, quæ ſupra diximus (§§. XXIX. XXX. LIII. LIV.), abunde conſtat. Permutantes habent utrinque parem lucrandi & perdendi aleam: quod in pecunia ſecus eſt. Perderet hic emtor; lucraretur venditor: ſed non viciſſim (§. LIII.). Quando vero ad elidendam objectionem, quam ex diſparitate læſionis in emtore & venditore ſibi ipſe formarat, ad exemplum provocat: quodſi *Titius* rem valentem 10 vendiderit pro 4, *Sempronius* vero rem valentem 20 vendiderit 10, illi ſuccurratur, non huic, licet ipſius læſio ſit læſione hujus minor, cum 6 ſit minus 10.: quis non videt magnam hic ſubeſſe rationem diſparitatis? Alius numero eſt contractus & merx *Titii* venditoris: alius numero contractus & merx venditoris *Sempronii.* Non hic agitur de pretio rei cujusdam me-

diæ, ad quam pari uterque fortunæ & emtor & venditor eventu accedat, sed de pretiis rerum diversarum. Sicut ergo in omni contractu emtionis venditionis verum est, ex parte venditoris subesse læsionem enormem, si nec dimidium veri pretii habeat; dimidium autem ex quantitate pretii veri determinationem suam nanciscatur: patet dimidium illud in diversis emtiouum venditionum contractibus subinde majus, subinde minus esse pro quantitate majori vel minori veri & justi pretii. In emtionibus venditionibus, ubi pretium minus est, citius perveniri ad terminum læsionis enormis, quam in emtionibus venditionibus, ubi res pretii majoris interveniunt, res ipsa loquitur. Nimirum uti jam (§. LIV.) monuimus, habent se uti pretia, ita termini *a quo* & ipsæ læsiones enormes, h. e. in casu supposito 10 : 5 = 20 : 10. Unde mirum non est, in priore corrigi læsionem 6. *aur.* non autem corrigi in secundo læsionem 10 *aur.*; 6 enim dimidium 10 excedit, non perinde 10 excedit dimidium 20. *aureorum.*

§. LVII. Demonstravimus (§§. LII. & LIII.), quod stante computatione adversariorum lucrum maximum emtoris se habeat ad lucrum maximum possibile venditoris ut 5 : 10 = 1 : 2. sive in ratione subdupla; consequenter damnum maximum possibile emtoris ad damnum maximum possibile venditoris 10 : 5 = 2 : 1 sive in ratione dupla. In eodem igitur contractu emtionis venditionis emtor duplum sive alterum tantum damni expectare debet ejus, quod expectat venditor: dimidium contra lucri, quod sperat venditor, tantum emtori sperare licet. In hypothesi ergo sententiæ contrariæ conditio venditoris altero tanto melior est, conditione emtoris, hujus vero altero tanto deterior, quam conditio venditoris. Pone vendi fundum, cujus pretium verum est 1000 *aur.* In hac venditione lucrum maximum

em-

emtoris (quod ſcilicet nullo remedio civili ab ipſo avocetur) poteſt eſſe 500 *aur.*; quando ſcilicet venditor fundum emtori tradit pro 500 *aur.* lucrum vero maximum venditoris poteſt eſſe 1000 *aur.*; quando nimirum emtor fundum emit 2000. *aur.* Quare, cum 1000 duplum ſit 500, lucrum venditoris patet hoc caſu eſſe duplum lucri emtoris. Viciſſim damnum maximum venditoris poteſt eſſe 500 *aur.* quando venditor fundum vendit pro 500, damnum maximum emtoris 1000 *aur.* dum fundum emit 2000. Liquet igitur damnum emtoris hoc caſu duplum eſſe damni, quod ſentit venditor. Unde conſtat, quod diximus, in hypotheſi adverſariorum ſummam induci inæqualitatem inter emtorem & venditorem. Nam, cum caſus iſti æque ſint poſſibiles (§. XXXII.): in ſententia contraria emtor altero tanto majori aleæ, & periculo damni expoſitus eſt, quam venditor; ſpem lucri contra altero tanto minoris fovere ipſi integrum eſt (§§. LII. & LIII.).

§. LVIII. In emtionis venditionis contractu utrinque intenditur, & ſervari debet æqualitas (§§. II. & XII.). Quare, quod inæqualitates inter emtorem & venditorem inducit, & fovet, huic contractui contrarium eſſe, & contrahentes inde lædi, dubio caret. Læduntur itaque ementes in hypotheſi adverſariorum (§. LVII.). Læſiones injuſtas eſſe nemo non agnoſcit (§§. XV. & ſeq.). Læſiones itaque, quæ oriuntur ex inæqualitate in ſententia contraria, injuſtas eſſe, conſequenter ipſam ſententiam injuſtitiæ nemo non incuſabit, cui præcepta juſtitiæ commutativæ in contractibus inviolata ſervare in animo ſedet.

§. LIX. Ex eo denique, quod noſtram computandi rationem cum legibus, & mente legiſlatorum optime conſentire (§. XL.) evicerimus, ſponte ſua conſequitur, Recentio-

tiorum rationem, læsionem enormem in emtore computandi, cum iisdem legibus consistere non posse; id enim sequeretur absurdi, quod duæ sententiæ contrariæ ex iisdem legibus demonstrarentur. Quod si objiciant contrariæ sententiæ patroni, de emtore in *dd. LL.* nihil reperiri constitutum: respondemus nos, quod, sicut ipsæ rationes intrinsecæ & legales *dd. LL.* voluerunt, ut ad emtores eædem extenderentur (§§. XXV. & XXVI.); ita ex iisdem rationibus eundem terminum *a quo* læsionum enormium in emtore & venditore, nimirum dimidium justi & veri pretii, constituendum fuisse demonstraverimus (XL.). Interpretatio, & extensio legum & voluntatis legislatorum ita fieri debet, ut evitetur absurditas (a); ipsa interpretatio non pugnet cum legibus (b); neque justitiæ regulis adversetur (c). Quare cum computationem contrariam partus hos secum ferre ad nauseam in præsenti specimine evictum dederimus: legibus eandem refragari, & cum sana ratione pugnare utique dicendum est.

(a) *L. 4. §. 6. π. de Offic. Proconf. L. 22. π. de negot. gest. L. 1. §. 4. π. de publ. & vectig. L. 5. pr. π. ad L. Aquil.*
(b) *L. 15. π. de condit. Instit. L. 55. π. de Legat. I.*
(c) *Vid. pluribus* C. H. HORNIUM *de interpret. C. 2. §. 16.*

§. LX. Concludimus computationem, quæ vult, ut læsio enormis in emtore inchoetur ab altero tanto, tanquam termino suo *a quo*, in praxi neutiquam ferendam, aut sequendam esse. Nam licet ab opinionibus DD. facile recedendum non sit (a): sanctius tamen nobis hic esse debet effatum CELSI (b): *quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinere.*

(a) *DD. Communiter ad Cap. 1. X de constitut.* EVERHARD. *loco ab auctoritate, n. 14.* BARBOSA *Thesaur. locuplet. Lib. XIII. C. 29. §. 12. & 13. ubi vide alleg. AA. plures.*
(b) *L. 39. π. de LL. cui junge L. 15. π. eod.*

OPUS-

OPUSCULUM V.

DE

JURE STATUUM IMPERII EXPELLENDI ATQUE TRANSPLANTANDI SUBDITOS, DIVERSAM A TERRITORII DOMINO RELIGIONEM AMPLECTENTES.

PRÆFATIO.

INterpretationis, qualis docentes decet, regulæ eo potissimum spectant, ut ex rationibus legum intrinsecis, moralibus atque politicis, legalibus & historicis genuinum earundem sensum & mentem legislatorum interpretaturus indaget; terminorum, leges ingredientium, notiones distinctas eruat, & significatus verborum proprios in apricum protrahat; ex adverso studiose caveat, ne legi sensum affingat, atque conclusiones inde deducat ab intentione & mente legislatorum prorsus alienas, ratione ab ambiguitate quadam imaginaria verborum, constructionis inverso ordine, aut aliis ejus farinæ prætensæ obscuritatis indiciis petita: quem cavillandi pruritum a pragmaticis imperii sanctionibus & in specie ab Instrumento Pacis *procul abesse voluere summi in imperio Rom. Germ. legislatores; ne, queis publica in imperio pax & salus communis suffulta est, constitutiones salu-*

berrimæ malevolorum hominum ausu infringantur. Hinc Art. V. §. 50. Instr. P. injunctum utriusque religionis magistratibus, ut severe, & rigorose prohibeant, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo pacem Passaviensem, religiosam, & Westphalicam uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde elicere conetur. Utrum in præsenti specimine regulis his rectæ interpretationis ex amussi satisfecerim, & scopulos adversos omni ex parte devitaverim: tuum B. L. judicium esto. Id minimum sollicite cavi, nequid admitterem in sequentibus, cujus veritas ex præmissis aut alibi demonstratis propositionibus non elucesceret: neque caute minus in stabiliendis facti veritatibus processi, modestiæ limites nequaquam egressus. Methodo usus sum Mathematicorum, seu ut rectius loquar, Philosophorum. Perperam enim hucusque creditum fuit alia ratione Philosophos, alia Mathematicos, alia deque JCtos demonstrare veritates suas. Quacunque in disciplina verseris, methodi demonstrandi regulæ ex notione certitudinis deducendæ erunt. Ubi igitur eadem quæ in Mathesi certitudo, eadem utique methodus adhiberi poterit: uti indubiis argumentis evictum dedit perillustris WOLFFIUS operis sui Logici Cap. 4. Prol. §. 139. Quodsi hunc laborem meum tibi non displicere intellexero: plura juris publici capita eadem hac methodo discussa, demonstrataque publici juris me facturum promitto. Tu interim conatibus fave & vale.

DE

DE
JURE STATUUM IMPERII
EXPELLENDI ATQUE TRANSPLANTANDI SUBDITOS, DIVERSAM A TERRITORII DOMINO RELIGIONEM AMPLECTENTES.

DEFINITIO I.

§. I. JUs *emigrandi* dicitur facultas, ſubditis competens, abdicato civitatis jure in aliam rempublicam concedendi, ibique domicilium & fortunarum ſedem conſtituendi.

COROLLARIUM.

§. II. Qui emigrat civitatis jus abdicat (§. I.). Civis ergo & membrum ſocietatis civilis, unde diſceſſit, eſſe deſinit.

SCHOLION.

§. III. Quoniam tamen ſola bonorum in republica poſſeſſio proprie & regulariter civem aut ſubditum non efficit (a): nil obſtat, quo minus, qui emigrant (ſi modo lex aut obſervantia in contrarium nulla militet) in civitate, quam relinquunt, bona poſſideant; quæ habuere antea, retineant; retenta per miniſtros adminiſtrent, &, quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas, vel perſequendas lites aut debita exigenda libere adeant.

(a) MAUL. *de Homagio Tit. 1. n. 16.*
RITTER *de Homagio Concl. 101.*
KAUFFMANN *de Juribus Dominorum Territorialium in ſubditos Tit. 2. n. 12.*

DE-

DEFINITIO II.

§. IV. A jure emigrandi differt *jus transmigrandi civium*, quod est facultas e provincia seu loco uno in alium, eidem summo imperio subjectum, domicilium transferendi.

COROLLARIUM I.

§. V. Qui transmigrant, eidem summo imperio obnoxii, & subjecti manent (§. IV.); jus igitur civitatis communis non abdicant, sed retinent.

COROLLARIUM II.

§. VI. Unde patet differentia inter *jus emigrandi* (§. I.), & *jus transmigrandi* (§. IV.). Illo jus civitatis in totum perit (§. II.): hoc in communi imperio subsistit (§. V.).

SCHOLION I.

§. VII. Tales videntur fuisse transmigrationes civium Romanorum, cum e civitate una in aliam concederent, eidemque sese adscribi paterentur (a), aut colonias suas in devictorum terras transducerent; hoc ipso enim prioris quidem civitatis, non tamen orbis Romani jura amisere (b).

(a) HUGO GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 24. n. 1.*
(b) HEINECC. *Antiquit. Rom. Adpend. ad lib. I. §. 72.*

SCHOLION II.

§. VIII. Vulgo inter jus emigrandi & transferendi non distinguunt, nisi quod JCti ab iis, qui emigrant, regulariter, ab iis vero, qui domicilium tantum, non civitatem mutant nonnisi extra ordinem, & ubi consuetudine aut peculiari statuto id introductum est, censum emigrationis, qui ex parte aliquota substantiæ exportandæ plerumque definitur, pendendum esse statuant (a).

(a) JO.

(a) JO. JODOC. BECK *de Jure detract. & emigrationis Cap. 5. Obſ. 1. §. 5. n. 3. ſeqq.*
WEHNER *Obſ. pract. voce* Nachſteuer.
BERLICH *P. 3. Concl. 52. n. 20. & 21.*
L. B. de LYNKER *Cent. 2. deciſ. 262.*

DEFINITIO III.

§. IX. Facultas ſummo magiſtratui competens, membra ſocietatis civilis e numero civium ac ſubditorum expungendi, atque ut ſolum vertant adigendi, *jus expellendi, ſive ejiciendi ſubditos audit.*

COROLLARIUM.

§. X. Prono hinc alveo conſequitur *primo*, quod expulſi, aut ejecti e civitate cives eſſe deſinant; *ſecundo*, quod intra fines reipublicæ conſiſtere, ibique domicilium ponere integrum ipſis non ſit.

DEFINITIO IV.

§. XI. Jus majeſtaticum, ſeu ſummæ in republica poteſtati competens, imperandi ſubditis, ut ab una provincia aut a loco uno in alium, eidem ſummo imperio ſubjectum, domicilia, & fortunarum ſedes transferant, *jus transplantandi ſubditos* dicitur.

COROLLARIUM.

§. XII. Effectus juris transplantandi, quod ſummo magiſtratui proprium eſt (§. XI.), idem eſt, qui juris transmigrandi, quod ſubditis competit (§. IV.); ut ex utriusque juris definitionibus inter ſe collatis pateſcit. Quapropter ſicut cives, qui transmigrant, communis reipublicæ membra eſſe non deſinunt: ita illos, qui transplantantur, ſub eodem ſummo imperio permanere evidens eſt.

SCHOLION.

§. XIII. Ex hocce transplantandi jure colonias deducendi vetus institutum intelligimus, quo præ aliis populis Romani tanquam invento callidissimo usi sunt, tum, ut veteres populos coercerent, victos dominationem & leges Romanorum ferre adsuefacerent, defectiones impedirent, hostiumque incursiones reprimerent: tum praeterea, ut hoc pacto fæx urbana, & sentina plebis exhauriretur, atque seditionibus fomentum subtraheretur; quæ omnia latius persequitur & explicat celeberrimus HEINECCIUS in *antiquitatibus suis Romanis* (a), quas in usum, & penitiorem intellectum institutionum Justinianearum opera non satis laudanda adornavit.

(a) *Adpend. ad lib. I. §. 124. seq.*
Confer etiam omnino JO. FRID. ROSTII *differt. de Stratagematibus politicis, seu variis dominandi artibus, sect. II. §. 2. & 3.*

AXIOMA I.

§. XIV. *Finis societatum civilium primarius est, ut cives secure, beateque vivant* (a).

(a) L. B. de WOLFF *Polit. P. 2. C. 1. §. 214.*

AXIOMA II.

§. XV. *Ad securitatem, atque beatitudinem vitæ civilis omnia & singula reipublicæ membra, ut pro viribus concurrant, obligantur* (a).

(a) Idem *cit. loco §. 216.*

AXIOMA III.

§. XVI. *Bonum civium privatum collisione facta publico, seu communi totius civitatis bono, cedit* (a).

(a) Idem *cit. loco* §. *218.*
Item Novell. 39. Cap. 1. pr. vers. Sancimus.

AXIOMA IV.

§. XVII. *Collidentibus inter se duorum, aut plurium juribus, & obligationibus exceptio facienda non est, si collisio tolli, & amborum juribus aut obligationibus satisfieri queat* (a).

(a) Idem perill. WOLFF. *Ontolog. Latina P. 1. sect. 3. C. 6. §. 510.*

LEMMA I.

§. XVIII. *Obligatio, qua cives ad promovendam salutem totius reipublicæ, atque summo magistratui nexu subjectitio, & vicissim summus magistratus ad procurandam civium, totiusque cœtus civilis felicitatem obstringuntur, pactitia est, atque ex primævo illo, quod in civitatum genesi concipitur, pacto fluit* (a).

(a) HUGO GROT. *de J. B. & P. Lib. 1. C.* 4. §. 7. *n. 3. & alibi passim.*
ULRICUS HUBERUS *de jure civitatis Lib. I. sect. 2. C. 2. §. 1. Cap. 10. per tot. Item ex professo sect. 10. C. 5.*
PUFFENDORFF *J. N. & Gentium Lib. 7. C. 2. §. 3. seq. §. 1.*
L. B. de WOLFF *Polit. P. 2. C. 2. §. 230. seq.*
KOELER *Exercit. Jur. N. & Gent. P. 2. specim. 5.*

SCHOLION.

§. XIX. Pactum hocce, quod in primæva civitatum genesi concipitur, esse pactum inæquale, ex quo summa in imperante in subditos potestas, in his vero civilis subjectionis vinculum, & parendi necessitas suboriatur, ex ipso societatum civilium ortu, natura & indole abunde intelligitur; nec æquatorio idem, sed rectorio omnino jure æstimandum

est. Id quod monendum ideo censui, ne in perversa Monarchomachorum, sub flabro mutuæ hujus obligationis, & æqualitatis schemate summam in Imperantibus potestatem enervantium, principia lemma nostrum divergere videatur.

LEMMA II.

§. XX. *Supremo magistratui jus competit, ea omnia in republica constituendi, ordinandi, atque exequendi, sine quibus civilis societatis securitas, atque tranquillitas publica consistere nequit, & vicissim prohibendi atque removendi, quæcunque civilem ordinem, atque salutem publicam turbare apta sunt* (a).

(a) HUGO GROT. *de J. B. & P. Lib. I. C. 3. §. 6.*
L. B de WOLFF *Polit. P. 2. C. 2. §. 229. Item C. V. §. 433. seqq.*
KOELER *cit. loco specim. V. §. 520.*

LEMMA III.

§. XXI. *Status Imperii Rom, Germ. in territoriis suis tam in subditos, quam in bona, intra fines territorii sui sita, pleraque & potissima supereminentis potestatis jura exercent, imperio majestati analogo, ab Imperatore tamen, & imperio dependenti gaudentes* (a).

(a) Instr. P. Westph. Osnab. *Art. VIII. §. Ut autem provisum sit &c.*
Capitul. CAROLI VI. *Art. 1. n. 1. 5. & 6.*

COROLLARIUM.

§. XXII. Quapropter, quæ de jure emigrandi, transmigrandi, atque transplantandi subditos mox demonstraturi sumus, ea omnia de statibus imperii, eorumque subditis, salvo tamen subordinationis nexu erga Cæsarem & imperium, salvis sanctionibus imperii pragmaticis, salvo denique

imperantis, & parentium in imperio circumſcripto ſemper ordine intelligenda eſſe conſtat.

HYPOTHESIS.

§. XXIII. *Status imperii tam Catholici, quam Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & qui Reformati dicuntur, in pacificatione Weſtphalica in compoſitione gravaminum eccleſiaſticorum alium finem non intenderunt, quam ut ſuæ, & ſubditorum ſtatuum imperii, eadem cum ipſis ſacra colentium, religioni, & reſpective libertati conſcientiæ lege pragmatica proſpicerent.*

SCHOLION.

§. XXIV. De hypotheſeos veritate non ambigent, qui acta pacis religioſæ & Weſtphalicæ vel defunctoria lectione perluſtrarint.

THEOREMA I.

§. XXV. *Quamdiu cives in republica & territoriis ſecuritate atque tranquillitate vitæ fruuntur: jus emigrandi ipſis non competit.*

DEMONSTRATIO.

Cives reipublicæ ad vires ſuas, in commune civitatis bonum pro poſſibili conferendas (§. XV.), ex pacto, & ſubjectionis civilis vinculo obligantur (§. XVIII.). A pacto rebus ſic ſtantibus, & ubi nulla ab eodem recedendi cauſa ſubeſt, recedere non licet (a). Ergo neque civibus ab hoc pacto recedendi, & ſubjectionis civilis nexum diſſolvendi facultas erit, quamdiu juſta & ſufficiens cauſa non ſuberit. Enimvero juſta & ſufficiens cauſa nulla ſubeſſe concipitur, quamdiu finem, ob quem in civilem cœtum coaluere, ſalutem

scilicet, securitatem atque tranquillitatem vitæ conjunctis in republica viribus consequi valent: tamdiu itaque a pacto illo recedere, & subjectionis nexum exuere non poterunt. Quapropter cum emigratio sit modus, quo a pacto illo receditur, & civilis subjectionis nexus dissolvitur (§§. I. & II.): emigrandi jus civibus, seu subditis minime competere constat, quamdiu secure & tranquille in republica ipsis vivendi facultas suppetit. Q. E. D.

(a) *L. 1. §. si conveniat π. Depos.*
L. 1. π. de pactis.
L. 7. π. Eod.

THEOREMA II.

§. XXVI. *Quando subditi, seu cives in republica nec secure amplius, nec feliciter vivere valent: jure emigrandi gaudent.*

DEMONSTRATIO.

Ideo in civilem societatem coivere cives, ut securitate vitæ fruerentur (§. XIV.); ipsa ergo civilis societas recte consideratur ut medium, quo mediante finem hunc suum conjunctis viribus consequi intendunt (§. XV.). Enimvero ex hypothesi theorematis civitas medium aptum & sufficiens esse desiit, quo finem communem obtineant; cessat igitur ratio, cur in eadem ulterius persistant, utpote, quod stoliditatis potius (a), quam sapientiæ (b) argumentum foret. Quin itaque hoc casu subditis alio extra rempublicam domicilia sedesque suas transferendi, consequenter emigrandi (§. I.) facultas integra sit, dubium non est. Q. E. D.

SCHOLION.

§. XXVII. In civitatibus bello subjugatis ex arbitrio victoris dependet, quid populo devicto fieri, quaque eum liber-

libertate vitæque beatitudine frui velit (a). Victi igitur, belloque subacti populi regulariter hoc emigrandi jure non magis gaudent, quam ii, qui servitutis mancipiique nexu supremis suis magistratibus obstricti vivunt, voluntatem dominorum suorum unicam actionum externarum civilium regulam agnoscentes (b). Multo minus illis discedere integrum erit, qui huic emigrandi juri in specie datis reversalibus renunciarunt. Unde quas (§§. XXV. & XXVI.) demonstravimus propositiones, de rebuspublicis, regulari & voluntario subjectionis pacto initis, intelligendæ sunt: si quid diversum obtineat, arctiorique nexu cives constricti teneantur, id omne ex peculiari pacti, & subjectionis formula explicandum venit.

(a) H. GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 3. c. 20. §. 49.*
(b) Ulr. HUBERUS *de Jure civit. Lib. 1. c. 3. n. 15. 16. 17. & 18.* ubi regnorum despoticorum naturam, & eorundem a regnis ordinariis differentiam dilucide exponit.

DEFINITIO V.

§. XXVIII. *Sigillatim emigrare* cives dicimus, quando intra notabile temporis spatium non nisi unus aut pauci e civitate discedunt.

DEFINITIO VI.

§. XXIX. *Turmatim contra, sive gregatim emigrant* subditi, quando simul, vel saltem intra brevius temporis intervallum cives agmine facto territorium, sive rempublicam deserunt, ita ut notabile inde respublica decrementum sentiat (a).

(a) *Confer* TESMARUM *in notis ad* GROTIUM *Lib. 2. c. V. §. 24. n. 2.*

OB-

OBSERVATIO I.

§. XXX. Licet regulis (§§. XXV. & XXVI.) a nobis stabilitis sua constet veritas, nec, stricto juri inhærendo, sub aliis determinationibus subditis sive sigillatim, sive turmatim discedendi facultas competat: testantur nihilominus mores gentium plerarumque, & in specie Germaniæ nostræ, quod singulis alio Lares translaturis (XXVIII.) raro obstaculum objiciatur, sed sine multa rationum allegatione liber discessus pateat (a); modo quem vocant censum emigrationis persolvant (b); neque arctiori servitutis, aut subjectionis nexu constricti teneantur (§. XXVII.) (c); nec juri emigrandi in specie renunciarint (§. eod.); nec denique inque intempestiva sit emigratio, cum singulorum etiam discessus insigne bono publico damnum inferre queat (d). Observantiæ hujus hæc videtur esse ratio, quod in tanta civium hominumque affluentia unius paucorumve abscessum vix sentiat respublica, & siqua est jactura, ea aliunde confluentibus, aut accersitis incolis facile resarciri valeat; immoderato autem hujus juris abusui per exceptiones hic indigitatas sat superque consultum sit.

(a) Testantur de hac observantia HUGO GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 2. C. V. §. 24. n. 2. & 3.*
GAIL. *Lib. 2. Obs. 36. n. 7.*
MEVIUS *ad Jus Lubecense Lib. 1. Tit. 2. Art. 2. n. 69.*
SCHEFFERUS *de Jure Detractus §§. IX. & X. Illustr.* RHETIUS *Instit. Jur. Publ. Lib. 2. tit. 14. §. 6.*
JODOC. BECK *tract. de Jure detract. & emigrat. Cap. 1. Obs. 4. n. 3.*
BESOLD *Thes. Pr. Voce* Abschoß.
KNIPSCHILD *de Jur. Civit. Imper. Lib. 2. c. 20.*

(b) JODOC. BECK *alleg. loco.*
COCCEJUS *dissert. de Censu emigrat. Tom. I. Disp. 42.*

(c) *Recess. Imp. de anno 1555. §. 24.* Wo aber unsere rc. ibid. doch Oberkeiten an ihren Gerechtigkeiten und Herkommen der

Leibeigenen halben/dieſelben loß zu zehlen/oder nicht hierdurch nichts abgebrochen / oder benommen ſeyn.

(d) HUGO GROTIUS *ibid. n. 2. ibique* TESMARUS *in notis.*
COCCEJUS *alleg. loc. §. 7.*
HILDEBRAND *Diſſertat. de intempeſtivo civium diſceſſu cohibendo per totum.*

COROLLARIUM.

§. XXXI. Uſu igitur & obſervantia Germaniæ Domini territoriales civium ſingulorum, vel paucorum diſceſſum regulariter prohibere nequeunt (a), niſi in caſibus exceptis, quos §. *præc.* indigitavimus,

(a) HENR. KLOCK *de Vectig. Concl. 63.*
MYLER ab EHRENBACH *de Princip. & Statib. Imp. p. 2. c. 63. §. 4.*
SCHEFFER *cit. l.*

THEOREMA III.

§. XXXII. *Subditi regulariter libero transmigrandi jure gaudent.*

DEMONSTRATIO.

Transmigrantes ejusdem communis civitatis ſubditi, eidemque ſummo Imperanti ſubjecti manent (§. V.). Facta itaque transmigratione eadem reipublicæ in univerſum ſpectatæ facies & conditio manet. Neque enim aliquam virium & civium jacturam patitur. Cumque in omnibus reipublicæ partibus cenſus, atque tributa a civibus pendenda ſint: juribus fiſci regulariter ex transmigratione nullum damnum adcreſcere per ſe patet. Quare, cum ſummis Imperantibus ea tantum ordinandi atque præcipiendi jus competat, quæ publicam ſalutem promovent; prohibendi contra, quæ eandem impediunt (§. XX.): transmigrationes ſubditorum de

regno in regnum, de provincia in provinciam, vel de civitate in civitatem, quæ unum eundemque communem fummum Imperantem agnofcunt, regulariter prohibere nequit. Transmigrationes igitur in regula ad actiones non prohibitas, feu licitas fubditorum referendæ funt Quod prohibitum non eft, atque jure licet, illud quo minus fubditi pro lubitu agant, ratio nulla obftat. Unde fubditos regulariter libera transmigrandi facultate gaudere, conftat. Q. E. D.

SCHOLION.

§. XXXIII. In determinatione theorematis ftudio addidi, transmigrationes *regulariter* pro licitis reputandas effe; quin enim eædem ob rationes in cafibus peculiaribus obvias a fummo Imperante inhiberi queant, dubium non eft. Quid fi enim certas opificiorum fpecies in una potius quam alia provincia aut civitate exerceri reipublicæ interfit, atque communis falutis & utilitatis ratio certum fubditorum genus glebæ quafi adfcribat? His fane cafibus fummus Imperans regulam falutari exceptione merito temperat.

THEOREMA IV.

§. XXXIV. *Dominis territorialibus jus competit emigrationes quascunque prohibendi fubditis 1. fervitutis, aut alio fimili nexu illigatis; 2. bello devictis; 3. denique qui juri emigrandi in fpecie renuntiarunt.*

DEMONSTRATIO.

Tam in bello devictos, quam in eos, qui defpotica reguntur poteftate, aut arctiori fervitutis & fubjectionis vinculo conftricti funt, fubditos domini territoriales pleno utuntur imperio, & pro arbitrio quidlibet aut jubendi, aut pro-

prohibendi jure gaudent (§. XXVII.). Pro arbitrio itaque, ne devicti ſolum vertant, neve arctiori ſubjectionis nexu illigati, vel ſub dominica poteſtate conſtituti ſubditi alio domicilia transferant, præcipiunt. Enimvero hoc ipſo emigrationes quascunque prohibent. Unde Dominos territoriorum & ſummos magiſtratus in genere dictis ſuis ſubditis emigrationes quascunque prohibendi jure gaudere evidens eſt. *Quod erat primum & ſecundum.*

Juri pro ſe introducto libere quisque renuntiat (a). Enimvero facta renuntiatione eodem amplius uti nequit (b); eique, in cujus favorem facta renuntiatio, exercitium juris renuntiati prohibendi facultas competit (c). Quare illi, qui juri emigrandi libere renuntiavit, ad emigrationis beneficium recurſus amplius non patet, &, quo minus eo utatur, recte a territorii Domino prohibetur. *Quod erat tertium.*

(a) *L. ſiquis in conſcribendo* 29. *C. de pactis L. penul. C. de Tranſact. Cap. ſuper hoc* X *de Renunt.*
(b) *L.* 17. §. 1. *de acquir. hered. L. Quæritur* 14. §. 9. *de Ædilitio Edict.*
(c) *Arg.* §. 5. *verb. ſiquis itaque. Inſtit. de Bon. Poſſeſſ. L. cum quidem* 26. *C. de Admin. Tut.*
MENOCH. *Conſ.* 16. *n.* 18.

THEOREMA V.

§. XXXV. *Domini territoriales civium ſingulorum emigrationes recte prohibent, ſiquidem ingens ex emigratione eorundem damnum in rempublicam redundet.*

DEMONSTRATIO.

Domini territoriales vigore ſupereminentis, quo pollent, imperii, & ſuperioritatis territorialis (§. XXI.) ea omnia

nia, quæ civitatis bonum commune promovent, agunt atque præcipiunt, & prohibent contra, quibuscum publica salus consistere nequit (§. XX.). Ex hypothesi theorematis cum emigratione singulorum salva respublica non subsistit. Recte itaque hoc casu summus magistratus & Domini territoriales civibus sigillatim discedendi facultatem adimunt (a); consequenter emigrationes singulorum prohibent. Q. E. D.

(a) *Confer. omnino* HUGO GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 2. C. 5. §. 24. n. 2.* ubi casus aliquot speciales enumerat, in quibus illicitam singulorum emigrationem pronuuciat. e. g. Si civis abire velit, dum boni publici causa magnum contractum est æs alienum; si fiducia multitudinis bellum sit susceptum; si obsidio immineat &c.

SCHOLION.

§. XXXVI. Abstrahendo tamen, nec promulgata a territorii Domino lege hac prohibitoria ex ipsa nihilominus civilis obligationis natura abunde colligitur (§§. XV. XVI. & XVIII.) jure his casibus cives emigrare non posse.

THEOREMA VI.

§. XXXVII. *Domini territoriales jure gaudent prohibendi emigrationes civium, quæ turmatim, seu gregatim fiunt, quam diu civibus secure atque beate in republica vivendi copia est.*

DEMONSTRATIO.

Emigrationes turmatim, seu gregatim factæ (§. XXIX.) maximis rempublicam damnis afficiunt; potentiam, & vires enervant; jura supremorum imperantium imminuunt; quin totius societatis civilis coagulum prorsus dissolvunt (a).

(a). Omni modo itaque a ſummo Imperante & territoriorum dominis præcavendæ, & impediendæ ſunt (§. XX.); præſertim ſi ſalvis idem ſubditorum juribus fieri poſſit. Quare cum cives, quamdiu ſecure beateque in civitate vivendi ipſis facultas ſuppetit, jure emigrandi non gaudeant (§. XXV.); nec proin prohibendo emigrationes juribus ipſorum quidpiam adverſum ſtatuatur: dominos territoriales hoc caſu emigrationes turmatim, ſeu gregatim ſuſcipiendas optimo jure inhibere evidens eſt. Q. E. D.

(a) *Conf.* HUG. GROTIUS *cit. l. §. 24. n. 3. &* ULR. OBRECHT *in notis ad d. l.* ubi ſententiam GROTII contra PUFFENDORFFIUM *J. N. & G. Lib. 8. c. 11. n. 4.* nervoſe defendit.

COROLLARIUM.

§. XXXVIIII. Argumento a contrario patet, emigrationes a ſummo imperante, etiamſi turmatim fiant, jure prohiberi non poſſe, ſiquidem cives in republica nec ſecure amplius, nec tranquille ſubſiſtere valeant; niſi fors in caſibus ſupra (§. XXXIV.) recenſitis, in quibus juri dominorum territorialium prohibendi emigrationes, quoad jus ſaltem externum, limites nullos poſuimus.

THEOREMA VII.

§. XXXIX. *Domini territoriales expellere nequeunt ſubditos, quamdiu ſiniſtri nihil adverſum rempublicam moliuntur, ſed morigeros ſe, & legibus obedientes præſtant.*

DEMONSTRATIO.

Civibus pacto, ſaltem tacito, jus quæſitum eſt, mediante civili ſocietate conjunctis viribus ſecuritatem, & tran-

 quilli-

quillitatem vitæ suæ procurandi (§§. XIV. XV. & XVIII.). Hoc pactum inter summum imperantem, & subditos reciprocum est (§. XVIII.), atque in illo, scilicet summo imperante, majestaticum, publicam salutem quavis ratione promovendi jus & officium, in his vero, scilicet subditis, passivam obligationem ad eundem cum summo imperante scopum pro modulo virium concurrendi, ac proin jussa ejusdem debito obsequi; cultu venerandi exequendique, active vero jus, communi cum convicibus quiete & traquillitate fruendi involvit (§. XIX.). Unde ex parte imperantis concipitur huic juri correspondens obligatio permittendi, minime vero impediendi, quo minus subditi pacatam atque tranquillam in republica vitam vivant. Cui cum violenta eorundem expulsio, & sine ratione sufficiente imperata emigratio quam maxime obstet (§. IX.); nulla autem ad expulsionem sufficiens ratio prostet, quamdiu probos se, & morigeros erga rempublicam, summum eorundem magistratum & concives exhibent, atque legibus promti parent (§. XX.): patet supremo magistratui, & dominis territorialibus cives suos & subditos, quamdiu sinistri nihil adversum rempublicam meditantur, sed morigeros se & legibus obedientes præstant, expellendi jus non esse. Q. E. D.

SCHOLION.

§. XL. Hæc tamen ad subditos illos, de quibus (§. XXVII.) mentionem injecimus, trahi nolumus (§ XXXIV.); multo minus summi magistratus potestati, etiam illos subditos, qui sub pallio simulatæ ad speciem actualis obedientiæ periculosa ac perniciosa reipublicæ consilia agitant, quorum detestabiles effectus nonnisi in tempus opportunum differunt, cauta quadam & provida diffidentia ad arcendum communis salutis patriæque exterminium a reliquo corpore resecandi, quidpiam nos velle derogatum, addita in de-

mon-

monſtratione theorematis verba : *ſine ratione ſufficiente* : luculenter indigitant. Quis enim dubitaret, juſtiſſimam hoc caſu ſubeſſe cauſam, cur territoriorum domini emigrationem hiſce ſuis ſubditis imperent?

THEOREMA VIII.

§. XLI. *Domini territoriales jure gaudent expellendi ſubditos, qui pacem publicam turbant, atque legibus patriis ſeſe conformare renuunt.*

DEMONSTRATIO.

Etenim ſummus magiſtratus jure conſtituit atque ordinat, quo ſine publica quies conſervari aut ſubſiſtere nequit (§. XX.). Recte itaque ejicit, atque e finibus territorii ſui proſcribit ſubditos, qui pacem internam & quietem publicam turbant, debitamque legibus obedientiam præſtare temerario auſu renuunt. Q. E. D.

THEOREMA IX.

§. XLII. *Quodſi ſubditi publicæ quietis turbatores lenioribus mediis in viam reduci queant; aut interſit reipublicæ, ne civibus denudetur: ad ejectionem præciſe deveniendum non eſt, ſed aut leniora illa media adhibenda, aut pœnis aliis æque gravibus coercendi.*

DEMONSTRATIO.

Perinde ut civibus incumbit, legibus ſe, & voluntati ſummi imperantis conformare: ita viciſſim ſummi magiſtratus officium poſtulat, ut pro viribus civium ſalutem promoveat (§§. XIV. & XXIX.). Licet itaque malos pœnis recte coerceat, & bonum publicum privato præferat (§. XVI.):

ea

ea tamen exceptio locum non habet, si amborum, scilicet reipublicæ & singulorum jura integra servari queant (§. XVII.). Enimvero ex hypothesi incolumitati reipublicæ leniori, quam expulsionis via, prospici, & publicæ quietis turbatores aliis mediis, quam ejectione, in tramitem rectum reduci possunt. In data itaque hypothesi, & sub his circumstantiis ad ejectionem præcise deveniendum non est. *Quod erat primum.* Quodsi intersit reipublicæ, ne civibus denudetur, atque ingens ex emigratione damnum eidem adcrescat: dominis territoriorum emigrationes prohibendi jus competit (§. XXXV.), & officium postulat (§§. XVIII. & XX.), præsertim, si ea prohibitio jura subditorum non lædat (§. XXXVII.). Summo itaque magistratui emigrationes tum prohibere integrum erit, quando publici ratio pacis & quietis turbatores ejici non patitur, sed aliis pœnis pro arbitrio summi imperantis, atque ex utilitate publica determinandis coerceri suadet (§. XX.). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

§. XLIII. Unde sequitur, quod, qui factiones & turbas concitant, bella intestina moliuntur, dogmata perniciosa propalant, atque a religione publice recepta descifcunt, pro arbitrio summæ potestatis aut ejiciantur (§. XLI.), aut si reipublicæ intersit, mediis, pœnisque efficacibus aliis coerceantur (§. XLII.).

THEOREMA X.

§. XLIV. *Domini territoriales gaudent jure transplantandi subditos, si publica civitatis quies idem postulat.*

DEMONSTRATIO.

Si salva pace interna cives & incolæ in civitate', oppido,

do, aut pago conſiſtere: ac tolerari nequeant: dominis territoriorum eosdem expellendi jus competit (§. XLI.). Enimvero ad ejectionem ſeu expulſionem præciſe deveniendum non eſt, quamdiu leniora media proſtant; aut ſi reipublicæ interſit, ne civibus denudetur (§. XLII.). Leniora igitur potius hoc caſu media adhibenda, aliisque pœnis coercere ſubditos convenit. Quare cum lenius ſit medium & reipublicæ magis conſulatur, ſi ab uno reipublicæ loco in alium, a regno uno in alterum transportentur ſubditi, in quo & pacate ipſis vivendi neceſſitas incumbat, & ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria omnia ſuppetant; ac præterea id inde emolumenti conſequatur, quod communis respublica imminutionem civium nullam, nec damnum fiſcus ſentiat (§§. XI. XII. & XIII): ad transplantationes potius his caſibus, quam ad ejectiones deveniendum eſſe conſtat. Unde Dominos territoriorum his caſibus, & ubi publica id quies exigit, ſubditos transplantandi jure gaudere indubium eſt (§. XX.). Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. XLV. Factioſos igitur & rebelles cives, item illos, qui publicam toleratamque religionem mutant, Domini territoriorum optimo jure in alia ſibi ſubjecta regna, territoria, aut provincias diſtribuunt, aliasque in urbes transplantant, ubi nulla motuum concitandorum occaſio ſuperſit, aut etiam religionis illius, quam ſubditi amplexi fuere, exercitium publice toleretur.

THEOREMA XI.

§. XLVI. *Idem jus Dominis territoriorum competit in ſubditos bello devictos, ſervitutis nexu illigatos, ſimilive vinculo conſtrictos.*

DEMONSTRATIO.

De bello devictis, servis, similive nexu constrictis subditis eorumque bonis pleno arbitrio disponit summus Imperans (§. XXVII.), adeo ut non solum emigrationes ipsis pro lubitu prohibeat (§. XXXIV.), sed & si ita visum fuerit, eosdem plane ejiciat (§. XLIX.). A potiori ergo tales subditos transplantandi facultas Dominis territorialibus integra erit. Q. E. D.

SCHOLION.

§. XLVII. Transplantationum his ex causis factarum exempla non pauca suppeditat historia Romana (a), & Germanica, præsertim Caroli M., qui Saxones devictos in Franciam transplantasse dicitur (b): neque invitis sanioris Politices regulis easdem a summis magistratibus imperari supra (§. XIII.) monuimus.

(a) LIVIUS *Lib. XXXIX. 56.* CICERO *pro A.* CÆCINA *XXXIII. Item pro domo XXX. Conf.* HEINECC. *Ant. Rom. Adp. Lib. I. §. 129. seq.*

(b) ANNALES FRANCICI LAMBECIANI *T. 2. C. 5. p. 374. n. 28.* KARLUS *in Saxoniam Francos collocat, saxones inde educens cum uxoribus & liberis, id est tertium hominem.*
ANNALES LAURISHEIMENSES *ad A.* 804.
CAROLUS *omnes, qui trans Albim & in Wihmuodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Obotritis dedit. Conf.*
HAHN Reichs-Historie *P. 1. C. 1. §. XV.*

THEOREMA XII.

§. XLVIII. *Si tantus in territorii loco aut provincia sit civium numerus, ut iisdem alendis atque sustentandis ea non sufficiat: Domini territoriorum partem eorundem jure transplantant.*

DE-

DEMONSTRATIO.

Rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum penuria felicitati civium, & fini reipublicæ quam maxime contrariatur (§. XIV.). Quare cum ſummi Imperantis ſit, civium felicitatem pro viribus promovere (§. XX.): ipſius erit, proſpicere modis omnibus, atque efficere, ne cives penuria premantur. Quodſi ex nimio civium in territorii aliqua parte numero ea indigentia proveniat: aut ejiciendi quidam erunt, aut transplantandi in loca ejusdem imperii alia, ubi commode ſubſiſtere valeant. Prius durum, neque ferendum, ſi ſubditis alia ratione, conſuli poſſit (§. XLII.). Transplantandi igitur potius, & in colonias deducendi erunt (§. XIII.). Non immerito itaque Dominis territorialibus hoc caſu partem ſubditorum transplantandi jus adſcribitur. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

§. XLIX. Hæc ultima transplantationis ſpecies nullum in ſubditis delictum ſupponit, ſed ex mero ſummi Imperantis paterno officio atque amore in ſubditos proficiſcitur.

COROLLARIUM II.

§. L. Unde quando nimius eſt civium numerus, ad transmigrandum cogendi non ſunt ſubditi, ſi in terris, quas adire jubentur, miſere nimium vivendum, aut pereundum ipſis foret; liberum potius hoc caſu emigrandi beneficium iisdem indulgendum, ſi alibi pinguiores fortunarum ſedes inveniant.

COROLLARIUM III.

§. LI. Ex eodem principio fluit, transmigrantibus, aut potius transplantandis hoc caſu ſubditis, ſi non ex de-

bito, saltem ex humanitatis & commiserationis ratione sumtus itineris ex ærario publico in totum aut pro parte suppeditandos, aliaque subsidia subministranda esse, quo sine multa molestia in novis suis sedibus domicilia figere & commorari valeant.

SCHOLION.

§. LII. Hæcque potissima illa jura sunt, quæ ex naturæ atque gentium placitis, & ex moribus Germaniæ tam territoriorum Dominis, quam subditis circa emigrationes, transmigrationes, ejectiones, atque transplantationes competere dignoscuntur.

LEMMA IV.

§. LIII. *Quodsi nimia casuum atque determinationum juris & legum naturalium varietas in republica confusionem pariat, atque legum applicationem reddat difficilem: ad pauciores casus eædem restringendæ sunt* (a).

(a) L. B. de WOLFF *Polit. p. 2. c. 4. §. 401.*

LEMMA V.

§. LIV. *Quodsi pacis & publicæ salutis ratio postulat, æquum est, ut summi Imperantes majestaticorum jurium, & officii summi magistratus rigorem nonnihil leniant, & majorem, quam quæ alias de jure competeret, subditis libertatem indulgeant.*

SCHOLION.

§. LV. Veritas hujus propositionis inde luculenter patescit, quod bonum majus, quale est pax & conservatio totius reipublicæ, præferendum sit bono minori, quale respectu

ſpectu illius cenſendum eſt privatum ſummi Imperantis commodum, aut minor in rempublicam redundans utilitas, quæ majus malum aut exterminium totius civitatis comitem habeat.

OBSERVATIO II.

§. LVI. Ante diſſidia religionis ſub Carolo V. ſuborta, Jus emigrandi, transplantandi, & ejiciendi ſubditos a Dominis territoriorum juxta jura gentium & conſuetudines patrias aut ſtatuta peculiaria locorum exercebatur, legibus publicis alios eidem limites non adſignantibus. Neque enim in A. B. (a) alias, quam fraudulentas & doloſas emigrationes prohiberi conſtat.

(a) *Tit. 16.*

COROLLARIUM.

§. LVII. Ante religionis diſſidia itaque ob profeſſionem religionis in territoriis minime receptæ, aut toleratæ Domini territoriales ſubditos optimo jure ejiciebant (§§. XLI. & XLII); vel, ſi illud territoriis, & bono publico minime expedire judicarent, eos mediis aliis ſufficientibus adigebant, ut ad priſtina ſua ſacra reverterentur, aut ſaltem ipſorum liberi publice toleratis religionis dogmatis imbuerentur (§§. XLII. & XLIII.).

OBSERVATIO III.

§. LVIII. Enimvero ſuccreſcentibus religionis controverſiis durum videbatur Catholicis, ſubditos, antiquam religionem in ſtatuum Proteſtantium territoriis profitentes, eandem experiri ſortem. Quapropter lege publica, in comitiis Auguſtanis anno 1530. lata, ſibi proſpexere, qua cautum fuit, quod Catholici libero emigrationis jure gaudere,

& non obstante prohibitione dominorum territorialium, August. confess addictorum, in alias Catholicorum statuum terras concedere, integrum ipsis omnino & liberum esse debeat, nulla nec gabella, nec censu emigrationis persoluto: §. Und nachdem Wir. 60. Dazu wollen Wir aus Kayserl. Macht / denselben Burgern / Burgerinnen / und Einwohnern / so noch in des alten Christlichen Glauben seynd / und darauf verharren / ihrer Gelegenheit nach mit ihrem Leib / Haab und Gütern einen freyen Ab- und Zuzug der obgemelten Obrigkeitlichen Städte / Orth oder Flecken / ohne Beschwehr einiger Nachsteuer / oder Abzug ihrer Güter / und unverhindert männiglich zugelassen / und bewilliget haben.

COROLLARIUM.

§. LIX. Catholicis igitur territoriorum dominis pristina jura, & liberum arbitrium subditos sacra mutantes aut ejiciendi, aut retinendi, aut mediis aliis in viam reducendi (§. LVII.), leges & Recessus Imperii in salvo adhuc, atque sarta reliquere.

OBSERVATIO IV.

§. LX. Ast vero, cum gravate admodum ferrent A. C. addicti, hac ratione deterioris se conditionis haberi, atque religionis suæ consortibus beneficium emigrationis non denegari tantum, sed & mediis aliis coactivis eosdem ad religionem Catholicam retrahi: sicut pacis publicæ & quietis inter membra imperii amore Augustanæ confessionis sociis libertas conscientiæ, & liberum in territoriis suis religionis exercitium in comitiis August. de anno 1555. concessum fuit; ita in eadem pace religiosa obtinuere, ut statuum Catholicorum Augustanæ confessioni addictis subditis

libe-

liberum emigrandi beneficium perinde ut Catholicis pateret (a).

(a) *Art. XI. Pac. Relig. vel* §. 24. *Receſſ. Imp. d. anno* 1555. Wo aber Unſeren / auch der Churfürſten / Fürſten und Stände Unterthanen der alten Religion, oder Augſpurgiſchen Confeſſion anhängig / von ſolcher ihrer Religion wegen aus Unſeren / auch der Churfürſten / Fürſten und Ständen des Heil. Reichs Landen / Fürſtenthümer / Städten und Flecken mit ihren Weib und Kindern an andern Orth ziehen / und ſich niederthun wollten: Denen ſoll ſolcher Ab- und Zuzug / auch Verkauffung ihrer Haab und Gütern gegen ziemlichen billigen Abtrag der Leibeigenſchaft und Nachſteuer / wie es jedes von Alters anhero üblich hergebracht / und gehalten worden iſt / unverhindert männiglichés zugelaſſen und bewilligt / auch an ihren Ehren und Pflichten allerdings unentgolten ſeyn; doch ſoll denen Obrigkeiten an ihren Gerechtigkeiten und Herkommen der Leibeigenen halben / dieſelbige ledig zu zehlen / oder nicht / hierdurch nichts abgebrochen oder benommen ſeyn.

COROLLARIUM.

§. LXI. Poſt hanc conſtitutionem pacis religioſæ, Auguſt. confeſſioni addicti perinde, ut Catholici, libero emigrationis beneficio gaviſi ſunt: ita tamen, ut utrinque conſuetus emigrationis cenſus penderetur; ac proin eatenus Receſſui Imp. de an. 1530. (§. LVIII.) derogaretur, quod emigrantes Catholici a ſolutione hujus cenſus, uti ante vi dicti Receſſus, non amplius immunes haberentur.

DEFINITIO VII.

§. LXII. *Beneficium emigrandi*, ſeu potius *emigratio neceſſaria* dicitur, quando jubente domino territorii eandem declinare nequeunt ſubditi.

CO-

COROLLARIUM I.

§. LXIII. Emigratio necessaria supponit jussum, seu præceptum domini territorialis de emigrando (§. LXII.). Juris itaque territorialis expellendi effectus est (§. IX.).

COROLLARIUM II.

§. LXIV. Emigrationes necessarias etiam nolentes subditi suscipere tenentur (§. LXII.). Libertati igitur contraria est. Quod libertati contrarium est, onus esse nemo ambigit. Quare, sicut emigratio necessaria in domino territoriali jus infert (§. XLI. & XLII.): ita intuitu subditorum merito pro onere potius, quam beneficio reputatur.

DEFINITIO VIII.

§. LXV. *Jus emigrandi voluntarium* vocatur, quando subditis, prohibente licet territorii domino, emigrare integrum est.

COROLLARIUM I.

§. LXVI. Beneficium ergo emigrandi voluntarium de iis casibus proprie hic intelligitur, in quibus alias ob prohibitionem summi magistratus nullum subditis emigrandi jus competit (§§. XXXIV. XXXV. & XXXVII).

COROLLARIUM II.

§. LXVII. Porro, cum jus emigrandi voluntarium subditis contra prohibitiones etiam dominorum territorialium e civitate discedendi, alioque domicilia sua transferendi facultatem faciat (§§. LXV. & LXVI.): idem intuitu subditorum beneficii loco recte habetur; unde a Publicistis passim *beneficium emigrandi* salutatur.

SCHO-

SCHOLION.

§. LXVIII. Quoniam nihilominus subditi veteres suas sedes, & patriam derelinquere coguntur: a scriptoribus J. Pub. *beneficium flebile*, *triste*, *& lamentabile dicitur* (a).

(a) *Vide* RUMEL. *ad A. B. P. 2. dissert.* 5. §. 5. SCHEFFERUS *de J. Detractus c.* 2. §. 11.

OBSERVATIO V.

§. LXIX. Augustanæ confessioni addicti *beneficium emigrandi religionis causa*, *seu emigrationem necessariam*, eo, quo Catholici, sensu accipiunt (§. LXII.); *beneficium* vero *emigrandi voluntarium* dicunt, quando in arbitrium subditorum confertur, iisque libera electio relinquitur, utrum abdicato civitatis jure alio secedere, an remanere contra, & cultu privato in ædibus suis contenti vivere velint (a).

(a) CORTREJUS *Obs. ad P. Rel. Art. XI. n. 4. p.* 227.
DECKHER *Consult. Lib. 1. p. 1. c. 35. n.* 4.
HENNIG. *Medit. ad Instr. P.* §. 36. *lit. d.*
SCHWEDER *Introd. in J. Publ. P. Speciali sect. 2. c. 7.* §. 3.

SCHOLION.

§. LXX. De beneficio emigrandi voluntario hoc sensu accepto intelligendi sunt Publicistæ, quando quærunt: *utrum beneficium emigrandi religionis causa sit necessitatis*, *an vero voluntatis?* ita ut sensus membri prioris quæstionis sit: *an jubente territorii domino, ut subditi religionis causa migrent, subditi parere atque solum vertere necessum habeant?* posteriori autem membro id quæratur: *an, domino territorii subditis publicum aut privatum religionis exercitium denegante, pro arbitrio in loca alia, ubi plena conscientiæ libertate gaudeant, discedendi facul-*

cultatem habeant: an vero, siquidem ita lubet, in territorio, locoque domicilii, invito etiam territorii domino, remanere possint, sola conscientiæ & cultus privati domestici libertate fruituri.

THEOREMA XIII.

§. LXXI. *Beneficium emigrandi voluntarium utroque sensu, quo idem Catholici (§. LXV.), & Augustanæ confessioni addicti (§. LXIX.) accipiunt, juri territoriali prohibendi, atque imperandi emigrationes civium limites ponit.*

DEMONSTRATIO.

In significatu, quo Catholici jus emigrandi voluntarium accipiunt (§. LXV.), idem jus dominorum territorialium prohibendi emigrationes limitat (§§. LXVI. XXXV. seq.): in significatu altero, quo Aug. confessioni addicti idem sumunt (§§. LXIX. & LXX.), non jus solum emigrationes prohibendi, sed & jus eminens expellendi atque ejiciendi subditos (§§. LXIX. XLI. & XLIII.) pro parte saltem enervat. Unde patet, jus emigrandi voluntarium utroque sensu juri prohibendi, atque imperandi emigrationes civium limites ponere. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

§. LXXII. Quoniam tamen jus emigrandi voluntarium in sensu Catholicorum jus solum prohibendi, in sensu vero A. C. addictorum tam jus prohibendi, quam imperandi emigrationes limitat: illud jura dominorum territorialium magis, quam hoc in salvo collocare per se patet.

COROL-

COROLLARIUM. II.

§. LXXIII. Vi beneficii emigrandi voluntarii, in ſecundo ſenſu accepti, ſubditi religionem mutantes invito etiam territorii domino in loco domicilii remanere poſſunt (§. LXX.). Pronam itaque viam ſternit ad difformitatem religionis in rempublicam invehendam, conſequenter uniformitatem fidei, firmiſſimum quietis publicæ, & pacis internæ inter cives fulcimentum, deſtruit, ut conſideranti obvium eſſe debet: quin, quod jus reformandi, quod nonniſi ſtatibus imperii cum jure territorii ex hactenus uſitata praxi in Inſtrumento pacis (a) adſcribitur, per enormem adeo facultatem, contra juſſum emigrandi domini territ. remanendi, in arbitrium magis ſubditorum, quam dominorum territorialium collocetur.

(a) *Art. V.* §. 30.

COROLLARIUM III.

§. LXXIV. Unde de novo patet, jus emigrandi voluntarium in hoc ſenſu, ſcil. A. C. addictorum, paci internæ civilis ſocietatis, atque juribus territorialibus, & circa ſacra ſtatuum ſummopere refragari.

SCHOLION.

§. LXXV. Unde ex his fundamentis ſtatus Catholici jus hocce emigrandi voluntarium conſtanter impugnarunt, uti mox pluribus apparebit.

OBSERVATIO VI.

§. LXXVI. Poſt pacem religioſam accerrime Catholicos inter, & Auguſtanæ confeſſioni addictos diſputatum

esse novimus,. utrum, quod pace religiosa concessum fuit subditis, emigrandi beneficium *necessitatis* sit, an *voluntatis* (§. LXX.); illis necessarium, his vero voluntarium juxta sensum (§. LXIX); idem esse propugnantibus. Inter plures alias, potissimas asserti sui rationes desumebant Protestantes ex ipso textu pacis religiosæ (§. LX.) verbis: **Mit ihren Weib und Kindern an andern Orth ziehen / und sich niederthun wollten**; ex quibus emigrationes liberrimi esse arbitrii inferebant, ita ut amplectendi easdem, aut manendi subditis pro lubitu jus competeret. *Secundo*, ex declaratione FERDINANDI I. de dato 24. Septemb. anno 1555. (a), vigore cujus pax religiosa non minus subditorum, quam statuum libertati religionis & conscientiæ consulat. Catholici contra constanter in ea perstitere sententia, quod verba præallegata de emigratione voluntatis juxta eorum mentem (§. LXV.) intelligenda sint; ita ut jussi emigrare remanere quidem invito territorii domino nequeant, uti vicissim spontanee religionis causa emigraturis impedimentum nullum objici possit; hancque suam sententiam argumentis & rationibus ponderosissimis munivere, objectiones adversariorum solide confutantes. De quo acta Pacis religiosæ luculenta testimonia perhibent.

(a) CORTREJUS *ad P. Relig. Art. XI. p.* 227. *seq.*

SCHOLION.

§. LXXVII. Alias rationes Protestantium plures occurrunt apud HENR. ANDR. CRAN *de P. Relig. pag.* 2. *probl.* 1. *pag.* 178. apud CORTREJUM *d. l. p.* 228., præcipue adductum ibi scriptum Auctoris **des kurtzen Begriffs der** fundamenten/ **warum man die Catholischen zur** ejection **ihrer Evangelischen Unterthanen nicht befugt zu seyn erachtet?**

Ca-

Catholicorum rationes & fundamenta ex professo propugnavit FRANCISCUS BURCKHARD. *in Autonomia sua*, oder Freystellung der Religion; DILINGENSES *in Composit. Pacis*; Ipse denique IMPER. FERDINAND. II. in declaratione hujus §. scil. 24: *Pacis Relig.* quæ extat apud CORTREI *all. l.*, & desumta, ac conformis esse dicitur ipsis actis publicis & protocollis P. religiosæ.

SCHOLION II.

§. LXXVIII. Utriusque tamen partis argumenta & rationes singulas ponderare, aut sub examen revocare hic non vacat; nec præfixi nobis speciminis limites patiuntur.

OBSERVATIO VII.

§. LXXIX. In pacificatione Westphalica ea lis recruduit, acerrime inter utramque partem ventilata. Insistebant quippe Protestantes pro pleno emigrandi, aut, si subditi simplici conscientiæ libertate & cultu domestico contenti vivere vellent, non emigrandi arbitrio (a): Catholicis contra pro migrandi necessitate, siquidem subditi sacra mutantes a territoriorum Dominis jussi fuerint, fortiter pugnantibus (b).

(a) Illustr. de MEIERN *Acta P. Westph. publ. Tom. II. Lib. XV. §. III. ad Grav. III. p. 577.* ubi provocant ad Acta P. Relig *ibid. in Deput. de an. 1646. d. 14. April. ad Grav. 3. n. 3. p. 613.* ubi, quid sub nomine Libertatis Conscientiæ intelligant Protestantes, explanant: So könnten sie / Evangelischen / doch davon nicht abstehen / daß den Unterthanen die Libertas conscientiæ verstattet / sie zur Emigration nicht gedrungen / sondern ihnen frey gelassen werde / zu bleiben / und das Exercitium ihrer *Religion* in der Nachbarschaft zu suchen / auch in ihren Häusern GOtt mit Lesen / Singen und Betten zu dienen / ihre Kinder in die benachbarte Evangelische Schulen zu schicken / oder ihnen

Evangelische *Privat-Præceptores* zu halten; auch zu Tröstung der Krancken mit dem H. Nachtmahl zu versehen / inglei- chen zu Kindtauffen / und *Copulationen* Evangelische Prie- ster aus der Nachbarschaft zu hohlen. *Item p. 622, ad Grav. III.*

(b) Idem *Tom. II. Lib. XV.* §. *3. ad §. 3. p. 553. Item §. 9. ad Grav. III. p. 582.*

SCHOLION.

§. LXXX. Penitiorem totius controversiæ notitiam, &, quæ sint rationum, pro una alteraque parte militantium, pondera, cognitionem haurire licet 1. ex disquisitione, quam de hoc arduo argumento in favorem Protestantium concepit D. PLATNER *Consiliarius olim Saxo-Vinariensis* apud CORTREJUM *all. l.* 2. Ex D. de MEIERN *Actis P. Westph. L. XVI. §.* I. (a).

(a) Beylage VII.

Bedencken von wegen beyderseits Unterthanen / welche ihrer Obrigkeit *Religion* nicht zugethan seyn / Innhalts des *Religion*-Friedens §. Es soll auch. §. Wo aber.

Nr. VIII.

Gründliche Antwort auf der alten *Religion* zugethanen Stände *Fundamenta*, der Unterthanen *Religions*-Freyheit betreffend.

Nr. IX.

Fundamenta Catholicorum, die *Emigration* der Unterthanen be- treffend.

Nr. X.

Fundamenta der Augspurgischen *Confessions*-Verwandten / das *jus emigrandi* betreffend.

Nr. X.

Refutatio fundamentorum Romano-Catholicorum, das *Jus emigran- di* betreffend.

OB-

OBSERVATIO VIII.

§. LXXXI. Enimvero, cum Catholici in principiis, atque in ſententia ſua firmiter perſiſterent, & potius omnes tractatus pacis abrupturos ſe eſſe minarentur, quam in enormem adeo conſcientiæ libertatem, & ſuperioritati territoriali ſummopere noxiam religionis tolerantiam conſenſuri eſſent (§.LXXIV): hinc conventum tandem inter utramque partem.

ART. V. INSTR. PACIS.

§. XXXIV. Placuit porro, ut illi Catholicorum ſubditi, Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & Catholici, Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditi, qui anno 1624. publicum vel etiam privatum religionis ſuæ exercitium nulla anni parte habuerunt; nec non, qui poſt pacem publicatam deinceps futuro tempore diverſam a territorii Domino religionem profitebuntur, & amplectentur, patienter tolerentur, & conſcientia libera domi devotioni ſuæ ſine inquiſitione, aut turbatione privatim vacare; in vicinia vero, ubi, & quoties voluerint, publico religionis exercitio intereſſe, vel liberos ſuos exteris ſuæ religionis ſcholis, aut privatis domi præceptoribus inſtituendos committere non prohibeantur; ſed ejusmodi Landſaſſii, Vaſalli, & ſubditi in ceteris officium ſuum cum debito obſequio & ſubjectione adimpleant, nullisque turbationibus anſam præbeant.

§. XXXV. Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ confeſſionis fuerint ſubditi, nullibi ob religionem deſpicatui habeantur, nec a mercatorum, opificum aut tribuum communione, hereditatibus, legatis, hoſpitalibus, leproſoriis, elemoſynis, aliisve juribus aut commerciis, multo minus publicis coemeteriis, honoreve ſepulturæ arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris a ſuperſtitibus exigatur, præter cujusque eccleſiæ parochialis jura, pro demortuis pendi ſolita, ſed in his & ſimilibus pari cum concivibus jure habeantur, æquali juſtitia, protectio neque tuti.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Quodsi vero subditus, qui nec publicum, nec privatum suæ religionis exercitium anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto habuit; vel etiam, qui post publicatam pacem religionem mutabit, sua sponte emigrare voluerit, aut a territorii domino jussus fuerit: liberum ei sit, aut retentis bonis, aut alienatis discedere, retenta per ministros administrare. & quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas, vel persequendas lites, aut debita exigenda libere, & sine literis commeatus adire.

§. XXXVII. Conventum autem est, ut a territoriorum dominis illis subditis, qui neque publicum, neque privatum exercitium religionis suæ dicto anno habuere, & tamen tempore publicatæ præsentis pacificationis in unius vel alterius religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur; quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium alio emigrarunt, & facta pace in patriam redire volunt: terminus non minor quinquennio; illis vero, qui post publicatam pacem religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus magis laxum, & spatiosum impetrare potuerint, ad emigrandum præfigatur: neque sive voluntarie, sive coacte emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, manumissionis, noti opificii, honestæ vitæ testimonia denegentur, aut iidem reversalibus insuitatis, vel decimationibus substantiæ secum exportatæ plus æquo extensis prægraventur, multo minus spontaneam suscipientibus emigrationem, servitutis, aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur.

THEOREMA XIV.

§. LXXXII. *Vigore pragmaticæ hujus legis jus emigrandi ob professionem religionis, quam subditi anno* 1624. *nulla anni parte habuere, est necessitatis.*

DEMONSTRATIO.

In adductis modo sanctionis pacis Westphalicæ *Art. V.* §. *XXXVI.* verbis: *Sua sponte emigrare voluerit, aut a territorii domino jussus fuerit &c.* Item *§. XXXVII.* verbis: *Sive volun-*

voluntate, *ſive coacte emigrantibus &c.* duo diſtincti caſus exprimuntur, *primus*, quo voluntatis proprio motu, *alter*, quo in vim juſſi aut mandati a territorii domino promulgati emigrant ſubditi. Non minus itaque liberam emigrandi facultatem in ſubditis, quam jus ac poteſtatem in territoriorum dominis eosdem expellendi, &, ſi religionem, quam anno 1624. nulla anni parte habuerunt, amplexi fuerint, ad emigrandum cogendi, integram, & in ſalvo ſupponunt ſummi Paciſcentes. Sine ratione enim de coacte emigrantibus mentionem injeciſſent, ſi nullum coactioni locum reliquum voluiſſent. Subditos ergo religionem amplectentes, cujus exercitium anno 1624. nulla anni parte habuere, juberi, atque ad emigrandum cogi poſſe conſtat. Jus jubendi atque cogendi dominis territoriorum competens in ſubditis parendi atque agendi neceſſitatem involvit (§§. XIX. XX. XXI.). Emigrare igitur juſſis parendi neceſſitas incumbit. Unde ipſam emigrationem poſt latam hanc legem neceſſitatis eſſe apparet. Q. E. D.

SCHOLION.

§. LXXXIII. Neque fruſtra duorum caſuum, queis ſubditi, ſcilicet aut ſpontanee, aut coacte migrant, mentio fit. Nimirum præſens conſtitutio ſubditis præſidio eſt tam contra jus territoriale prohibendi, quam contra jus præcipiendi, ſeu injungendi emigrationes: contra jus prohibendi, quod invitis etiam territoriorum dominis, ſiquidem iisdem exercitium religionis, quam amplexi ſunt, concedere nolint, ad emigrationis beneficium confugere valeant; cum alias territoriorum domini mediis violentis eosdem retinere, vel non niſi confiſcatis bonis dimittere potuiſſent (§§. XXXV. XLII. & XLIII.): contra jus injungendi emigrationes, ſeu expellendi diverſa ſacra profitentes, eatenus

Ss tenus

tenus lex auxilio eft, quod, cum abftrahendo ab hac lege integrum fit ftatibus imperii, diverfam a territorii domino religionem amplectentes tanquam criminis (in foro faltem externo & politico) reos & quietis publicæ turbatores fubito, fine mora, fine licentia quidpiam de fua fubftantia fecum exportandi expellere, atque e finibus territorii profcribere (§. XLI.), id jam lata hac lege nonnifi data mora fcilicet quinquennii, aut triennii fpatio cum facultate vendendi, aut retinendi bona &c. fieri debeat, quod beneficium fane non leve reputandum eft. Sed ceffere ftatus Imperii huic fuo, ut multis aliis juribus quietis & publicæ totius Imperii falutis amore (§. LIV.).

SCHOLION II.

§. LXXXIV. Veritatem theorematis confirmant acta Pacis Weftphalicæ præfertim de an. 1647. & 1648. apud D. de Meiern *Tom. IV. Lib. XXV. XXIX. & feq. ufque ad Lib. XXXIII.* ex quibus luculenter apparet, ipfos Proteftantes emigrandi neceffitatem ,, quoad illos fubditos, qui poft publicatam pacem facra mutaturi effent, agnoviffe; litem tantum adhuc fuiffe de illis fubditis, qui quidem a. 1624. nullum nec publicum, nec privatum religionis exercitium habuere, tempore tamen publicatæ pacis in unius alteriusve ftatus territorio habitaffe deprehenfi funt; his emigrandi, aut manendi & domi privatim devotioni fuæ vacandi facultatem liberam, reliquis vero, qui impofterum religionem mutaturi effent, terminum quindecennalem ad emigrandum concedi voluere, uti ex actis & protocollis ipfis plenius perfpici poteft. Qua ratione lis fopita fit, ipfe tenor Inftr. P. (§. LXXXI.) & d. acta publica infinuant.

SCHO-

SCHOLION III.

§. LXXXV. Consentiunt præterea, atque vim demonstrationis penetrant ex Protestantibus publici juris DD. celeberrimi, quos inter nominasse sufficiat HENNIGESIUM *in Meditationibus ad Instr. P. Art. V. §. XXXVI. lit. d. ibi idemque jussus migrare detrectare imperium non potest, ut frustra sint, qui ex præcedenti §. XXXIV. existimant, emigrationem a parte subditorum semper esse voluntariam, eosque ad emigrandum cogi non posse, quamdiu tranquille, & pacifice vivunt &c.* RHETIUM *Inst. Jur. Publ. Lib. II. Tit. I. §. XXVII.* DECKHER. *Consult. Forens. de P. Relig. Lib. I. p. 1. c. 35. num. 22.* verbis: *Ratione domini vero puræ necessitatis &c.* THOMAS. Fürsten-Recht. *p. 204. seq. verb.* Wenn man nun diese beyde Meynungen nach dem Recht der Natur / und nach dem Christenthum ansiehet: So gestehe ich gerne/ daß die erste diesem näher kommen/ als die letztere. Weilen aber alle Pacta müssen erklärt werden aus der Intention der Partheyen selber; diese aber aus den circumstantiis historicis, die sie zum Vergleich bewogen/ und aus dem Context des Vergleichs selber muß hergehohlt werden: So kommt mir die letztere wahrscheinlicher für. Dann wann ein Fürst kein Recht hätte / die Unterthanen wider ihren Willen zur Emigration zu zwingen / sondern müßte sie toleriren: was wäre nöthig gewesen / solche Terminos zu setzen; und wäre ja genug gewesen insgemein zu setzen / daß sie sollen durchgehends geduldet werden. Die unruhig leben/ meritiren gar nicht / daß man ihnen ein so langes Spatium ihre Sachen fertig zu machen einraume. Wann man die Tractaten lieset / die man wegen dieses Puncts gepflogen: So siehet man daraus die Erklärung dieses Streits gar deutlich/ und was ihre Meynung gewesen seye. Die Catholische Stände wollten sich gar nicht dazu verstehen / daß sie den Evangelischen Unterthanen die geringste Zeit verstatten wollten: die Schweden hingegen und andere Protestirende urgirten

15. Jahr aus Liebe zu den Lutherischen Unterthanen/ und hat sich sonderlich der bekannte LAMPADIUS, als damahliger Abgesandter von dem Hauß Lüneburg diese Sache angelegen seyn lassen. Woraus man deutlich erkennt/ daß die Catholische Stände auf die emigrationem necessariam gedrungen. Was aber die Protestirende sowohl gegen die Catholische / als auch unter sich betrifft / lernet man dieses / daß/ wie sie für ihre Glaubens-Genossenen die Emigration aus Catholischen Orten gerne hätten ganz aufheben wollen: sie soviel an ihnen denen Catholischen Unterthanen gerne wieder in ihren Landen dergleichen hätten verstatten wollen; denn ohne diese Intention hatten sie ja von den Catholischen Ständen für ihre Glaubens-Genossenen solches nicht prætendiren können. Und also / wenn man nach diesem Grund gehet/ so haben zwar Evangelische Fürsten gegen Catholische Unterthanen nach dem Instrumento Pacis und Jure retorsionis Recht/ die Emigration auf besagte Art anzubefehlen: aber/ sie haben sich dabey wohl zu prüffen / damit sie nicht wieder den Grund handlen/ aus welchen sie bey den Friedens-Tractaten die Emigration hätten gerne aufgehoben; 2c. THEOD. AUG. SCHELER *in Dissert. sub præsid.* consultiss. viri ACHATII BECK anno 1728. *Jenæ habita*; *de eo quod justum est circa emigrationem civium religionis causa.*

SCHOLION IV.

§. LXXXVI. Nec praxis Imperii contraria est, de qua exempla novissima in Archidiœcesi Salisburgensi, aliisque Statuum territoriis dubitare non sinunt.

THEOREMA XV.

§. LXXXVII. *Jus emigrandi non est voluntatis juxta sensum §. LXIX., quo Protestantes idem accipiunt.*

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Si emigrandi jus esset voluntatis eo sensu, quo idem §§. LXIX. & LXX. accipitur; tum penes subditos arbitrium foret, jubente territorii domino emigrandi, vel non emigrandi & domi privatæ devotioni quiete vacandi (§§. iisdem). At vero hoc arbitrium & alternativa hæc selectio subditis non competit (§§. LXXXII. seq.). Ergo neque jus emigrandi eo sensu voluntatis esse dici poterit. Q. E. D.

THEOREMA XVI.

§. LXXXVIII. *Est tamen voluntatis juxta sensum* §. *LXV.*

DEMONSTRATIO.

Subditi diversam a territorii domino religionem profitentes, non obstante prohibitione domini, ad beneficium emigrationis confugere possunt, siquidem territorii dominus nullum, nec publicum, nec privatum religionis exercitium concedere velit (*Art. V. Instr. P.* §. *XXXVII.* supra §. LXXXI). Emigrationem itaque eo, quo diximus, sensu voluntatis esse constat. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. LXXXIX. Domini igitur territoriales, qui subditis diversam ab ea, quam anno 1624. habuere, religionem amplectentibus liberum religionis exercitium publicum aut privatum concedere nolunt, emigrationes prohibere nequeunt.

SCHOLION I.

§. XC. Exinde colligimus, quod summi Paciscentes in §. *XXXIV. art. V. Inst. P.* supra (§. LXXXI.) allegato de-

clarare solum voluerint, qua ratione status Imperii sive Catholici, sive A. C. addicti, & sic dicti Reformati habere subditos suos, & agere cum iis debeant, qui anno 1624. nullo nec publico, nec privato religionis, quam ex post amplexi fuere, exercitio gavisi sunt, nec tamen a territoriorum dominis migrare jussi aut ejecti fuerint. Nimirum, cum alias ex principiis, juris gentium, & vigore ex communi totius Imperii praxi competentis juris reformandi statibus, subditos suos diversa sacra amplectentes aut ejicere, aut pœnis, mediisque aliis coercere integrum fuisset (§§. XLII. & XLIII.): durum esse rati sunt summi nostri Legislatores pœnis in receptarum & toleratarum in Imperio religionum socios animadvertere(*Instr. P. Art. V. §. XXXV.*). Hinc, siquidem status Imperii concesso, aut potius relicto sibi per idem Instr. P. expellendi subditos beneficio uti nolint, stabilitis suis ante principiis conformiter & sapienter statuunt, quod patienter eosdem tolerare debeant, ita ut conscientia libera domi devotioni suæ sine inquisitione, aut turbatione privatim vacare, in vicinia vero ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, vel liberos suos exteris suæ religionis scholis, aut privatis domi præceptoribus instituendos committere non prohibeantur.

SCHOLION II.

§. XCI. Idem de illis subditis intelligendum esse, qui intra terminum emigrationi præfixum in territoriis subsistunt, ex actis Pacis Westphalicæ liquido constat: neque id ab una alterave parte in dubium vocatum est; ac, neu me omnia fallunt, ad hos præcipue d. §. XXXIV. verba pertinent. Unde his cohærenter Protestantes in declaratione in puncto gravaminum Legatis Suecicis d. 27. Febr. anno 1647. exhibita apud D. de Meiern *Tom. IV. Lib. XXV. §. XIII.*

XIII. n. 1. *art. XV. p.* 96. ſub finem: *Subditi præterea, quibus migratio, uti dictum eſt, neceſſaria, pendente quindecennio eodem jure fruantur, quo ceteri, qui migrationis libero gaudent arbitrio.* Id quod p. 106. in projecto germanico repetunt. Item D. Plenipotentiarii Cæſareani in Declaratione exhibita Legatis Suecicis d. 5. Mart. ſtil. vet. 1647. ibid. §. *XVI. art.* XV. *p.* 125. *Ulterius conventum eſto, quod ſubditi Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes, ut & hujus Confeſſionis Statuum Catholici ſubditi, quibus alias nec pacto, nec uſu diuturno, nec privilegio ſuæ ſingularis religionis exercitium permiſſum deprehenditur, cum rerum & fortunarum ſuarum præcipiti jactura emigrare non teneantur; ſed interea, dum ſuperiorum ſuorum clementia & gratia tolerantur, nullis novitatibus nec publice, nec privatim anſam præbeant, interea nullibi ob religionem deſpicatui habeantur, nec a mercatorum, tribuum, ſocietatumque communione &c. arceantur &c. Item Lib. XXIX.* §. *VIII. n.* 1. **Der Kayſerliche Auffatz** de Autonomia per Imperium *ibi p.* 517. *Hoc modo autem coacte emigrantibus idem beneficium competat, quod paulo ante iis, qui ſua ſponte emigrant, conceſſum eſt.* Et ita in ſequentibus, uſquedum hanc in formam conventum fuerit, paſſim, quæ ſingula hic adducere ratio inſtituti non patitur.

LEMMA VI.

§. XCII. *Unam ex tribus in Imperio receptis, ac toleratis religionibus amplecti, publiceque profiteri, in Imperio Rom. Germ. quoad forum externum, ſeu politicum in crimen non incidit.*

SCHOLION.

§. XCIII. Quid quoad forum internum hic juris ſit, non patitur pax religioſa & Weſtphalica, quam unice præ ocu-

oculis habeo, ut diſcutiam. Neque enim opus eſt, cum de effectibus ſolum civilibus profeſſionis unius ex tribus religionibus nobis ſermo ſit.

COROLLARIUM I.

§. XCIV. Ex lemmate itaque noſtro ſua ſponte conſequitur, quod, qui unam ex tribus in Imperio receptis ac toleratis religionibus profitentur, nullibi deſpicatui habendi, neque a mercatorum, opificum, aut tribuum communione, hereditatibus, legatis, reliquisque, quæ in *art V.* §. *XXXV.* enumerantur, juribus excludendi ſint.

COROLLARIUM II.

§. XCV. Ulterius inde intelligitur, cur religionis in Imperio toleratæ cauſa emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, noti opificii, honeſtæque vitæ teſtimonia deneganda haud ſint; item, cur inuſitatis reverſalibus, decimationibus, & cenſibus emigrationum plus æquo eosdem gravari non conveniat (*Inſtr. P. Art. V.* §. *XXXVII.*).

THEOREMA XVII.

§. XCVI. *Qui religionis cauſa emigrant ſubditi, bona in territoriis, unde diſcedunt, poſſidere non probibentur.*

DEMONSTRATIO.

Qui ob profeſſionem unius ex receptis in Imperio religionibus ſponte (§. LXXXVIII.) aut coacte (§. LXXXII.) migrant, cives quidem eſſe deſinunt, & ſubditi (§§. I. & II.); ob crimen tamen non emigrant, aut ejiciuntur (§. XCII.);

excep-

exceptis igitur domicilii, & civitatis juribus, libero religionis exercitio, & conſcientiæ libertate, quo minus in reliquis gentium juribus fruantur, nulla obſtat ratio. Quapropter, cum ad gentium quoque jura haud dubie pertineat, bona in aliena republica ſeu territorio poſſidendi facultas, teſtantibus idem moribus populorum ferme omnium; poſſeſſio autem ſola bonorum nec ſubditum proprie efficiat, nec domicilii jus, aut conſcientiæ & religionis libertatem tribuat (§. III.): nil ſane obſtat, quo minus, qui propter religionem in Imperio receptam, aut toleratam emigrant, bona in territorio, unde diſcedunt, poſſideant (Art. V. §. XXXVI.) Q. E. D.

COROLLARIUM I.

§. XCVII. Quæ igitur habuere ante emigrationem, alienare non coguntur, ſed jure, libereque retinent, retentaque per miniſtros adminiſtrant (Art. V. §. eod.).

COROLLARIUM II.

§. XCVIII. Nec minus ex theoremate conſequitur, quod ſubditis, qui religionis cauſa diſceſſerunt, nullo non tempore liber ad priſtinum territorium aditus & commerciorum uſus pateat (Art. V. §§. XXXVI. & XXXVII.); cum & hæc ad jura gentium referri, apud omnes in confeſſo ſit.

SCHOLION.

§. XCIX. Quodſi conſuetudo, aut lex peculiaris territorii aut loci non patiatur, ut extranei in eodem prædiorum, & immobilium bonorum poſſeſſores ſint: eam ego non obſtante theorematis & legis noſtræ generali enunciatione

tione observandam nihilominus esse existimem. Nam cum illa bonorum possessio ad jura religionis directe non pertineat; neque emigrantes, ut suppono, in odium religionis ab eadem arceantur: quare civilis illa de possessione bonorum dispositio etiam contra illos vim suam exercere non debeat, causa solida apparet.

THEOREMA XVIII.

§. C. *Administratores, quos emigrantes bonis suis in territorio, unde discessere, præficiunt, debent esse religionis in illo territorio toleratæ, vel receptæ.*

DEMONSTRATIO.

Pone eos non esse religionis, in territorio vi anni decretorii, aut ex alio capite toleratæ; ad emigrandum ergo, & ad vertendum solum perinde ut domini ipsorum, seu præficientes cogi poterunt (§. LXXXII.). Quod cum scopo & intentioni præficientium repugnet, uti per se patet: administratores, queis bonorum suorum curam committunt, toleratæ in territorio religionis esse debere evidens est. Q. E. D.

SCHOLION.

§. CI. Nobis de administratoribus, qui in territorio domicilium habeant, sermonem esse, res ipsa loquitur. Ceterum hæc ipsa propositio in ultimato cæsareanorum puncto grav. exhibito d. 5. Mart. 1647. apud D. de MEIERN *Tom. 4. Act. Pacis Westph. Lib. XXV. §.* 16 *p.* 125. claris verbis legitur: *Quodsi vel justa Superioris jussione, vel sua sponte emigrare subditus, cujuscunque sortis, voluerit, aut quod suum est, vendere: liberum ei sit aut retentis bonis, aut alienatis decedere, retenta per mini-*

ministros religioni in loco, unde discessit, addictos administrare &c. quæ verba tamen in sequentibus, imo ipso Instr. Pacis, fors tanquam supervacua, omissa fuere.

THEOREMA XIX.

§. CII. *Quæ de beneficio emigrandi in instrumento Pacis Westph. constituta sunt, ad subditos illos non pertinent, qui an. 1624. vel publico, vel privato religionis exercitio gavisi sunt.*

DEMONSTRATIO.

Per ea, quæ de beneficio & jure emigrandi in instrumento Pacis constituta sunt, subditorum religionis & conscientiæ libertati prospicitur; ne scilicet, denegato ipsis libero cultus publici, aut privati exercitio alio migrare, atque sic conscientiæ suæ consulere prohibeantur; neve, dum migrare jubentur, ob mutatam religionem, tanquam si criminis rei forent, bonis famaque mulctentur, aliisque pœnis afficiantur (§§. XLII. XLIII. & LXXXIII.). Subditi, cives & incolæ, qui anno 1624. quacunque anni parte sive publicum, sive privatum exercitium religionis habuere, in eodem turbari a nemine, nec, quo minus publica cultus sui, & conscientiæ libertate fruantur, prohiberi, multo minus ad emigrandum religionis causa ullo prætextu cogi, privari bonis, aut pœnis coerceri possunt (*Art. V. Instr. P. §§. XXXI. & XXXV.*). Auxilio itaque & beneficio emigrationis non indigent, utpote aliunde satis tuti. Quæ proinde eodem in Instrumento Pacis constituta leguntur, ad subditos illos, quos annus normalis securos præstat, minime pertinent. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. CIII. Quare, quæ de emigratione Pax Weftphalica *Art. V. §. XXXIV. feq.* conftituit, in eorum gratiam tantum fancita funt, qui anno 1624. nullo, nec publico, nec privato religionis exercitio fruiti, duris expulfionis, feu ejectionis effectibus (§. LXXXIII.) obnoxii forent. (*Art. V. §. XXXVI.*).

THEOREMA XX.

§. CIV. *Subditos, quos annus normalis in exercitio religionis, & libertate confcientiæ tuetur, quo minus emigrent, a domino territorii probiberi nil impedit.*

DEMONSTRATIO.

Subditi, quos annus normalis tuetur, nullam, vel fufficientem faltem rationem non habent, cur ad beneficium emigrationis confugiant, utpote queis lex ipfa contra turbationes quafcunque fatis auxilii præftat, nec, quæ de emigratione Pax Weftphalica conftituit, ad eosdem pertinent (§. CII.). Jus itaque prohibendi emigrationes, dominis territorialibus competens, intuitu horum fubditorum alios, quam quos naturæ & gentium jura, & leges peculiares locorum ponunt (§§. XXXVIII. & XXXIX.), limites non agnofcit. Quin igitur, fi publica idem falus poftulet (§§. XXXV. & XXXVI.), neque jura, & fubditorum qualitas refragentur, emigrationes tam turmatim, quam figillatim (§§. XXVIII. & XXIX.) fufcipiendas fubditis anno normali fecuris jure prohibeant, dubium non eft. Q.E.D.

SCHO-

SCHOLION.

§. CV. Quoniam tamen juxta conſuetudines & mores Germaniæ (§. XXX.) emigrationes ſingulorum absque ratione prægnanti (§. XXXV.), & regulariter non prohibentur (§. XXXI.): patet, ſi cives ſinguli cujuscunque in imperio receptæ vel toleratæ religionis, ſive anno normali tuti ſint, ſive non, e territorio migrare cogitent, eosdem regulariter impediendos non eſſe.

THEOREMA XXI.

§. CVI. *Subditi, quibus domini territoriales liberum religionis, quam poſt annum normalem 1624. amplectuntur, exercitium ſeu publicum ſeu privatum ex pacto & gratia concedunt, non debent eſſe melioris conditionis quam illi, qui anno normali ſecuri ſunt.*

DEMONSTRATIO.

Finis, quem ſummi Paciſcentes in inſtrumento & tractatibus Pacis Weſtphalicæ præfixum habuere, eo collimavit, ut ſubditorum, unam ex tribus religionibus profitentium, conſcientiis, atque libero religionis exercitio conſulerent (§. XXIII.). Finem hunc perinde obtinent ſubditi diverſam a territorii domino religionem, quam anno 1624. non exercuere, amplectentes, dum ex beneficio & gratia domini territorialis liberum ipſis religionis ſuæ exercitium non indulgetur tantum, ſed & pacto publico, & lege territorii firmatur, quam illi, queis Pax Weſtphalica & annus normalis præſidio eſt. Neque enim, quæ de majori Pacis Weſtphalicæ, quam pactorum & legum territorialium firmitudine regeri poſſent, hic attendi merentur; cum recedente domino territorii a pacto ſuo, aut priſtina ſubditi, qui anno 1624. nullo religionis exercitio gaviſi ſunt, jura ſua

recuperent, aut pro observantia pacti ad civilia remedia iisdem recursus pateat. Ea igitur utrorumque, tam qui Pace Westphalica, quam qui pactis dominorum rerritorialium securi sunt, quod ad libertatem & exercitium religionis attinet, conditio est. Quare sicut in illorum gratiam præter cultus religiosi exercitium & conscientiæ libertatem nil aliud intendere summi Paciscentes (§. XXIII. alleg.); neque ipsi subditi rationabiliter prætendere potuere: ita pariter qui post annum normalem religionem mutant, concesso sibi a territorii domino religionis suæ exercitio aliud quidpiam neque prætendere, neque ad amplius jus adspirare poterunt. Unde non melioris hos, quam illos conditionis esse censendos, indubie constat. Q. E. D.

SCHOLION.

§. CVII. Veritas hujus propositionis etiam inde elucescit, quod in pacificatione Westphalica ipsi Protestantes alternative solum petierint, ut aut liberum subditis religionis exercitium concederetur, aut discedendi alio, remanendive privata domi devotione contentis vixuris facultas, & arbitrium relinqueretur, testantibus idem actis P. Westph. apud D. de Meiern *Tom. II. Lib. XV. §. 5. pag. 570. n. 3.* verb. Ersuchen sie die Catholischen höchlich / ihren Evangelischen Unterthanen / oder die : : : : noch zur Evangelischen Religion tretten mögten / oder auch aus Evangelischen Landen unter Catholischen Obrigkeiten sich zu begeben Vorhabens / das privatum Exercitium der Evangelischen Lehren zu verstatten rc.

THEOREMA XXII.

§. CVIII. *Domini territoriales subditis suis religionem mutantibus liberam emigrandi libertatem concedere non obligantur, si*

ſi aut publicum iis, aut privatum religionis exercitium permittere parati ſint.

DEMONSTRATIO.

Subditi, qui diverſam a territorii domino religionem, profitentur, nec tamen anno normali tuti ſunt, pari jure non melioris conditionis eſſe cenſentur cum illis, qui vigore regulæ & anni normalis exercitio religionis gaudent, ſiquidem dominus territorii ipſis cultus ſui & religionis exercitium permittere paratus ſit (§. CVI.). Enimvero ſubditis quos annus normalis tuetur, facta a territorii domino juſta de cauſa prohibitione, emigrandi facultas non competit (§. CIV.). Ergo neque illis, qui religionem ex poſt mutant contra prohibitionem Superioris emigrare integrum erit, ſiquidem dominus territorii cultum religioſum publice aut privatim exercendi libertatem iisdem concedere paratus ſit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. CIX. Cultus igitur publici, ſeu privati conceſſio medium eſt, quo domini territoriales juris emigrandi voluntarii, ſub dictis circumſtantiis alioquin competentis, effectum impedire, & ſubditos in territorio retinere valent.

SCHOLION I.

§ CX. Utrum porro, & quando ſubdititis diverſa ſacra profitentibus religionis ſuæ exercitium concedere potius, quam ad emigrandum eosdem cogere conſultum ſit, politicæ diſquiſitionis, nec hujus loci eſt, cujus deciſionem circumſtantiæ peculiares temporis & loci facile ſuggerent.

SCHO-

SCHOLION II.

§. CXI. Id adhuc velim advertas, differre inter se *cultum privatum simpliciter talem*, & *cultum privatum domesticum*. Ille hoc latior patet. Qui exercitio religionis privato gaudent, convenire in loco aliquo privato, ibique, sine strepitu tamen, sine pulsu campanæ, sine instrumentis musicis &c., actus religiosos peragere, & Deum secundum ritum suum colere possunt. At vero, queis domestica tantum devotio, & conscientiæ nuda libertas (§. LXXIX. in not.) permissa est, domi tantum cum familia sua, non vero cum vicinis, aliisque, qui ad eandem non pertinent, libros suæ religionis legere, canere, & preces ad Deum fundere integrum est; quæ differentia probe observanda est. Etenim quando *§. præced. CIX.* diximus, concessionem liberi religionis exercitii, etiam privati, esse medium, quo dominus territorii emigrationes subditorum suorum impedire valeat, id de cultu privato latiori, non strictiori illo, seu domestico intellectum volumus.

THEOREMA XXIII.

§. CXII. *Subditis diversam a territorii domino religionem, quam anno 1624. nulla anni parte habuere, amplectentibus per transplantationes in loca alia eidem supremo territorii domino subjecta, ubi plena conscientiæ libertate fruantur, & libero religionis suæ exercitio gaudeant, æque bene, quin haud raro efficacius longe, consulitur, quam emigrationis beneficio.*

DEMONSTRATIO.

Transplantationes, quæ fiunt propter professionem unius ex receptis ac toleratis in imperio religionibus crimen,

men, aut delictum quoad forum civile pro ſui cauſa non agnoſcunt (§. XCII.). Partim igitur ex amore paterno Principis erga ſubditos ſuos (§. XLIX.), partim ex quietis, & pacis internæ, inter cives omni modo procurandæ, majeſtatico officio (§. XLIV.), partim denique ex jure expellendi & ejiciendi ſubditos, diverſa extra annum normalem ſacra profitentes (§. LXXXII.), proficiſcuntur. Curant ergo, & proſpiciunt domini territoriales, ut, quos religionis cauſa transplantare volunt, ſubditi ſine magno bonorum ſuorum diſpendio, &, quam poteſt minima cum moleſtia, in aſſignatas ipſis novas ſuas ſedes transportentur: quin pro ratione circumſtantiarum, fiſci etiam & reipublicæ utilitate id ſuadente, adminicula indigis atque vitæ ſuſtentamina ex gratia ſubminiſtrant, pro paterno in rempublicam communem affectu eo præcipue intenti, ut transplantandi in novis ſuis ſedibus ea, quæ habuere ante, vitæ commoda inveniant, ſub priſtina Principis ſui protectione ac clementiæ alis ſecuri (§. LI.). At vero emigrationum, ſive ſpontanee a ſubditis ſuſcipiantur, ſive a territorii domino injungantur (§. LXXXII.), longe alii effectus ſunt. Incerti quo Lares transferant, bona viliſſimo ſæpe pretio divendere coguntur; ſæpius ſine ſtabili manſionis loco huc illuc errantes in extremam paupertatem delabentes. Pone etiam ante diſceſſum certa ipſis conſtituta eſſe domicilia. Cum non poſſint emigrationes, quæ cum magno ſubditorum numero fiunt, non eſſe damnoſæ reipublicæ: adminicula territorii domino, remiſſiones decimationum & cenſus conſueti, aliasque ſimiles gratias fruſtra exſpectant, qui aut ſpontanee, aut coacte migrant. Ut jam incommoda plura alia, quæ emigrationum ſolent eſſe comites, ſilentio prætercam; id minimum ex dictis abunde eluceſcit, majoribus multo difficultatibus premi, ac deterioris fortunæ aleam experiri emigrantes, quam qui transplantantur, neque tamen aliud priores, quam

posteriores, scilicet religionis suæ liberum exercitium, & conscientiæ libertatem consequi. Unde non existimo, fore quempiam, qui transplantationem emigratione pinguius beneficium esse non reputet. Atque adeo subditis, post annum normalem unam ex receptis in imperio religionibus amplectentibus, transplantatione efficacius quam emigratione consuli indubium est. Q. E. D.

THEOREMA XXIV.

§. CXIII. *Transplantatione subditorum, diversam a territorii domino religionem amplectentium, tam jura dominorum territorialia, quam reipublicæ communis salus & securitas in salvo consistunt.*

DEMONSTRATIO.

Transplantati subditi cives manent ejusdem communis reipublicæ, eidemque, cui ante, superiori Magistratui subjecti (§§. XI. & XII.). Eidem ergo, cui ante, collectas, tributa & onera pendunt, eandemque rempublicam communem necessitatis casu pro viribus defendunt. Neque adeo summi Magistratus, & fisci juribus per transplantationem, regulariter saltem (§§. XXXII. & XXXIII.), quidpiam decedit; neque securitas, & quies publica minori quam ante virium collatione sustinetur. Utriusque itaque, tam domini territorialis, quam reipublicæ communis jura, salus, & securitas per transplantationes subditorum, diversa sacra contra annum normalem profitentium, in salvo collocantur. Q. E. D.

SCHOLION.

§. CXIV. Accedunt subinde justissimæ transplantationum causæ: quod scilicet nimius quandoque in parte quadam

dam reipublicæ ſit civium ſeu ſubditorum numerus, quorum in provincia aut parte reipublicæ alia defectus reperiatur. Quo caſu bono reique publicæ per transplantationes eo enixius conſuli conſtat: ut taceam, jura dominorum territorialium in homines proprios ſic ſarta & illibata ſervari.

THEOREMA XXV.

§. CXV. *Transplantationes ſunt medium, quo & ſubditis, diverſa poſt annum normalem ſacra amplectentibus, efficaciter conſulitur, Statuum vero territoriorum jura integra ſervantur.*

DEMONSTRATIO.

Efficaciter ſubditis, diverſam a territorii dominis poſt annum normalem religionem amplectentibus, conſulitur, ſi tum conſcientiæ libertatem, & liberum religionis exercitium conſequantur, & cum minima bonorum ſuorum jactura alio ſedes ſuas & domicilia transferre neceſſum habeant. Enimvero hæc omnia per transplantationes (§. CXII.), & multo quidem efficacius, quam per emigrationes (§. eod.) conſequuntur ſubditi. Per transplantationes itaque efficaciter conſulitur ſubditis. Enimvero per easdem has transplantationes dominorum territorialia, fiſci, aliaque eminentia jura conſervari (§§. CXIII. & CXIV.) evictum dedimus. Unde patet, easdem optimo jure pro medio haberi, quo tam ſubditorum, diverſa ſacra poſt annum normalem profitentium, quam juribus dominorum territorialium conſulatur. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. CXVI. Sunt igitur transplantationes medium, quo colliſio inter jura dominorum territorialium, & ſubditorum tollatur (§. XVII.).

 THEO-

THEOREMA XXVI.

§. CXVII. *Transplantationes subditorum, post an. 1624. religionem mutantium, neque Instrumento pacis Westphalicæ, neque intentioni summorum Paciscentium adversantur.*

DEMONSTRATIO.

Instrumento pacis, atque intentioni summorum paciscentium refragari nequit, quod neque jura Statuum territorialia & circa Sacra imminuit; neque juribus subditorum, quæ circa liberum religionis exercitium, conscientiæ libertatem, & emigrandi beneficium vigore Instrumenti pacis ipsis competunt, quidpiam adversum statuit, aut indirecte etiam eadem infringit (§. XXIII.). At vero transplantationes subditorum in loca ejusdem territorii, aut eidem comuni reipublicæ subjecta, in quibus libero religionis suæ exercitio gaudeant, neque juribus Statuum (§§. CXIII. CXIV.), neque juribus subditorum (§. CXII.), consequenter neutrius juribus (§. CXV.) adversantur. Unde neque Instrumento pacis, neque intentioni summorum Paciscentium easdem refragari dici poterit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. CXVIII. Cum multo pinguius sit transplantationis, quam emigrationis beneficium (§. CXII.): summorum Paciscentium intentioni conformes potius dicendæ sunt (§. XXIII.).

THEOREMA XXVII.

§. CXIX. *Status imperii, & territoriorum domini jure gaudent transplantandi subditos, post annum normalem 1624. diversam*

verſam a territorii domino religionem amplectentes, in loca ſuæ ditionis alia, ubi plena religionis libertate, liberoque exercitio gaudeant.

DEMONSTRATIO.

Status imperii & domini territoriales in ſubditos diverſæ a ſe religionis, quam A. 1624. nulla anni parte habuere, jure conſtituunt, quod neque Inſtrumento pacis & paci religioſæ repugnat; neque ſubditorum ibi firmata jura lædit, quin potius libertati conſcientiæ maximopere favet, & cum minima bonorum, ac ſubſtantiæ exportandæ jactura conjunctum eſt; uti facile largientur omnes. At vero transplantationes comparatæ cum neceſſitate emigrandi, quæ hoc caſu ſubditis incumberet, ſubditorum incolumitati, religionis & conſcientiæ libertati enixiſſime favent (§. CXII.). Nil adeo obſtat, quo minus territoriorum domini loco emigrationis transplantationem tanquam medium & ſua, & ſubditorum jura illibata ſervandi (§. CXVII.) arripiant. Proindeque territoriorum dominos ſubditos ſuos religionem, uti dictum, mutantes transplantandi jure gaudere indubium eſt. Q. E. D.

SCHOLION.

§. CXX. Poterat etiam theorema præſens brevius ſic demonſtrari: Status & territoriorum domini dictos ſuos ſubditos religionem mutantes expellendi jure gaudent (§. LXXXII.). Ergo a potiori eosdem transplantare ipſis integrum erit; cum transplantatio idem, quod emigratio, ſubditis præſtet, ac cum longe minori moleſtia conjuncta ſit (§. CXII.).

THEOREMA XXVIII.

§. CXXI. *Transplantationes sunt gratia & effectus principalis clementiæ.*

DEMONSTRATIO.

Subditos, post annum normalem religionem mutantes, ejiciendi jure gaudent territoriorum domini (§. LXXXII.); nec, ut eosdem transplantent præcise coguntur. Quodsi ergo transplantationem tanquam medium lenius præ ejectione eligant: gratiam utique subditis præstant. Quare transplantationes pro gratia & principalis clementiæ effectu merito reputantur. Q. E. D.

THEOREMA XXIX.

§. CXXII. *Transplantationes sunt medium, quo emigrationes subditorum impediant territoriorum domini.*

DEMONSTRATIO.

Collidentibus statuum, seu dominorum territorialium, & subditorum juribus, exceptio facienda non est, si utriusque jura integra, & illibata servari valeant (§. XVII.). Quodsi igitur cum emigratione subditorum collidantur jura dominorum territorialium, quæ alia ratione, qua subditis æque immo efficacius consultum sit (§. CXII.), servari possunt: medium illud, collisionem tollendi, arripere iis omnino integrum erit; præsertim si Instrumento pacis, & intentioni summorum Paciscentium nihil adversum statuant. Enimvero transplantationibus subditis, Sacra mutantibus, æque im̃o efficacius, quam per emigrationes, consulitur (§. CXII.); nec Instrumento pacis, aut intentioni summorum Paciscentium repugnant (§. CXVII.). Quapropter, si territoriorum domini transplantando subditos jura sua integra servare valent,

valent, transplantationem recte tanquam medium arripiunt, quo & ſua, & ſuorum ſubditorum jura integra ſervent, atque colliſionem tollant (§. XVII.). Enimvero, qui transplantantur ſubditi, emigrare nequeunt, ut per ſe patet. Sunt igitur transplantationes medium, quo emigrationes ſubditorum impediant territoriorum domini. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. CXXIII. Perinde igitur, ut ſubditis, queis liberum religionis ſuæ exercitium concedunt territoriorum domini, libera emigrandi facultas præcluſa eſt (§§. CVIII. & CIX.): ita transplantandis ad emigrationem via non patet (§. XVI.); id quod a potiori de ſubditis bello devictis, ſervitutis, aliove ſimili nexu illigatis dicendum erit (§. XXVII.).

SCHOLION I.

§. CXXIV. Quoniam tamen profeſſio unius toleratarum in imperio religionum in crimen non incidit (§. XCII.): transportandos ſubditos dure haberi non convenit; neque in loca aſpera, inculta prorſus, & barbara tanquam in exilium ablegandi erunt: quin potius proprium imperantium commodum, & publica utilitas ſuadet, ut ea, quæ (§. CXII.) iunuimus, omnia probe obſervent, atque ſic ſubditorum ſuorum animos ad parendum, & debitum obſequii cultum præſtandum efficiant proniores. Atque his omnibus probe cuſtoditis non puto, fore quempiam, qui transplantationes improbet, aut legibus imperii publicis easdem adverſari judicet. Refractarii ſæpe ſunt ſubditi, & imaginariis ſuis juribus ita pertinaciter inſiſtunt, ut cum jactura potius bonorum omnium, miſeria ſumma comite, alio ſecedere, quam & ſibi, & reipublicæ ſalutare medium eligere malint: quod an ferendum ſit, prudentiorum eſto judicium.

SCHO-

SCHOLION II.

§. CXXV. Id adhuc disquirendnm, utrum terminus triennalis (nam quinquennalis, iis indulti, qui ab anno normali usque ad tempus conclusæ pacis religionem mutarant, deficiente objecto hodie vix usus aliquis superest.) ad emigrandum præfixus, iis etiam, qui transplantantur, concedendus sit? an vero subditos religionem mutantes breviori temporis spatio, & ante triennii lapsum transplantare dominis territorialibus integrum sit. Si ipsos tractatus pacis, & acta publica inspicimus, concessi ad emigrandum termini rationem eam præcipuam fuisse deprehendimus, ut subditi interea, quo sedes suas transferant, & domicilia figant, prospicere valeant (a). Enimvero qui transplantantur subditi ab hac sollicitudine immunes sunt; cum ab ipso territorii domino constitutas sedes, & domicilia habeant. Cessare itaque videtur ratio, consequenter ipsa etiam dispositio legis. Quam sententiam tanquā dubio omni vacuam admitterem, nisi obstaret altera in iisdem tractatibus (b) adjecta ratio; ut nimirum emigrantes bona sua vendere interea temporis valeant. A decisione itaque quæstionis ἀπέχω, iis eam relinquens queis dubia legum publicarum interpretandi jus leges publicæ imperii tribuunt (c).

(a) *Vid. D. de* MEIERN *Acta P. Westph. publica Tom. IV. Lib. XXIX. §. 8. p. 517. pr. Lib. XXX. §. 2. p. 571. in fine §. 3. p. 602. & alibi passim.*

(b) *Ibid.*

(c) *Instr. P. Westph. art. 8. §. gaudeant.*
Capitulat. CAROLI VI. *art. 2. §.* Deßgleichen auch andere.

SCHO-

SCHOLION III.

§. CXXVI. Non putem tamen gravaminibus anſam relictum iri, ſi æquitatis, & juſtitiæ temperamentum hic obſervent, qui transplantant ſubditos, ſecundum ea, quæ Status Catholici in tractatibus pacis Weſtphalicæ, ante quam de termino emigrationis adhuc conventum fuerat, declararunt (a). **Welchenfalls** (Scilicet ſi migrare juſſi) **die Unterthanen ſchuldig / da ſie zu der alten Catholiſchen** Religion **zu tretten nicht geſinnet / an anderen Orth zu ziehen / und ſich allda nieder zu thun / jedoch / mit dieſer Beſcheidenheit / daß bey den angekündigten** Emigrationen **nicht allzugeringer** Termin **geſetzt / ſie verkürzt / noch wider Recht und Billigkeit beſchwehrt / ſondern hierinn gehörige** Moderation, **und** Temperamenta **gebraucht werden ſollen.**

(a) *Tom. II. Lib. XV. §. 9. ad Grav. III. p. 582.* **Unvorgreiffliche Gegen-Vorſchläge der Herren Catholiſchen auf der Herren Augſpurgiſchen** Confeſſions-**Verwandten in** puncto Gravaminum **eingegebene vermeinte** media Compoſitionis.
Conf. Idem *ibid. §. 3. ad Grav. III. p. 557.* Item *Tom. III. Lib. XX. §. 24.* **Weiter- und endliche** Compoſitions-**Vorſchläge** *puncto Gravam.*

OPUSCULUM VI.

DE

ILLICITIS MILITUM CONQUISITIONIBUS IN TERRITORIO ALIENO, EARUMQUE POENIS.

§. I. INter eximia, quæ summum imperium consequuntur, majestatica civitatis jura haud postremum sibi locum jus belli atque pacis vendicat. Neque enim consistere, aut salva esse respublica potest, nisi, qui summam δύναμιν πολιτικὴν exercent, vim injustam, in tanta hominum, aliorum bonis inhiantium, malitia frequentissimam, armis propulsandi, securitatemque publicam modis omnibus procurandi facultate instructi sint. Bellum uti non sine armis, ita nec sine milite geritur; quod per se patet. Quare rempublicam recte ordinatam armato in patriæ defensionem milite carere haud posse evidens est.

SCHOLION. Non est, quod rem claram, atque a scriptoribus politicis pro dignitate excussam pluribus prosequamur. Pertinet quippe militia armata lectusque exercitus juxta cum bene instructo ærario ad appatum belli necessarium, de quo teste VEGETIO *de re militari Lib. III. cap. 3.* Imperantem, antequam inchoetur bellum, præprimis sollicitum esse convenit. Add. *Novell. VIII. cap. 10. §. 2.* verbis: *Scientibus vobis &c.*

§. II. Atque inde summæ in republica potestati facultatem competere intelligimus, e civium, sive subditorum numero sufficientem armatorum manum colligendi, curasque eo dirigendi, ut lecto milite respublica instructa sit; quam *jus delectus*, sive *conquirendi milites* dicimus.

SCHO-

SCHOLION. Jus hocce delectus sive conquirendi milites, Soldaten zu werben, pars est & sequela juris belli, seu Armandiæ; quod tanquam genus plura alia jura, ad finem belli conducentia, sub se complectitur: veluti *jus exstruendi fortalitia;* iisdemque *præsidia imponendi; jus fabricandi arma; instituendi armamentaria; jus Metatorum; Apertura* & similia; de quibus pluribus edisserere instituti ratio haud patitur. Videatur interim PFEFFINGER *Vitriar. Illustr. Tom. IV. tit. 19. §. 46. sequ.* MYLER AB EHRENB. *de Princip. & Statibus Imp. P. II. Cap. 75. sequ. usque ad Cap. 83.*

§. III. Porro, quæ ad civitatis defensionem, & belli gerendi gratia conquiruntur copiæ, duplici sese habere ratione dignoscuntur. Aut enim *perpetuo* & *constanti milite* utitur respublica, ita ut militiæ adscripti nullis præterea aliis functionibus vacent, solis rebus militaribus tam belli, quam pacis tempore operam navantes suam; vel *temporario*, in casu necessitatis ingruentis subitanee collecto, quique pacatis reipublicæ temporibus ad suos revertatur, atque agrorum cultum, nec non aliorum negotiorum domesticorum curam uti ante gerat, & exerceat.

SCHOLION. Utrum constans & perpetua, an temporaria militia in republica præferenda? in universum definiri nequit; sed ex peculiari reipublicæ statu, aliisque circumstantiis dijudicandum. Habet sua tam militia constans, quam ad tempus lecta tum commoda, tum incommoda; in specie miles perennis vel ideo minime probandus esse videtur, quod pacatis reipublicæ temporibus subditi citra necessitatem oneribus belli prægraventur, quodque cum insigni publici boni dispendio valida juventus in otio ætatem terat; quæ omnia cessatura sint, si ingruente vi hostili collectæ militares copiæ, reducta pace, ad agriculturam, aliosque consuetos labores redire jubeantur. Enimvero, si hodiernos bella gerendi modos, si præsidiorum, fortalitiorum, & limitum custodiendorum necessitatem, quodque in exercitato milite plus roboris, valoris atque dexteritatis, quam in recens lecta rudique turba deprehendere detur, penitius expendas: absque

que perenni milite recte defendi rempublicam haud posse facile largieris. Utraque interim haud inconcinne conjungitur; cum præter regulares & ordinarias militares copias, aliæ habeantur temporariæ & extraordinariæ, in casu necessitatis convocandæ, quas copias provinciales, vulgo den Land-Ausschuß nuncupant.

§. IV. Ex iis, quæ de necessaria patriæ defensione, atque belli jure (§. I.), nec non milite in republ. constanti vel temporario (§. III.) innuimus, patet porro: summo Imperanti jus esse, ingruente vi hostili subditos evocandi, iisdemque, invitis etiam, arma imponendi (a); quod *jus sequelæ militaris* dicimus, atque a jure conquirendi milites in eo diversum est, quod vigore posterioris nonnisi volentes militiæ adscribantur (§. II.); quodque jus sequelæ, vix, aut saltem non ita facile, uti jus conquirendi, das Werben/ exteris in territorio alieno juxta mox dicenda concedi, aut competere soleat.

(a) Vid. *Lexicon jur.* CALVINI. voce. *Sequelæ jus*. MYLER ab EHRENB. *de Princip. & Statibus Imp. tot. Cap. LXXVI.*

§. V. Summa totius Imperii R. G. potestas, atque inde promanantia majestatis jura differunt ab iis, quæ Status Imp. in suis territoriis vigore superioritatis territorialis exercent (a); non equidem, quod ratione objecti admodum inter sese discrepent, utpote quod utrinque regimen civile constituit, sed, quod priora independenti, posteriora vero dependenti, & subordinato nexu exerceantur. Unde utrinque ex jure belli, seu Armandiæ descendens jus conscribendi milites aliud *Imperii universim considerati*, aliud *territoriale* esse apparet.

SCHOLION. Miles quippe imperialis ad defensionem totius Imperii, sicuti territorialis ad territorii tuitionem, primario & principaliter comparatus est.

(a) Vid.

(a) Vid. infr. *Opusc. IX. de eo, quod J. Publ. univers. & particulari Imp. R. G. circa venationes juris est. Cap. I. §. 2. seq.*

§. VI. Jus belli atque pacis in Imperio Rom. Germ. vigore legum fundamentalium & constitutionum publicarum nonnisi in comitiis exercendum (a). Quapropter, cum jus conscribendi, seu legendi militem juris belli effectus sit (§. I.): idem quoque nonnisi in comitiis Imperii publicis exerceri posse liquido constat.

SCHOLION I. Idque regulariter cum consensu omnium Satuum (b), extra ordinem vero, & in casu urgentioris necessitatis solo adstipulante electorali Collegio (c). Quin, si adversum invasiones subitaneas defendendum Imperium: Imperator militem imperii solus quoque conquirere poterit (d).

SCHOLION II. De modo conquirendi militem Imperii consulendi STRYCK. (e). celeberr. D. MASCOV. (f) aliique. Hodie determinatus in comitiis numerus secundum matriculam Imperii per Circulos, indeque pro rata inter Status singulos dispescitur, atque ab his conquisitus miles primum Circulo, inde Imperio omni apparatu bellico, nec non commeatu instructus, in designato loco sistitur; fusius hæc explanante celeberr. D. MASCOV. *d. l.*

(a) *Instr. P. Osnabr. Art. VIII. §. gaudeant &c. Capitulat. Cæsarea noviss. Art. IV. §.* Wir sollen und wollen auch Uns ꝛc. ibi : derGleichen Reichs-Kriege sodann nach Innhalt der Reichs Constitutionen ꝛc.

(b) *Instr. P. d. l. verbis : Nihil horum aut quidquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu &c. Item Capitul. Cæsar. d. l.* ibi : Es geschehe dann solches mit der Churfürsten / Fürsten / und Ständen Consens auf offenen Reichs-Tag ꝛc.

(c) *Ibid.* Oder zum wenigsten der samtlichen Churfürsten Vorwissen / Rath / und Einwilligung ꝛc.

(d) *Ibid. sub fin.* Wo wir aber des Reichs wegen angegriffen würden / mögen Wir Uns aller dem Reich ohnnachtheiligen Hülfe gebrauchen.

(e) *Differt. de militia Imper. Cap. II.*

(f) *Differt.*

(f) *Dissert. de bello solenni Imperii* §. *XXV.* & *XXVI. seq.*

§. VII. Cum Status Imperii belli, saltem defensivi (a), atque fœderum ineundorum jure gaudeant (b); nec non in suis territoriis fortalitia omni belli apparatu instructa, præsidiisque munita rite habeant (c): quin vigore ejusdem superioritatis territorialis necessarium quoque militem conquirendi facultate polleant, dubio caret (§. I. & II.).

SCHOLION. Atque hoc ipsum notoria Imperii praxis abunde comprobat; alio titulo, scilicet nomine totius Imperii, Status idem jus in territoriis suis exercent, quando imperialem sive circularem militem pro rata matriculari in provinciis suis legunt; uti supra (§. 6. Schol. II.) innuimus.

(a) MYLER ab EHRENB. *d. l. P. II. Cap. LXXXI.* STRYCK. *Dissert. de milit. Imp. Cap. II.* §. 11. cum communi Publicistarum Schola. Confer R. Absch. *d. a.* 1555. §. *LIV.* Nachdem aber 2c. in medio: dazu nicht wenig ersprießlich 2c. *Ord. Camer. P. II. tit.* 9.

(b) *Instr. P. Osnabr. art. VIII.* §. *gaudeant. Capitulatio Cæsar. noviss. Art. VI.* §. Soviel aber die Stände des Reichs insgemein belangt 2c.

(c) *D. Capitul. art. IV.* §. Jedoch sollen und wollen Wir 2c. *sub fin.* Immassen dieses (scilicet fortalitia in territoriis extruere) allein die Lands-Herren nach denen Reichs-Satzungen in ihren Territoriis zu thun befugt, und berechtiget sind.

§. VIII. Principes atque Status imperii vigore fœderum cum exteris, sive etiam cum constatibus (a) initorum, fœderatis suis copias militares jure suppeditant; uti ex ipsa fœderum natura intelligitur. Neque etiam dubium est, quin oppressis, aut periclitantibus imperii membris ex lege amicitiæ armata manu succurrere queant, pace profana, & Recessibus Imperii id undique inculcantibus. Quare, cum id aliqua saltem ratione fiat, si fœdere junctis, aut oppressis, sive exteris, sive Statibus militem in territorio conquirendi facul-

cultas tribuatur: patet, nullis Imperii legibus prohiberi Status Imperii, quominus conquisitionem militum in suis territoriis etiam aliis, sive constatibus, sive exteris permittant (b).

SCHOLION. Idem porro fieri poterit ex ratione militiæ conductæ & stipendiariæ, quando pro pacta certa pecuniæ summa alii militem in Statuum territoriis legere permittuntur. Confer. HORNII *Disquisitio de Libertate Statuum militandi exteris.* Item celeberr. D. MASCOV. *Princip. Juris Publ. Lib. VI, Cap. IV.* §. 5.

(a) *Capit. Cæsar. d. art. VI. d.* §. Soviel aber rc. ibi: Solle denenselben (nimirum Statibus) allen und jeden das Recht/ Bündnüß unter sich / und mit Auswärtigen zu ihrer Sicherheit und Wohlfahrt zu machen dergestalt frey bleiben.

(b) *Ibidem art. IV.* §. Und dieweil denen frembden Potentaten je zu Zeiten im Reich ihre Werbungen anzustellen wohl verstattet wird rc. MYLER ab EHRENB. *d. l. Cap. LXXIX.* §. 3.

§. IX. Enimvero, cum Principes, & Status imperii indissolubili fidei atque subjectionis nexu Imperatori & imperio obstricti vivant, salutemque ejusdem publicam pro viribus promovere teneantur (a): conquisitiones militum quascunque, præcipue vero, quæ aliis Principibus in statuum territoriis permittuntur, salvis per omnia Imperatoris atque imperii juribus, nec non pace ejusdem publica instituendas, atque concedendas esse, oppido liquet (b).

SCHOLION. Perinde nimirum, uti jus fœderum in Instrumento pacis, & Capitulationibus cæsareis eo restrictum: ne sint contra Imperatorem & imperium, pacemque ejus publicam, fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & imperio obstrictus est: ita a pari, ut conquisitiones militum Imperio innocuæ sint, legibus Imperii publicis salutariter prospectum fuit (c).

(a) *Instr. P. Osnab. art. VIII.* §. *gaudeant &c. sub fin. Capitul. Cæsar. art. VI.*

(b) Ibid.

(b) *Ibid.* Und dieweil denen fremden Potentaten 2c.

(c) Vid. inter alias LL. Imp. publ. *R. Imp. de an. 1570.* §. 4. ibi: Haben Wir Uns mit ihnen zu forderist erinnert / wie es im Heil. Römischen Reich teutscher Nation von Alters eine löbliche Gestalt teutscher Freyheit / um Ehr und Ruhm mit ritterlichen Thaten fremden Potentaten ohn alles Beleydigen des Vattervaterlands / und dessen Angehörigen zu dienen 2c. Item *Recess. Imp. de an. 1576.* §. 37. *seq. de an. 1582.* §. Ferners obwohlen 2c. *de an. 1641.* §. 81. seq. ubi hæc verba notatu digna reperiuntur: Dieses aber keinesweges zu verantworten / daß sich die Teutsche zu Unterdruckung ihres eigenen Vatterlands frembden Nationen mit dergleichen Hülffe pflichtig machen / und dasselbe zu betrüben Mittel selbst an die Hande geben 2c.

§. X. Atque ex hoc fronte concipimus, cur secundum constitutiones Imperii publicas conquisitiones militum haud permittendæ: I. Si hominibus inde ad arma gerenda idoneis exutum iri Imperium periculum subsit (a); II. cur nonnisi cum consensu Imperatoris eædem instituendæ, simulque numerus indicandus, & officiales (b); III. cur idonee cavendum, conquisitos milites adversus Imperium, eosque, qui sub ejus tutamine vivunt, haud militaturos (c); IV. cur status Imperii metatis, hospitationibus, transitu, aliave ratione conquisito milite haud prægravandi (d); V. cur, per quem delectus agitur, Germanum, & in Germania possessionatum esse oporteat, quo facilius damni forte causati reparatio impetrari valeat (e); VI. cur denique lectus in Imperio miles in Statuum territoriis lustrandus, nec catervatim, sed sigillatim aut per manipulos deducendus (f); aliave plura pro securitate tum Imperii tum Statuum sancita fuerint: de quibus uberius videndi ipsi Recessus, aliæque LL. Imp. fundamentales & publicæ (g).

(a) *Capitular. Noviss. Art. IV.* §. Und dieweil 2c. verbis: so sollen / und wollen Wir / dafern etwa von Uns / oder andern einiges Volck im Reich / oder in seinen eigenen Landen / zu ausländischer Poten-

Potentaten Diensten geworben würde/ zuvorderist dahin sehen/ daß das Reich der Mannschafft nicht entblösset werde 2c.

(b) *Recess. Imp. de a. 1570. §. 7.* Dieweil dann solcher einreissenden Frechheit 2c. *Recess. Imp. de a. 1576. §. 38.* Setzen/ ordnen/ und wollen/ daß hinführo ein jeder frembder Potentat/ wer der seye/ so im Heil. Röm. Reich Kriegs-Leuthe werben lassen wollen/ zuvorderist bey Uns/ als Römischen Kaysern / darum ansuchen solle.

(c) *Eod. Recess. de a. 1570. §. 7.* verbis: Darneben diese Erklärung/ und Zusage thun / daß solch Kriegs-Volck 2c. Item *R. I. de a. 1576. §. 39.* ibi: Die Kriegs-Leuthe ihren Fuß auf des Reichs/ und dessen angehörigen Schirms-Verwandten keineswegs / es seye defensive oder offensive mit Gegenwehr / oder Angreiffen setzen 2c.

(d) *Capitul. Cæsar. d. art. IV.* verbis: Auch die Verfügung thun/ daß die Churfürsten/ Fürsten/ und Stände des Reichs/ sambt allen dessen Angehörigen bey obbemeldter Werbung / mit Versammlung/ Durchführen/ Einquartierungen/ Musterplätzen/ oder sonst in einige Wege wider die Reichs-Constitutiones, und das Instrumentum Pacis nicht beschweret werden.

(e) *d. Recess. de a. 1570. & 1576.*

(f) *Ibid.*

(g) Confer quoque præter alleg. Recess. Imp. de a. 1582. §. 32. & 33. de a. 1594. §. 27. de a. 1641. §. 81. *sequ. Instr. P. Osn. art. XVII. §. 9. Recess. Imp. noviss. §. 7. & 126.*

§. XI. In publicam imperii tranquillitatem, nec non statuum, & membrorum ejusdem securitatem graviter impingunt, qui insuperhabitis, spretisque, quas modo memoravimus (§. X.), constitutionibus publicis delectum in Imperio, atque statuum territoriis vel ipsi instituunt, aut, ut ab aliis instituatur, permittunt; de quo nemo dubitat. Non mirum itaque, si in transgressores hisce ipsis imperii legibus condignæ sancitæ pœnæ, earundemque vigore pro modo admissi, conquisitores isti vel ut hostes atque perduelles puniantur (a), vel tanquam pacis publicæ violatores banno

imperiali subdantur, processu contra eosdem juxta ordinationem executionis, aliasque imperii leges formando (b).

SCHOLION. Pro modo admissi impingentes in hasce imperii leges puniendos esse diximus. Gravius etenim peccant, qui e. g. publicis imperii hostibus copias militares subministrant, quam qui alia ratione circa modum conquirendi milites delinquunt; uti per se patet, & latius persequitur HORN. *in d. Disquisit. de libertate Statuum Imp. militandi exteris. thes. 40. sequ.*

(a) *Arg. L. 1. 3. π ad Leg. Jul. Majest. Recess. Imp. de a. 1541. §. 69. 1544. §. 72. & 73. Capit. Joseph. art. 15.* Wollen wir wider denselben / als des Reichs Feind / mit Confiscirung aller seiner Haab und Güter / auch sonsten nach Anleitung der Executions / und anderer Reichs-Ordnungen auch gemeinen Rechten nach aller Schärffe verfahren; dergestalten / daß selbiger auch an seinen Erb- und Lehenschaften / Anwartungen und Rechten / auch Haab und Gütern / Aemtern und Dignitäten / oder auch da man ihn ertappet / an Leib und Leben . . . . abgestraft werden solle ꝛc.

(b) *Recess. Imp. de a. 1570. §. 15.* Da aber einiger Obrister / Rittmeister ꝛc. ibi: soll derselbig nicht allein mit der That ohn weitere Erklärung in der Acht seyn; sondern auch alsobalden durch den Crayß-Obristen Zu- und Nachgeordnete in Bestrickung genommen / ihme seine Werbung niedergelegt / das Kriegs-Volck / da es allbereit vorhanden / getrennet / und sonsten weiters / was des Reichs Executions-Ordnung vermag / fürgenommen werden ꝛc. Eadem repetuntur in Recess. Imp. de a. 1576. §. 46. Da aber einiger Obrister ꝛc.

§. XII. Milites conquirendi potestas ad superioritatis territorialis complexum pertinet (§. XVII.). Enimvero superioritatis jura citra domini territorialis consensum in alieno exercere nefas (a). Non minus itaque in Principis aut Status Imp. territorialia jura injurius erit, qui invito eodem intra territorii sui limites delectum instituere præsumserit.

SCHO-

SCHOLION I. Idque tam de Exteris, quam de Conſtatibus intellige; cum pari utrinque ratione in ſuperioritatis territorialis jura impingatur, & intuitu domini territorialis perinde omnino ſit, ſive a conſtatu, ſive ab extero Principe turbationes proveniant.

SCHOLION II. Aliud tamen dicendum, ſi quis in territorio alieno jure Armandiæ, aut ſequelæ inſtructus ſit (§. IV.); quo caſu non tam alieno, quam proprio nomine miles conquiritur: licet diffitendum haud ſit, mutilam admodum eam eſſe ſuperioritatem, quæ absque Armandiæ & ſequelæ militaris jure intra ſolos jurisdictionis terminos ſeſe continet.

(a) *Inſtr. P. Osnabr. art. VIII. §. Unanimi quoque &c. ibi:* "In antiquis ſuis juribus prærogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis tam in eccleſiaſticis, quam politicis exercitio, ditionibus, regalibus eorumque omnium poſſeſſione ita ſtabiliti, firmatique ſunto, ut a nullo unquam ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint vel debeant.„ *Capitul. Cæſarea. art. I.* §. Und wollen nicht geſtatten ꝛc.

§. XIII. Cum in fractæ pacis publicæ crimen haud dubie incidat, qui vi aperta, coadunatis hominibus alieni territorii limites ingreditur, inibique ſuperioritatis territorialis jura cum violentia exercet (a): eum, qui invito, immo prohibente territorii domino militem intra ditiones ejusdem violenta manu colligit, a fractæ pacis publicæ crimine abſolvi haud poſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Nec intereſt, utrum per ſe quis, an per alios ejusmodi delectus violentos inſtituat; cum non ii tantum pacem publicam frangere cenſeantur, qui vim publicam ipſi inferunt, ſed etiam, qui conſentiunt, etſi non interſint, atque mandatum ſolum dederint aliis, vel per ſuos vim inferri curent, aut etiam ſinant (b). Ceterum vim hic loci præcipue intelligimus, quæ domino territorii, non vero, quæ ipſis ſubditis infertur; utpote de qua mox pluribus ex profeſſo diſquiſituri ſumus.

(a) Vid. Land-Friede *de an. 1548. pr. §. 1.* verbis: Daß auch keiner den andern seiner Possession, Inhabens oder Gewehr/ es wären Schloß/ Stadt/ Dörffer/ Kirchen/ Clöster/ Clausen/ Zinß/ Gülten/ Zehenden/ liegend oder fahrend Haab/ und Güter/ Regalia, Jurisdiction, Gericht/ Hoch- und Obrigkeiten/ geistlicher und weltlicher Zöllen/ Wasser/ Weyde/ und aller anderer Gerechtigkeiten/ nichts ausgenommen/ mit gewährter Hand/ und gewaltiger That frevbentlich entsetze/ noch seine Unterthanen abziehe rc. Confer quoque BLUM. *ad Process. Cameral. tit. 29. §. 41. & 42.* Omne quippe factum, publicam securitatem violans, pro violatione pacis publicæ merito habetur.

(b) Land-Friede d. an. 1548. *tit. 6.* Von aufgerichten Land-Frieden §. 1. verbis: Daß hinführo unser keiner dem andern rc. aliisque locis passim.

§. XIV. Consequitur: quod, quæ in pacis publicæ violatores pœnæ sancitæ sunt, eæ omnes adversus violentos militum conquisitores in territorio alieno, wider gewaltthätige Werber in fremder Herren Landen/ locum sibi vindicent; ac proin tum ad banni pœnam, tum ad mulctam 2000. marc. auri puri, pro re nata etiam gravius supplicium, nec non ad interesse judicio sive criminali, sive civili agi queat (b).

(a) Videatur de hisce pœnis ipsa *Pacis Publ. Constitutio de a. 1548. tit. 3.* Die Pön der Friedbrecher rc. GAIL *de Pace Publ.* BLUM. *cit. l. tit. 29.*

§. XV. Quodsi militem in alieno territorio conquirentes, publicam adversus territorii dominum vim quidem nullam adhibeant; eo tamen invito delectum instituant: tanquam temerarii jurium superioritatis violatores (§. XII.) pro circumstantiis sive aggravantibus, sive mitigantibus arbitrariis pœnis subjiciendi erunt (a): quæ, quin propter rationes supra allatas (§. X.) ad mortem usque protendi vacant, dubium nullum subest.

SCHO-

SCHOLION I. Puta, si ad iterata mandata inhibitoria, spretisque pœnis, in iisdem contentis, conquisitores illi contra audentius eant, adeoque crescente protervia pœnæ quoque exasperandæ sint, plerumque carceri mancipantur, aut ad operas publicas in ergasteriis & domibus correctoriis in Werk- und Zucht-Häusern condemnantur: quin quod haud raro fustigari, relegarique cum infamia soleant, exemplis in statuum territoriis id passim comprobantibus. De injuriarum actione, dominis territ. competente, vid. BLUM. *Cap. XXIX.* §. 31. GAIL. *de P. Publ. C. XVI. n. 26.*

SCHOLION II. Hæc equidem ita obtinent, si nulla alia delicti ratio concurrat. Quodsi aliæ insuper criminum publicorum rationes supervenerint: ad easdem quoque in determinandis pœnis attendendum erit; uti ex sequentibus dilucidum evadet.

(a) Vid. LAUTERBACH *Colleg. Theor. Pr. ad π. Lib. XLVIII. tit. 7. §. 2.* STRYCK. *U. M. ad eund. tit.*

§. XVI. *Plagii crimen* dicimus, quando quis hominem, sive liberum, sive servum dolo malo supprimit; celat, aut, sive vendendi, sive alterius utilitatis captandæ, lucrive faciendi gratia abducit (a).

SCHOLION I. Plagia tam apud Germanos, quam Romanos olim fuere frequentissima (b), nomen haud dubie inde sortita, quod improbi hi ἀνδραποδισταὶ (c) hominibus veluti plagis retibusque insidientur: aut quod fiant πλάγιον, id est δολίως, fraudulenter ac dolose subducendo vendendoque homines.

SCHOLION II. Committitur plagii crimen variis modis, quos jam enucleatius hic recensere haud vacat. Illud prætereundum non est, quod, licet in servos non minus, quam liberos homines delicti hujus reatus quadret (d): peculiaris tamen ejusdem enormitas ex liberi aut ingenui hominis suppressione descendat; servorum quippe fraudulentis subductionibus aliis criminalibus judiciis haud raro vindicatis (e). Germanice Menschen-Raubereyen/ dici suevere ejusmodi hominum plagia.

(a) *Tot. tit. π. & Cod. ad Leg. Fabiam de Plagiariis.*
(b) Vid. celeberr. HEINECII *Element. juris Germ. Tom. II. Lib. II. §. XXX. seq.*
(c) *Ad Timoth. 1. vers. 10.*
(d) *L. 6. π. ad d. Leg. Fab. de Plagiar.*
(e) *Ibid. pr.* verbis: *Plane autem scire debemus, posse aliquem furti crimine ob servos alienos interceptos teneri, nec idcirco tamen statim Plagiarum existimari.* Conf. quoque *Lexicon* CALVINI; voce *Plagium.* MERCKLINI *Dissertat. de Plagio militari. Cap. I. §. II. & III.*

§. XVII. Militum in alieno territorio conquisitores, quando liberos homines vel servos dolo malo, clandestinis machinationibus, aut adhibita plane vi abducunt, atque ad amplectenda servitia militaria invitos adigunt, aliisve eum in finem divendunt, præterquam, quod juxta tradita superius (§. XII. & XIII.) pacem publicam, nec non territorialia Principis jura nefario, severissimisque pœnis coercendo (§. XIV. & XV.) ausu violent, juxta cum patria, libertate quoque, quæ ingenuo cuilibet pretiosissima merito habetur, subditos exuunt, eosque in miseræ servitutis statum detrudunt; aut Principem saltem, & rempublicam civibus, dominos servis spoliant. Enimvero qui liberum hominem (a) vel servum (b), dolo malo (c) eundem abducendo, rapiendo, emendo, vendendo, celandove (d) supprimit, plagium admittit (§. XVI.). Conquisitores itaque militum, in alieno territorio subditos vi vel clam invitos ad militiam trahentes, atque furtive subducentes, in plagii crimen incidere dubio caret.

SCHOLION. Violentiæ, doli, atque machinamenta, quibus conquisitores illi utuntur, ut meditatas prædas in retia sua pelliciant, infinita pene sunt numero. Sæpe vi aperta nil tale cogitantes in viis publicis adoriuntur, vinctosque ac ligatos rhedis imponunt, & sic peregre in terras exteras abducunt. Allecti alii extra territorii limites eadem fata subeunt. Quin quod pagos

gos vicosque veluti nocturni fures, atque latrones haud raro subintrent, quo parentibus liberos, liberis parentes, uxoribus maritos immani facinore surripiant, miserandas utrisque orbitates infligendo (e). Ita ante annos non multos Scriniarium feretro, jussu conquisitoris a se confecto, callido invento, ut, an justæ esset longitudinis exploraret, immissum, superinducto operculo, respirandi aeris ergo hinc inde perforato, occlusum, sicque currui impositum, ex patria sua ad exteras oras exportatum ferunt.

(a) *L. 1. L. 4. π. L. 7. L. 15. C. ad L. Fabiam de Plagiar.*
(b) *L. 3. L. 5. π. L. 2. L. 9. C. eod.*
(c) *L. 3. L. 6. §. 2. π. eod.*
(d) *L. 1. L. 2. pr. L. 4. L. 5. L. 6. §. 6. π. L. 2. L. 5. L. 15. C. eod.*
(e) *L. 16. C. pr. eod.*

§. XVIII. Neque est, quod quis obmoveat, clandestinas hasce, aut violentas etiam militum conquisitiones ad plagii crimen vel ideo referri haud posse, quod essentiale plagii requisitum, liberum nimirum hominis, aut servi suppressio desideretur. Neque enim suppressum, aut in servitutem detrusum recte dici, qui, invitus licet, servitiis militaribus addicitur; cum libertatis potius insigne & nobile τεκμήριον militia habenda sit, cui addictus honore dignitateque præfulgeat (a).

(a) *L. inter alias 12. C. de Palatin. L. 3. de re milit.* BRUNNEM. *Comment. in C. 1. ad h. t. L. quamvis §. 1. pr. de Decur.*

§. XIX. Enimvero, utut suum militiæ honorem decusque dubium haud faciamus; neque etiam a civilis imperii rationibus abhorreat, ut ingruente vi hostili, & in necessitatis casu cives, inviti etiam, arma capessere jubeantur (a): id tamen tum demum locum obtinebit, siquis aut sponte sua militiæ nomen dederit; aut a summo magistratu in necessariam patriæ defensionem armatus fuerit (§. IV.). A-

liud

liud omnino dicendum, quando subditi ab exteris militum conquisitoribus abrepti longe e patriæ finibus, velut in exilium, ablegantur, ac sine spe, nativum unquam revisendi solum, invitæ militiæ jugum subire coguntur, injuria atque jactura libertatis haud leviori, ac si durissimam quamlibet aliam servitutem servire juberentur. Ecqua enim major servitus esse potest, quam illa, qua procul ab omnibus vitæ commodis, inter continua militaria exercitia, verbera & plagas inviti, nullaque publica urgente necessitate, ærumnosum spiritum trahere compellimur? cujus acerbitas inde augetur, quando clam ita subducti cives juxta cum conjugibus, parentibus atque liberis, ipsis quoque avitis suis Sacris & religionis libertate exuuntur, ac proin cum corporis, animæ insuper periculo exponuntur. Unde satis elucescit, conquisitores hosce perinde plagii criminis notam contrahere, atque illos, de quibus *L. 6. Codicis ad L. Fabiam de Plagiariis* edicitur: " quod servos ex urbe alienarint, atque ita " interdum eorum scelere ingenui homines asportati fue- " rint. „ Quodsi honoratam conquisitores illi suam militiam velint: tantis eandem sceleribus coinquinare haud debent.

(a) *Arg.* Reichs-Abschieds de a. 1555. §. und demnach ꝛc. KLOCK. *de Contributionibus Cap. III. n. 232.* MYLER ab EHRENBACH. *de Pr. & Stat. Imp. P. II. C. LXXV. §. 1.*

§. XX. Hodiernis Germaniæ, nec non reliquarum gentium Europæ moribus milites plerumque ad dies vitæ militaribus servitiis adscribuntur (§. III. Schol.). Unde perennes patriæ defensores, proprietatis quodam jure civitati adstrictos, in iisdem agnoscit respublica. Quodsi itaque conquisitores exteri, milites jam lectos clandestina fraude, vel vi abducant, aut ad deserendum sua signa dolose persuadeant:

deant: eo enormius plagii crimen admisisse dicendi erunt (§. XVII.), quod præter communes hujus delicti notas (§. XVI.) publici insuper boni gravissima offensa superaccedat (§. XII.).

SCHOLION. Dolosas persuasiones ad plagii criminis reatum contrahendum sufficere, lege Fabia manifesto continetur. Ita enim *L. 6. §. 2. π. h. t.* edicitur: *ut liber, qui hominem ingenuum vel libertinum invitum celaverit; invinctum habuerit; emerit sciens dolo malo; quive in earum qua re socius erit, quique servo alieno, servæve persuaserit, ut a domino, dominave, fugiat; vel eum eamve, invito vel insciente domino dominave, celaverit, invinctum habuerit* (emerit) *sciens dolo malo; quive in ea re socius erit: ejus pœna teneatur.* Quæ verba ad milites nostrates, salvo ceteroquin militaris cinguli honore, optimo jure trahuntur; præsertim, cum in plagio dolose subducentium malitia potius, quam subductorum qualitas attendenda veniat.

§. XXI. In omni delicto idem fere mandantis, atque mandatarii crimen (a); siquidem quod quis per alium facit, ipse fecisse censeatur (b), nihilque intersit, ipse quis occidat, an vero causam mortis dolo malo præbeat (c). Conquisitores itaque militum in alieno territorio, licet ipsi in subducendis subditis manum haud admoveant, sed conducta aliorum ad id opera utantur, atque violentas hasce hominum deprædationes mandent solum: nihilo tamen secius pro plagiariis habendos esse nemo non perspicit.

SCHOLION. Neque infrequentia sunt hujusmodi plagia; cum passim videamus, conquisitores, severioribus Principum mandatis territoria ingredi prohibitos, sgraviori scelere subditos promissis largis criminum præmiis corrumpere, & quæ ipsi nequeunt, per alios ad effectum deducere infanda liberorum hominum plagia.

(a) CARPZ. *Pr. Crim. P. 1. Q. 37. n. 46.* BARTOL. *in L. sed si unius §. servus meus n. 5. π. de injuriis.* CYN. *in L. non ideo*

minus C. de Accusat. TIBER. DECIAN. *in tr. Crim. Lib. IX. C. 33. n. 1.*

(b) *Cap. qui facit 72. de R. I. in 6. L. is damnum 169. π. de R. I.* SALYCET. *in L. non ideo C. de Accusat.*

(c) *L. nihil interest §. 1. ad L. Corneliam de Sicariis. L. non solum 11. §. si mandato 3. π. de Injuriis* CARPZ. *Pr. Crim. P. 1. Q. 4. n. 20. cum allegatis.*

§. XXII. Atque iisdem prorsus ex rationibus pro plagiariis reputandos (§. XX.) esse constat, qui violentas ejusmodi atque clandestinas hominum subductiones mandato in se suscipiunt, aut proditionis pretium ab exteris militum conquisitoribus sibi stipulantur, sociamve iisdem operam commodant (a); eo excusandi minus, quod mandatum in delictis nullo modo, ne juramento quidem confirmatum, obliget (b).

SCHOLION. Idem de receptatoribus ejus generis conquisitorum statuendum (c); quorum, uti & mandatariorum crimen tum omnium enormissimum, si ipsi subducendorum concives, amici, aut sanguine juncti fuerint, ac proin inhumano prorsus proditionis scelere fidelitatis, amoris, & amicitiæ vincula rumpant.

(a) L. 6. §. 2. ibi: *quive in ea re socius erit, ejus* (scil. plagii) *pœna teneatur. π. ad L. Fab. de plagiariis.*

(b) *L. 6. §. 3. & 7. L. 12. §. 11. L. 23. §. 6. π. Mandat. Cap. 58. ※ de R. I. in 6.*

(c) PROSP. FARINAC. *Tr. Crim. P. 7. Q. 168. n. 56. sequ.* MYNSINGER. in §. *ex maleficiis n. 16. Inst. de Action.* GAUDIN in *rubr. de Furibus & Latronibus.*

§. XXIII. Pœnarum in republica magnitudo partim ex delictorum frequentia, & delinquentium incorrigibilitate; partim vero, & maxime ex eorundem gravitate dimetienda (a). Quapropter, cum omnium gravissima offensa sit,

ſit, qua luxato ſocietatis civilis coagulo, interna quies, & quod quisque pretioſiſſimum habet, patria, & libertas ſubditis violento, aut clandeſtino ſcelere adimitur (§. XVI. ſequ.): plagiarios, eos præſertim, qui liberos homines ſupprimunt, ſeveriſſimis pœnis coercendos, ac proin regulariter inflicta ad exemplum aliorum capitali pœna e medio tollendos eſſe, liquet.

SCHOLION. Uti in omni delicto, ita in plagio quoque ſpecialior pœnæ determinatio ſummo magiſtratui relictam eſſe, haud abnuimus (b): interim, juris publici univerſalis, & prudentiæ legislatoriæ regulas exterminium ſuadere eorum, qui veluti generis humani hoſtes, finem, cujus cauſa in civilem ſocietatem coaluere homines, temerariis auſibus impediunt, nemo facile inficias iturus eſt. Nullam ſane aliam ob cauſam tam divinæ, quam humanæ leges, homicidas, latrones, proditores, perduelles, fures, aliaque ejus furfuris reipubl. noxia membra morte puniri jubent. Quidni igitur eandem generalem regulam de plagiariis, in quibus omnia hæcce delicta veluti in colluvie concurrunt, formare liceat?

(a) *Perilluſtr.* WOLFF. *Politic.* §. 343.
(b) ZIEGLER *de Jurib. Majeſt. Lib. I. Cap. V.* §. 55.

§. XXIV. Atque hanc ipſam regulam firmant leges divinæ forenſes, neci tradendos eſſe jubentes eos, qui homines furati fuerint (a), aut qui alia ratione interceptos pretio vendiderint (b).

SCHOLION. In novo teſtamento pœna quidem plagii nullibi definita: enormitatem tamen facinoris ex Apoſtoli verbis colligere licet (c). Ac quantumvis proditor plagiarius Judas ob iniquitatem judicum de proditionis ac plagii crimine incuſatus, aut reus poſtulatus haud fuerit: ipſe tamen laqueo necem ſibi maturando, quam pœnam promeritus fuiſſet, veluti in ſemet lata ſententia, luculenter oſtendit.

 (a) Exod.

(a) Exod. *Cap. 21. v. 16. Qui furatus fuerit hominem & vendiderit eum: convictus noxa morte morietur.*
(b) DEUTERON. *Cap. 24. v. 7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de Israel, & vendito eo acceperit pretium: interficietur, & auferes malum de medio.*
(c) Ad Timoth. I. *v.* 10.

§. XXV. Nec aliud legibus civilibus, atque canonicis circa plagii pœnas constitutum. Etenim, licet antiquis reipublicæ Romanæ temporibus arbitrariæ magis & pecuniariæ eædem fuerint (a): recentiores tamen Principum constitutiones plagiariis regulariter capitis pœnam irrogant (b), sacris canonum juribus cum legibus divinis (§. XXIII.) omni ex parte sese conformantibus (c).

SCHOLION. De diversis pœnarum in plagii crimine periodis videndus SCHILTERUS *Exercitat.* ad *π. XLIX.* §. 147. 148. & 149.
(a) *L. ult. π. ad L. Fab. de plag.*
(b) *L. 7. Cod. eod.* ibi: *Horum tibi delictorum licentiæ majore severitate occurrendum esse decernimus: ac propterea, si quem in hujusmodi facinore deprehenderis, capite eum plectere non dubitabis &c.* Item *L. 16. Plagiarii, qui viventium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna cum ceteris ante cognitis suppliciis teneantur. Si quis tamen hujusmodi reus fuerit oblatus, posteaquam super crimine claruerit: servus quidem, vel libertate donatus, bestiis subjiciatur; ingenuus autem gladio consumatur.*
(c) *Cap. 1. X de furtis. Qui furatur hominem, & vendiderit eum: convictus noxa, morte moriatur.* Item *Cap. 4. X de raptoribus.*

§. XXVI. Haud mitiores in plagiis puniendis Germanorum antiquas leges fuisse deprehendimus: sic ex LL. Wisogothorum (a) parentibus ingenuis ob liberos surreptos plagiarios occidendi potestas fuit. THEODORICUS Ostrogothorum Rex capitale delictum effecit (b); sive suppressum peregre quis vendiderit; sive cui donaverit; sive sibi servi-

re

re coegerit. Idem factum a CAROLO M. pœnam capitalem, lege divina sancitam, confirmans (c): nec abludunt speculum Saxonicum (d) atque Suevicum (e), quorum posteriori præcipue plagii crimen, quoad pœnam, furto per omnia exæquatum fuit.

(a) *Lib. VII. Tit. III. §. 3.*
(b) *In edict. LXXVIII.*
(c) *Lib. VI. §. 19. edit.* LINDENBROG.
(d) Ita enim Gloss. Juris Saxonici *Lib. II. Art. XVI. n. 9.* Der einen freyen Mann wissentlich vor einem eigenen verkauft / oder vorhalt / oder beredet / daß er ihme darvon lauffen soll: dem soll man seinen Leib vertheilen.
(e) *Art. CCX.* Da ein Mensch den andern Menschen stihlet / das ist auch ein Diebheit / und wird es in seiner Gewalt begriffen / man schiebet es auf ihn / als andere Diebheit / und wie jung er ist / wie arm er ist / man soll ihn darum hencken.

§. XXVII. Idem hodiernis Germaniæ moribus obtinet, siquidem usu fori plagia capitali plerumque pœna puniuntur, & teste HEINECCIO (a) JCtorum nostri seculi facile Coryphæo, extremis temporibus eo deventum, ut jus Romanum sequerentur Germani: ita ut si celandi liberi hominis causa plagium admissum, ultimum supplicium; sin ob alias causas, fustium ictus, aliave pœna arbitraria decerneretur.

SCHOLION. Probant hancce capitis pœnam, & præjudiciis firmant THEODORIC. *Colleg. Crim. Disp. 9. Thes.* 8. *lit. e.* PETR. HEIGIUS *P. II. Q. 32. p. tot.* FERDINANDEIsche peinliche Lands-Ordnung alleg. a. MERCKLINO *Disp. de Plagio milit. Thes.* 8. ubi de plagiariis hæc habentur: Sollen von denen Land-Gerichts- und Grund-Obrigkeiten durch fleißiges Nachforschen in Verhaft gebracht / und durch die Land-Gerichte mit dem Schwerdt vom Leben zum Tod gebracht werden. CARPZOV. *Pr. Crim. P. II. Q. 83. n. 90. seq.* PHILIPPI *U. M.*

Instit. Ecclog. 92. PROSPER FARINAC, *Tract. Crim. P. VII. Q. 167. n. 95. seq.* ÆGID. BOSS. *tr. Crim. tit. de Plagiariis p. m.* 154. ubi Mediolani hoc crimen capitale esse asserit. MENOCH. *de A. J. Q. Cas.* 536. Ut jam de exemplo plagii Kauffungani, ejusque, quo filius nobilis Domini de Westphal furtivo scelere subductus fuit, quæque HEIGIUS, PHILIPPI, CARPZOVIUS aliique *cit. l.* in medium proferunt, nihil dicamus.

(a) *Element. J. Germ. P. II.* §. 330. *seq.*

§. XXVIII. Ceterum, cum mandantes non minus, quam mandatarii atque socii plagii criminis notam contrahant (§§. XX. & XXI.); hujus vero rei regulariter capitali supplicio afficiantur (§. XXII. seq.): mandantes æque ac mandatorios, auxiliatores & socios plagii criminis, nisi aliud circumstantiæ peculiares suadeant, capite plectendos esse constat.

SCHOLION. Idque leges civiles manifesto definiunt; utpote quibus, socios plagii eadem cum plagiariis pœna teneri, expressis verbis comprehensum est (a), adstipulante communi interpretum, potissimum Criminalistarum sententia (b); salvo ceteroquin prudentis judicis moderamine, atque circumstantiarum, delicti pœnam sæpe augentium, sæpe minuentium, æquo ponderamine neutiquam excluso.

(a) *L.* 5. *L.* 6. *π. ad L. Fab. de Plag. L.* 10. *C. eod.*
(b) BRUNNEM. *ad d. L.* 10. *C. h. t.* HEIG. *d. P. II. Q.* 32. CARPZ. *P. Cr. P. II. Q. 83. n. 93. seq.* PHILIPPI *U. M. Inst. d. Eccl* 92. *n.* 10. ubi a Scabinis Lipsiensibus ita pronuntiatum fuisse, pluribus exemplis probant.

§. XXIX. Qui milites in Principum atque Statuum Imp. territoriis modis illicitis conquirunt, atque subditos clandestina fraude, dolo, vel vi secum abducunt, pro veris plagiariis recte reputantur (§. XVII.). Enimvero pœna

regu-

regulariter capitalis est (§. XXII.). Conquisitores igitur in alieno territorio plagiarios capitali regulariter pœnæ subjiciendos esse, nemo dubitat.

SCHOLION I. Rationes peculiares, quæ uti enormitatem, ita pœnam quoque sceleris hujusce adaugent, supra (§. XVII. seq.) inculcavimus. Atque inde patet, in plagii militaris in alieno territorio admissi crimine rarius, quam in plagio ordinario, gratiæ locum dandum esse. Confer COEPEN *Lib. II. Obs.* 35.

SCHOLION II. Pœna regulariter gladii esse solet: nisi enormitas facinoris, ex circumstantiis dijudicanda, rotæ supplicium, aut in partes dissectionem, veluti in plagio Kauffungano complici cuidam evenit (a), irrogandam esse jubeat; quæ omnia prudens judicis arbitrium ex æquo moderabitur. Ceterum hæc capitis pœna tum potissimum, & a fortiori locum obtinebit, quando conquisitores illi milites Principis lectos, & in numerum relatos plagiario crimine subduxerint (§. XIX.), aut ad deserendum sua signa dolose induxerint.

SCHOLION III. Quodsi fractæ præterea pacis publicæ, aut violati territorii (§. XIII. seq.) crimen accedat: contra conquisitores plagiarios, eorumque auctores tanquam fractæ pacis, aut violati territorii reos ad pœnas insuper, legibus Imp. publicis definitas (§. XIV.), agi poterit.

(a) Confer. CARPZ. PHILIPPI. HEIGIUS *cit. l.* (§. XXVII.).

§. XXX. Porro, cum in delictis, potissimum vero capitalibus, vix personarum dignitas, prærogativa, aut merita attendantur (a), facile colligitur: perinde esse, sive gregarii milites, sive officiales, sive nobiles, sive ignobiles plagia in alieno territorio admiserint; ut potius eidem utrique supplicio capitali subjiciendi sint, nisi fors ex rationibus peculiaribus eam pœnam Principes mitigandam duxerint.

(a) *L. 1. in fin. C. ubi Senator.* CARPZ. *Pr. Crim. P. III. Q. 148. n. 38. 39. & 40.* REUSNER. *Lib. 2. decis. 15. n. 20. cum allegatis cit. l.*

§. XXXI.

§. XXXI. Neque illud obscurum est, quod, cum delictum forum fundet (a), & jurisdictionem in facinorosos det ei, qui alioquin rei judex non est (b): conquisitores militum plagiarios, in territorio deprehensos, Principi, sub quo stipendia merent, extradendi nulla obligatio aut necessitas subsit; ut potius in ipso loco delicti ad exemplum aliorum capite eosdem plectere conveniat (c).

(a) *L. 3. π. de Offic. Praesid. L. si cui 7. §. penult. & L. fin. π. de accus.* L. 1. *& Auth. qua in provincia C. ubi de crim. agi oportet. Novell. 69. Cap. 1. L. 1. C. ubi Senator.*
(b) *Cap. licet. ✕ de foro competente.*
(c) *L. 7. C. ad L. Fab. de Plagiar.* ubi ratio additur: *Ut poenae genere deterreri possint ceteri, quo minus istiusmodi audacia vel servos, vel liberos ab urbe distrahere vel alienare audeant.*

§. XXXII. Mandatarii socii, complices auxiliatores, atque receptatores, in plagii crimine in pari regulariter reatu deprehenduntur (§§. XX. & XXI.). Quin igitur regulariter pari quoque capitis poena puniendi sint, dubio caret.

SCHOLION. Idque potissimum de subditis, concives suos latronum more capientibus, atque exteris hisce hominum coemtoribus, condicto ad mensuram pretio, divendentibus dicendum (§. XVII.); utpote quibus allegati supra (§. XXIII.) ex S. Scriptura textus praecipue applicandi. Confer. omnino CARPZ. HEIGIUS PHILIPPI *cit. locis* (§. XXVII.).

§. XXXIII. Atque ex iis, quae de illicitis, praeprimis autem plagiariis, militum in alieno territorio conquisitionibus pro ratione instituti dicta demonstrataque dedimus, affatim elucescit, quantum pestilentissimo hocce hominum genere purgari rempublicam intersit (a): quin cum per publicos hujusmodi civium, liberorumque hominum praedones pax & securitas civitatis interna penitus evertatur (§. XIX.);

(§. XIX); omnem in eo curam Princeps recte ponit, ut plagiarias hasce militum conquisitiones supprimat, & severissimis, ubi opus, pœnis coerceat, (§§. XXII. sequ.). Quæ si nihil proficiant, nec conquisitores a clandestinis subditorum subductionibus arcere valeant: omnis iisdem ad territorium aditus præcludendus erit, ne transitu quidem concesso iis, qui, dum omnem humanitatem exuunt, ne vulgaribus quidem humanitatis officiis digni (b); sed pro vagabundis potius habendi, atque inusta infamiæ nota ad suos remittendi erunt. Quodsi ne sic quidem conquisitiones plagiariæ cessent: nil superest, quam ut in publicum territorii bannum dentur, & pro patriæ communibus hostibus declarati, omnium ultioni atque vindictæ exponantur (c), veluti generis humani abominanda, modisque omnibus exterminanda opprobria.

SCHOLION. Id quod de exteris potissimum, & armatis militum conquisitoribus dicendum. Subditos enim ipsa pœnarum acerbitas sat superque cohibere poterit. Sed nec illud dubium est, ab ejusmodi plagiariis impetitis, impune eosdem occidendi jus competere, ipso naturali jure vitæ libertatisque defensionem, cum internecione etiam aggressorum, imperante (d).

(a) *L. 3. π. de Off. Præsid. ibi: Nam & in mandatis Principum est, ut curet is, qui Provinciæ præest, malis hominibus provinciam purgare; nec distinguitur unde sint.*

(b) FRITSCH. *de Transf. milit. Opuscul. P. IV. tr. XII. Cap. II. §. 2.* ubi cum FELDENO, ZIEGLERO, PUFFENDORFF. aliisque late evincit, transitum haud concedendum esse illis, a quibus incolumitati & securitati publicæ graviter metuendum.

(c) *Arg. Pacis Publ. de a. 1548. art. III. ibi:* Also in die gemeldte Acht gefallen zu seyn, declarirt, und erklärt werden, ihr Leib und Gut erlaubt seye, und niemands dran freveln, oder verhandeln soll oder mag.

(d) CARPZ. *Pr. Crim. P. I. Q. 32. n. 14. sequ.*

OPUSCULUM VII.

DE

VERO INTELLECTU VERBORUM: Eheliche männliche Leibs-Erben: IN DISPOSITIONE TESTAMENTARIA.

Nulla juris ratio, aut benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum (Agnatorum) *introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* MODESTIN. *L. 25. D. de LL.*

CASUS.

Eusebius, antiquissima Nobilium de Rhodis prosapia oriundus, cum ob vitæ clericalis, quam profitebatur, institutum liberos ab intestato suos futuros heredes nullos agnosceret, condito testamento agnatum Alexandrum de Rhodis heredem scribit forma atque tenore sequenti:

Setze zu meinem wahren rechten Erben den Hoch-Edelgebohrnen Gestrengen Alexander von Rhodis: Also und dergestalten/ daß in berührten Gütern seine eheliche männliche Leibs-Erben ihme succediren sollen. Im Fall aber der Rhodische Stamm

Stamm gänzlich verlöschen/ und meines gemeldten Vettern Alexanders Söhne/ ohne Hinterlassung ehelicher männlicher Leibs-Erben/ mit Tod abgehen/ und von ihren Schwestern eine oder mehrere übrig verbleiben sollte: Solchen Schwestern/ es seyen gleich etliche oder nur eine allein/ meine frey eigenthümliche väterliche und Stamm Güter/ adelich oder unadelich/ sie haben Namen wie sie wollen/ allein verbleiben sollen.

Quoniam teſtator Euſebius ſcripto heredi Alexandro bona ſua ſub expreſſa hac conditione reliquit: quod nonniſi heredes ejusdem maſculi in iisdem ſuccedere, nec ad filias eadem, niſi extincta penitus familia Rhodia, pervenire deberent: dicta bona, fideicommiſſo affecta fuiſſe nemo non perſpicit; utpote quæ per prohibitam alienationem, & ad quosdam, excluſis reliquis, reſtrictam ſucceſſionem non minus, quam per verba directa introduci, noti atque expediti juris eſt (a).

(a) *L. 32. §. 6. π. de legat. 2. L. fin. C. de V. S.* MASCARD. *de probat. concluſ.* 776. *n.* 7. VINCENT. FUSAR. *de fideicomm. ſubſtit. qu.* 499. *n.* 1. VULTEI V. 4. Marp. Conſ. 54. *n.* 90. KNIPSCHILD. *de Fideicomm. famil. illuſtr. Cap. VI. n.* 101. *ſeq.* cum allegatis.

Sed nec de hoc admodum controvertitur. Id potius dubitationem habere videtur, curatiori diſquiſitione, quam impræſens ſumus inſtituturi, haud indignam:

Quousque teſtator Euſebius ſcriptum teſtamen-

to heredem fideicommisso gravare voluerit? An in perpetuum, dum Rhodiorum familia in Alexandri posteris superstes erit? An vero ad tempus solum, ita ut cum Alexandri heredibus ex corpore masculis, seinen ehelichen männlichen Leibs-Erben/ fideicommissaria substitutio expirasse censenda sit?

Rationes, quæ pro fideicommisso personali, & ad proximos solummodo Alexandri heredes restricto, militant.

I.

Posteriori equidem sententiæ, nimirum cum filiis, atque substitutis hisce filiabus Alexandri omnem dispositionem fideicommissariam evanuisse, non mediocriter suffragari videtur, *primo.* Quodsi fideicommissa in genere, utpote heredes gravantia, atque liberam eorundem, de bonis hereditariis pro lubitu disponendi, eademque alienandi (b) & administrandi (c), facultatem restringentia, odio plena (d), modis proin omnibus, & in quantum dispositionis testamentariæ tenor patitur, coarctanda sint (e).

(b) KNIPSCH. *cit. l. Cap. 11. p. tot.* ALEXAND. *in L. filius familias §. divi. & ibi* JASON *π. de legat.* 1. PARIS. *consil. 32. n. 16. & 82.* ROLAND a VALLE *cons. 43. n. 45. lib. 4.* DECIAN. *consil. 10. n. 53. & cons. 55. n. 58. lib. 3.*

(c) *L. Dudum C. de contrahend. emt.* BESOLD. *consil. 11. n. 7. & consil. 232. n. 25.* DECIAN. *cons. 625. n. 7.* SOCIN. *consil. 112. n. 11. & consil. 143. n. 23.*

(d) *L. cohæredi §. cum filiæ 2. π. de vulg. & pupill. substit.* GLOSSA *in L. precibus C de impuber. & aliis substit.* GAIL. *lib. II. obs. 137. n. 2.* MENOCH. *cons. 95. n. 20. lib. 1.* CEPHAL. *cons. 268. n. 28. l. 2. & cons. 620. n. 1. l. 5.* CONSIL. MARP. *Vol. 1. cons. 29. n. 132.* CRAVETTA *cons. 180.*

(e) DD.

(e) DD. communiter cum SOCIN. *sen. cons.* 113. *n.* 8. *vol.* 1. CORNE. *cons.* 186. *n.* 11. *& cons.* 304. *n.* 14. *vol.* 3. & post ALCIATUM in *L. centurio n.* 58. *π. de vulg. & pupill. substit.* NATTAM *cons.* 206. *n.* 8. PEREGRIN. *de Fideicomm. art.* 1. *n.* 39. *seq.* KNIPSCH. *de Fideicomm. Cap. VII. n.* 82. HERTIUS *Consil. & Respons. Tom. I. Resp.* 8. *n.* 10. *Resp.* 41. *n.* 4. *Resp.* 69. *n.* 4. *Resp.* 419. *n.* 6.

II.

Quapropter, cum Eusebius in dispositione hacce sua testamentaria agnato heredi, id est, Alexandro de Rhodis, heredes solummodo corporis, **seine eheliche männliche Leibs-Erben** / substituerit; **Leibs-Erben** autem heredes natos ex generatione, quæ est sine medio, sive immediatos significent (f); nec de heredibus ulterioribus, seu nepotibus, nisi forte præmortuis heredibus primis atque immediatis corporis ii solum superstites fuerint (g), intelligi queant (h): prono alveo consequi, fideicommissum ad solos Alexandri filios, &, quæ his substitutæ fuere, filias restringendum, ultraque primi gradus descendentes neutiquam protendendum esse.

(f) WEHNER *Observ. Pract.* voce **Erben.**

(g) Idem *cit. l.* p. legem: *qui liberis. in fine π. de vulgar. substitut.* probante BARTOLO in *L. cum filius* 113. *π. de condit. & demonstrat.*

(h) Idem WEHNER *cit. l.* pro explicatione doctrinæ BALDI. *in L.* 1. *de constit.*

III.

Indubitati quippe juris esse, quod, si fideicommissum ordinans aut instituens ad certum personarum numerum, quavis ratione determinatum, veluti ad generationem primam vel secundam respectum habuerit, ultra illas fideicommittentis dispositio haud porrigatur, utut plures adsint ejus-

dem familiæ (i). Neque enim in substitutione fideicommissaria extensionem de persona in personam, aut de casu ad casum locum habere (k), licet a testatore expressa conservandæ agnationis atque familiæ ratio militet (l); eoquod conservandæ familiæ & agnationis ratio haud efficiat, testatorem disposuisse, quod tamen revera non disposuit (m): quin potius expressa a testatore ratione illa, ipsum favorem familiæ suæ tantum in casibus expressis considerare, atque bona in agnatione & familia eatenus saltem, quatenus substituit, conservare voluisse censendum; ac proin rationem illam secundum terminos dispositionis intelligendam esse (n).

(i) *L. 38. §. 2. π. de legat. 3.* Consil. TUBING. *Tom. Consil.*
(k) *L. si quis ita 16. §. pen. π. de testament. tutela.* CUMAN. *in L. commodissime* 10. *π. de liberis & posthumis.* TIRAQUELL. *in L. si unquam verb. Libertas n. 23. C. de revocand. donat.* CRAVETTA *Vol. I. consil. 161. n. 16.* MENOCH. *consil. 171. n. 15.*
(l) Ita post RUINUM, DECIUM, PARISIUM, CRAVETTAM, NATTAM, ROLANDUM, GABRIELEM, MENOCHIUS *cons. 175. n. 8.*
(m) IIDEM & DECIANUS *Vol. 2. Resp. 26. n. 86.*
(n) Pro declaranda doctrina BARTOLI post ALEXANDRUM, CORNEUM, DECIANUM & alios, ALCIATUS *in L. si pater fundum* vers. *tertius est casus.*

IV.

Nec ad rem facere, quod filiis Alexandri absque heredibus masculis decessuris: Im Fall der Rhodische Stamm gänzlich erlöschen / und des gemeldten Alexandri Söhne/ ohne Hinterlassung ehelicher männlicher Leibs-Erben/ mit Tod abgehen / und von ihren Schwestern eine oder mehrere übrig verbleiben sollte / filiæ ejusdem demum vocatæ, atque fratribus substitutæ fuerint, ac proin testatorem Eusebium omnes ab Alexandro descendentes successores masculinæ prosapiæ fideicommissi vinculo ligare voluisse, vero admodum simile

evadat.

evadat. Perperam enim hunc ſenſum teſtamenti verbis affingi, mentione heredum maſculorum filiorum Alexandri alium plane in finem facta, quam ut ipſi quoque fideicommiſſi onere gravarentur. Ad fratres potius ipſos, ſeu filios Alexandri, eam diſpoſitionem referendam eſſe, quos, quoniam alias cum ipſis fideicommiſſi inſtitutio penitus evanuiſſet, conſequenter bona illa ex eorundem voluntate facile ad extraneos, aut filias ſaltem proprias pervenire potuiſſent, teſtator eo hic onere gravare voluit, ut ſororibus, in vita tum exiſtentibus, tanquam magis dilectis teſtatoris cognatis, bona teſtamentaria reſtituerent; maſculis heredibus non in ſubſtitutione, ſed in conditione ſolum (o) vel ideo poſitis, ne horum quoque intuitu dictis Alexandri filiis ligatæ manus, atque facultas, liberis ſuis maſculis ea bona relinquendi, ademta fuiſſe videretur. Hoc etenim quantum ab agnationis favore abiiſſet, neminem non videre.

(o) *L. 16. §. 1. de Vulg. & Pupill. ſubſtit. L. 1. §. 8. ad Leg. Falcid. L. 8. π. Siquis omiſſ.* COCCEJI *Jus Controverſ. Lib. 28. tit. 6. Q. 19.*

V.

Hæc Euſebii teſtatoris mens, cum clara ſit & dilucida, totusque teſtamenti contextus commonſtret, quod ſcripto heredi Alexandro primum ejusdem filii, dein filiæ, ſed ſub conditione ſaltem, ſi earundem fratres absque prole maſcula legitima deceſſuri eſſent, ſubſtitutæ fuerint; de ulteriorum autem heredum gravamine ne γρῦ quidem appareat: fruſtra ad conjecturas & præſumtiones confugit; utpote quibus fideicommiſſa neutiquam introducantur (p), niſi vim probandi certam, & indubiam habeant, & neceſſaria velut conſequentia diſponentis inde intentio eliciatur (q).

VI.

(p) PEREGRIN. *de fideicomm. art. 11. n. 33.* GRIVELL. *deciſ. 125. n. 82.* COCCEJI *Conſil. Tom. 1. p. 746. n. 70. & 71.*

(q) *Arg. L. 19. C. de R. V.*

VI.

Liquido itaque patefcere, non perpetuum, fed perfonale folum fideicommiffum in præmiffis teftamenti verbis contineri; nec ultra heredem Alexandrum ejusque filios quempiam gravatum effe; proin filiabus, haud verificata conditione, fub qua ipfis bona reftituenda erant, jam dudum emortuis, Alexandri pofteros nepotes, atque abnepotes, quo minus de hifce fuis bonis, extra familiam etiam eadem alienando, difponant, absque omni juris colore, & refragante prorfus Eufebii difpofitione teftamentaria prohiberi, factasve difpofitiones teftamentarias eo obtentu tanquam invalidas impugnari.

Rationes, quibus perpetuitas fideicommiffi in ftirpe Alexandri de Rhodis mafculina evincitur.

VErum enimvero, utut hæc veritatis quandam fpeciem habeant, atque incautis facile fucum facere apta fint: nihilominus teftatorem Eufebium in linea mafculina defcendenti Alexandri de Rhodis fideicommiffum perpetuum ordinaffe, pluribus longe, iisque graviffimis rationibus corroboratum fiftimus.

I.

Primo namque, heredis appellationem per multas fucceffiones accipi, nec tantum ad proximiorem heredem, fed & ad ulteriores referri, ita ut heredis heres & deinceps ea appellatione contineatur, explorati ac certi juris eft (a). Quapropter cum Eufebius in ordinatione fideicommiffi, feu, fi mavis, fubftitutione facta Alexandro heredi fuo, generali voce ehelicher männlicher Leibs-Erben ufus fuerit: de omnibus Alexandri pofteris mafculinæ profapiæ eundem cogitaffe, quis dubitet?

(a) L. 65.

(a) *L. 65. L. 170. π. de V. S.*, ibi: *Heredis appellatione omnes significari successores credendum est.* CALVINI *Lexicon jurid.* voce: *Heres.* SCHURFF. *Cent. 1. Consil. 64. n. 7.* CARPZOV. *Resp. Lib. VI. tit. 9. Resp. 92. n. 11.*

II.

Neque etiam, heredum nomen in substrato casu per adjectam vocem Leibs/ sive *corporis*, ad heredes immediatos, sive filios Alexandri restrictum fuisse, aut in his omne fideicommissi onus, atque substitutionem desiisse, credendum est. Reclamat siquidem genuina *heredum corporis* notio; vi cujus tam nepotes, pronepotes & reliquos posteros, quam filios a patre, avo, proavo reliquisque ascendentibus sanguinem trahere constat, licet posteriores immediate, illi vero mediate, generatione una alterave intermedia. Proin tam nepotes, quam filii voce Leibs-Erben indubie continentur; id quod confirmat generalis usus, praxis & observantia omnium locorum, atque curiarum notorius stilus. Atque per Leibs-Erben heredes, in linea recta descendentes, indigitari, infinitis instrumentis, investiturarum literis, aliisque documentis evincitur (b); adstipulante universo JCtorum ordine (c), quorum vix cuipiam, ea verba de filiis solummodo accipere, unquam in mentem venit, si WEHNERUM (d) excipias, qui tamen vel invitus hanc suam sententiam diversimode limitare coactus fuit; tum nimirum nepotes & ulteriores sanguinis heredes hac quoque voce comprehendi admittens, quando tempore contractus hi soli extiterint (e). Ut ut sit, forte an de eo casu vir jurium alias peritissimus locutus est, quando *heredis corporis* in singulari numero mentio facta, ubi in uno tantum, eoque proximo ea institutio verificari possit; illud quoque, *heredibus corporis*, in plurali numero vocatis, locum habere, ut credam, nunquam me induci patiar. Eheliche männliche Leibs-Erben certe aliquid plus, quam filios indigitant, testatore a-

lias inutilibus adeo & superfluis circumlocutionibus nunquam usurpaturo, & per quatuor voces declaraturo, quod per unicum aut duo verba: Söhne/ eheliche Söhne/ æque facile fieri potuisset.

(b) KLOCK. *Conf. Tom. III. Conf.* 172. *n.* 465. *& sequ.* passim; ubi in causa fideicommissaria Comitum de KÖNIGSTEIN, per verba: männliche eheliche Leibs-Erben/ descendentes heredes masculos intellectos fuisse, late deducitur. De BERGER *Consil.* 409. HORN. *Resp. Class.* 7. *Resp.* 25. quo loco Leibs-Erben manifesto pro descendentibus accipiuntur. KNICHEN. *de Vestiturarum pact. P. I. C.* 2. *n.* 26. *sequ.* COEPPEN *decis.* 39. *n.* 25. & 25. item *decis.* 54. BESOLD. *Thes. pract.* voce Leibs-Lehnbare Erben; ubi plures investiturarum formulas adducit, ex quibus Leibs-Lehns-Erben/ männliche Leibs-Lehnbare Erben descendentem lineam primi acquirentis comprehendere elucescit. CONSIL. TUBING. *Tom. II. Consil. II. per tot. Conf.* 28. *n.* 4. ubi per Leibs-Erben descendentes clare intelliguntur. RÜDINGER *Obser. Cent. II. Obs.* 11. verbis: *de jure feudorum.*

(c) Confer modo All. DD.

(d) *Rat. Dubitat. II. lit. f.*

(e) *Ibid. lit. g. & h.* RUIN. *Consil.* 159. *n.* 19. KLOCK. *Tom. IV. Conf.* 14. *n.* 54. verbis: *non attingam &c.*

Interim specialior determinatio *heredum ex corpore*, Leibs-Erben/ in feudis, & fideicommissis, ubi ex mente concedentis, aut disponentis, bona non nisi ad descendentes in linea recta pervenire debent, minime pro abundanti reputanda est. Excluduntur quippe per hanc adjectionem omnes heredes adscititii, extranei, adoptivi, & qui a primo acquirente sanguinem haud trahunt: sicut per vocem eheliche/ illegitimos & naturales, per verbum männliche/ feminas a successione arceri, nemo non videt (f).

(f) KLOCK. *cit. Consil. n.* 465. item *Tom. IV. Consil.* 8. *n.* 3. ibi: geben die Worte: ohne Leibs-Erben zu verstehen/ *quæ notan-*

ter

ter posita, ut alium heredem, qui natus est ex alieno corpore, penitus excludant. allegans FERRAR. *in form. libel.* quo agitur ex substitutione in verbis: *ex suo corpore. n. 1.*

IV.

Prono hinc consecutionis filo deducimus, Eusebium de Rhodis in dispositione hac sua testamentaria, instituendo Alexandrum de Rhodis heredem, eidemque substituendo seine eheliche männliche Leibs-Erben/ totam lineam descendentium masculinam fideicommissario nomine vocasse: ita tamen, ut non admitterentur 1. filii, aut descendentes inde nepotes, naturales & illegitimi; 2. ut, dum superstites masculi forent, excluderentur feminæ; 3. ut soli hic vocati intelligerentur corporis & sanguinis heredes, adoptivis, adscititiis & extraneis nullum in hisce bonis, donec linea Alexandri mascula vigebit, sibi unquam jus arrogare auluris.

V.

Hoc significatu, hoc sensu testatoris Eusebii verba omnes, æqui bonique amantes, mecum accepturos, eo magis confido, quod de substitutione fideicommissaria, seu fideicommisso familiæ agnatico, non introducendo (hoc namque quoad primos heredes ne ipsi quidem adversæ sententiæ castra sequentes in dubium vocant) sed conservando, atque ex verbis claris, &, ut vidimus, comprehensivis extendendo quæstio sit. Quantus in jure (g), potissimum, ubi de splendore familiarum illustrium amplificando atque conservando agitur (h), agnationis favor sit (i), neminem latet. Excluduntur, aut renuntiant saltem, hoc intuitu hereditatibus alias sibi debitis filiæ nobiles; sequiores natu filii modicis portionibus contenti primogenito bona hereditaria relinquunt; ac pleræque inde feudorum & fideicommissorum prærogativæ (k), quæ, cùm familiæ & agnationis stabili-

 men-

mentum præseferant, illibata custodiri jura volunt, in iisdem inducendis extendendisque facillima (l); præcipue, si eam fuisse disponentis mentem, si hunc eundem sibi præfixisse scopum, ex conjecturis haud temnendis appareat (m).

(g) Instit. §. 1. *de Fideicomm. heredit.* ibi: *tantusque favor eorum factus est &c.* Item *L. cogi poterit &c.* 16. *pr.* π. *ad SCtum Trebell.* ibi: *in ambiguo tamen magis de successione sensum dico, ne intercidat fideicommissum.*

(h) Illust. D. de WERNHER. *Tom. V. Obs. 156. p. 472.* Nob. D. de BERGER *Cons. 419.* COCCEJI *Cons. Tom. I. p. 764. n. 186.* cum multis ibi allegatis; potissimum MARZAR. *in tr. de fideicomm. P. II. n. 7.* sub finem concludens: *parum curandam esse illam DDrum assertionem, qui contrarium inadvertenter forsan dixerunt, prout enim dicere solebat JASON in L. divortio. col. 6.* π. *soluto Matrim. cum habeat leges claras, illis potius inharendum, quam Glossæ* & DDbus. HERTIUS *Resp. Tom. I. Resp. 8. n. 9. Resp. 29. n. 4. Resp. 41. n. 13. Resp. 554. n. 6.* PARIS *Consil. 57. n. 9.* MASCARD. *Concl. 775. n. 5.*

(i) KNIPSCHILD. *de Fideicommiss. Famil. Illustr. Cap. VII. p. totum; potissimum n. 85. sequ.*

(k) Idem *cit. l.*

(l) MEVIUS *P. VII. Decis. 16. & 18. n. ult.* RIMINALD. *Jun. 4. Consil. 57. in pr.* BESOLD. *Consil. 137. n. 23.* KNIPSCHILD. *de Fideicom. Cap. 7. n. 98. p. Legem ex facto §. siquis autem* π. *ad SCtum Trebell.* TUBING. *Tom. I. Resp. 92. n. 23.* FUSAR. *de Fideicomm. substit. Qu. 276. n. 5.* recte statuens, quodsi de fideicommisso introducto agatur, etiam leves præsumtiones sufficiant; cum vir nobilis nihil magis desiderare credendus sit, quam suæ familiæ favere, eamque in viridi splendore propagare. ZAS. *Consil. 2. n. 13. in f. & n. 14.*

(m) Illustr. D. de WERNHER *d. Tom. V. Obs. 156 p. 472.* ultima quippe testatoris voluntas ceu cynosura ac norma sequenda. Ibid.

VI.

Eccui vero, Eusebio aliam, quam conservandæ agnationis & familiæ Rhodiæ, mentem fuisse, vel per somnium in-

incidat. Iustituit ille Alexandrum agnatum suum heredem; sed hac adjecta expressa conditione: Daß in berührten Gütern seine eheliche männliche Leibs-Erben ihme succediren sollen. Heredibus hisce Alexandri masculis ulterius substituit ejusdem filias; ast non alia ratione modoque, als im Fall/ da der Rhodische Stamm gänzlich/ quod probe velim notes, verlöschen/ und Alexandri Söhne ohne Hinterlassung ehelicher männlicher Leibs Erben mit Tod abgehen würden: manifesto indicio, Eusebium totum in eo fuisse, totamque ejusdem dispositionem testamentariam eo collimasse, ut stirpi masculinæ, & agnationi consuleret; ne filiabus quidem Alexandri, tum viventibus, quas tamen enixe dilexisse videtur Eusebius, superstite stemmate Rhodio, & heredibus masculis fratrum suorum ad bona fideicommissaria admissis.

VII.

Quodsi, uti ex adverso obtenditur, verba testamenti: eheliche männliche Leibs-Erben: ad filios solummodo pertineant, ita ut heredi Alexandro his tantum testamentaria bona restituendi necessitas imposita fuerit: cur obsecro! masculis substituendo filias non eodem hoc vocabulo Leibs-Erben addita ad distinctionem voce weibliche/ usus est? cur filias, sive sorores Schwestern hic expresse nominat? nisi, ut delatis, verificata conditione, ad ipsas bonis hereditariis, in earundem personis hoc ipso expirasse ordinationem fideicommissariam innueret, omni in filiarum heredibus descendentibus agnationis favore, & familiæ conservandæ ratione cessante? Quæ omnia in agnatis secus se habent; atque eapropter ad hos solos in linea descendenti respexisse testatorem vero est simillimum, filiabus Alexandri, quas tum viventes testator ipse forte noverat, videratque sæpius, ex speciali affectu in subsidium deficientis familiæ Rhodiæ masculæ ad bona hereditaria vocatis, onere injuncto ipsarum fratri-

tribus, ut si masculos heredes nullos relinquerent, fideicommissaria hæc bona sororibus suis, in vita eo tempore extituris, contraderent.

VIII.

Tria nimirum Eusebius in hocce suo testamento constituit. 1. Heredem sibi scripsit Alexandrum. 2. Huic quoad bona, in testamento nominata, in vim fideicommissi substituit heredes suos in linea descendenti masculos *per demonstrata.* 3. Tandem filiis Alexandri sine prole mascula decessuris, ne bona ad extraneos transferrentur, sorores eorundem, in vivis tum futuras, substituit, & ad eas tanquam magis dilectas potius, quam ad fratrum suorum filias hereditatem pervenire voluit. Hæc mens, hæc testatoris intentio, & declarata voluntas adeo clara, certa, atque indubia est, ut nodum in Scirpo, in luce meridiana solem quærere opus haud sit. De instituto namque herede res certa: sed & substitutionum casus in antecedentibus non minus evidenter demonstrati fuere.

IX.

At at, demus etiamnum, in dicto Eusebii testamento per verba ehelicher männliche Leibs-Erben primi tantum gradus heredes significari. An inde melior adversæ sententiæ patrocinantium causa evasura est? Neutiquam. Idque ambabus, quod ajunt, manibus largieris, si modo expendas, quæ de universali fideicommissorum familiæ favore supra (n) in medium allata fuere. Sane licet alias fideicommissum injunctum primis heredibus non censeatur repetitum in sequentibus, id tamen haud procedit in fideicommissis familiarum illustrium, & quando testator bona penes familiam manere voluit (o); idque sive verbis expressis declaraverit, sive ex conjecturis colligatur (p). Quales, an in præsenti

Eusebii

Eusebii testamento prostent, æqui bonique amantes ex hactenus deductis judicent.

(n) Vid. supra *lit. I. K. L.*
(o) Quippe filiorum nomine, ubi de favore non ipsorum tantum, sed totius agnationis agitur, uti in fideicommissis familiæ ostendimus, nepotes quoque, & reliqui descendentes continentur. *arg. L. filii appellatione 84. L. justa. 203. L. liberorum 270. π. de de V. S. L. filium 14. π. ad SCtum Macedon. L. filium 6. π. de his, qui sui vel alieni juris. L. quodsi nepotis π. de testam. tut.* TUSCH. *lit. F. concl. 376. n. 18. & 21.* ZAS. *Consil. 7. per tot. Vol. 1.* DECI. *Cons. 54. n. 4. & 5. Vol. 2.* Potissimum in fideicommissis familiæ. vid. MOLINA *de Hispan. primogen. lib. III. cap. 5. n. 36. & 50.* MARZAR. *de fideicomm. Q. 19.* FUSAR. *de fideicommiss. Substit. q. 480. n. 20. seq.* LYNCKER *Tom. I. resp. 175. n. 26. seq.*
(p) CURTIUS *Jun. Cons. 111. n. 5.* JASON *Consil. 52. vol. 3.* PARIS. *Cons. 63. n. 17.* CRAVETTA *Consil. 155.* MANTIC. *de Conject. ultim. volunt. lib. VIII. tit. 8. n. 12.*

Decisio.

Firma inde atque immota profluit conclusio: quod, qualicunque in sensu dicta testamenti verba capiantur, heredes atque posteri, ab Alexandro descendentes, perpetuo fideicommisso gravati, aut potius insigni, & ad conservationem familiæ sapienter ordinato beneficio mactati fuerint. Quapropter cum illustris familia de Rhodis in Alexandri posteris masculis hodiedum subsistat, filiabus in testamento substitutis dudum emortuis: bona illa, utpote fideicommisso familiæ masculino affecta, nulla ratione sive inter vivos, sive per dispositionem ultimæ voluntatis alienari aut in extraneas personas transferri posse aut potuisse, liquido patescit. Cui sententiæ & ego calculum appono meum.

Re-

Respondetur ad rationes, pro personalitate & restrictione fideicommissi ad heredes primi gradus, supra in medium prolatas.

Ad I.

ATque æquissimæ huic, tam verbis testamenti, quam menti testatoris Eusebii consonæ decisioni minime obstant argumenta, quibus personalitas fideicommissi aut substitutionis evinci, sententiaque contraria corroborari voluit. Etenim, quæ initio statim de fideicommissorum odio, & nonnisi stricta in iisdem admittenda interpretatione adducta fuere, uti ad fideicommissa vulgaria tantum ac plebeja (a), nullatenus vero ad fideicommissa privilegiata familiarum illustrium, in agnationis & nobilitatis favorem introducta pertinent (b): ita de fideicommissis introducendis, neutiquam vero de introductorum ampliatione, atque extensione capienda sunt (c); mente potissimum & intentione testatoris, veluti in casu præsenti, ex omni parte clara atque perspicua. Si libera esse inter privatos commercia; & rerum alienationes, quantum potest, minime restringi expedit: aliud omnino de familiis illustribus dicendum; in quibus bonorum avitorum, & ad splendorem, ac decus familiæ comparatorum possessoribus manus ligari, & alienandi facultatem restringi oppido, quam utile ac proficuum est (d); ne propter immoderatam unius alteriusve e familia, bona avita ac paterna dilapidandi, libidinem tota posteritas sub indigno paupertatis jugo gemere necessum habeat, & cum rerum gerendarum nervo ipse quoque ab antecessoribus derivatus nobilitatis splendor langueat, juxta illud Poëtæ:

(a) KNIPSHILD. *de fideicom. famil. Illustr. Cap. 6. n. 335. seq. Cap. 7. n. 81. & 94. Cap. 16. n. 354.*

Heu

Heu quam sæpe gemit rerum indiga virtus!
Quam contemta jacet, si sacra pecunia desit!

Utrum igitur fideicommissorum familiarum illustrium saluberrima instituta ex mente adversariorum coarctanda, & non potius omni meliori modo dilatanda, promovenda, atque amplianda sint, ii judicent, queis

De meliori luto finxit præcordia Titan.

(b) COTHMANN *Tom. V. Resp.* 4. *n.* 138. Item *Resp.* 11. *n.* 467. Ex receptissima interpretum sententia, quæ habet, quod fideicommissa favore agnationis & familiæ introducta & ordinata excellenti gradu favorabilia intelligantur, & per interpretationem adjuvanda, longiusque producenda, denique per jurisdictionem magistratus conservanda, & propaganda sint, in *L. testamentis π. de R. J.* FULGOS. *Consil.* 79. *circa fin.* CUMAN. *Consil.* 2. *n.* 4. PETRUS ANCHORAN. *Consil.* 27. *n.* 6. MARIAN. SOCIN. JUN. *Consil.* 181. *n.* 39. MAZAR. in *Epitome fideicomm. P.* 2. *q.* 1. HONDED. *Consil.* 63. *n.* 101. *lib.* 1. *P.* 4. FRIDER. PRUCKMANN. *Consil.* 1. *n.* 164. *& seq. Vol.* 1. MARZAR. *Consil.* 1. MENOCH. *Consil.* 97. *n.* 117. *Consil.* 117. *n.* 36. *Consil.* 150. *n.* 17. *late.*

(c) Vid. supra *rat. decid. V.*

(d) KNIPSCH. & COTHMAN. *dictis locis*, cum communi DD-rum & interpretum schola; sunt quippe fulcra familiarum *L. quisquis &c.* cum ibi notatis C. ad *L. Jul. Majest.* SOCIN. SEN. *Consil.* 30. *& Consil.* 90. *Vol.* 1. & agnatio atque posteritas pari cum vita passu ambulant *L. Advocati in fin. C. de Advocat. divers. Jud.*

Ad II.

Per verba eheliche männliche Leibs-Erben non proximos heredes aut filios tantum, sed universam descendentium in linea recta masculorum propaginem intelligi, in rationibus, pro perpetuitate fideicommissi supra (e) prolatis, ad nauseam usque adstruximus. Ita concordes, ita unanimes sunt JCti in acceptione horum verborum pro *descendentibus* (f), ut

mirari subeat, qua ratione dispositio hæcce testamentaria dubia cuipiam videri potuerit, adhibitis in ordinatione fideicommissi a testatore verbis, ex proprio & nativo suo significatu, perpetuitatem fideicommissi arguentibus, eo potius in præsenti casu admittendam; quod de conservandis bonis familiæ illustris quæstio vertatur, cujus favore a recepto etiam vocabulorum usu recedendum est, modo ne intentio testatoris aut fideicommittentis intervertatur, aut pereat (g).

(e) Vid. supr. *Rat. decid. II. III. & seq.*

(f) KLOCK *Tom. IV. Cons. 10. n. 25.* & passim. Item supra *rat. decid. II. lit. b. alleg. Tom. 3.* HARTM. PISTOR. *Lib. II. Q. 3. n. 66.* ibi: *quamvis itaque in proposito aliqua fuerint addita vocabula, quibus significatur dictionem: heredibus: de solis filiis accipiendam esse: hoc tamen obstaculo esse non poterit, quo minus feudum ex proprietate dictionis heredibus filiis, ut heredibus concessum, atque inde hereditarium existimetur.* Idque ad dictionem: *Legitimis ex corpore descendentibus* ehelichen gebohrnen Leibs-Erben, quod attinet, ex iis, quæ supra firmavimus, manifestum est. Nam de hisce expresse dictum, & tam rationibus, quam auctoritatibus probatum fuit, vocabula ista nihil derogare proprietati dictionis *heredibus.* COTHMAN. *Tom. V. resp.* 4. in causa fideicommissi B. a RECHBERG *n.* 110. *seq.* ubi ex iisdem rationibus fideicommissum perpetuum introductum fuisse evincitur, ac ex voce männlicher Leibs-Erben, testatorem de masculinitate sive sexu masculino cogitasse, satis apparere concluditur; nihil ad rem faciente, quod verbum Lehens Erben diversitatem aliquam innuat; id enim falsum esse erudite ostendit MATHIAS POLENIUS *ibid. Resp.* 10. *n.* 149. nimirum τὸ Leibs ad excludendos heredes transversales, solumque includendos descendentes in linea recta appositum fuit. Unde sequelam ducit, Georgium a Rechberg fideicommissum solum inter descendentes ordinare; ad collaterales vero id protendere non voluisse, idque ipsum *rat. XIII.* ex his verbis: Leibs-Erben confirmat. Confer. *ibid. rat. XXVII.* ibi: und werden die Töchter ferner nicht zugelassen, dann im Fall beyde Söhne ohne Leibs-Erben abgiengen. Item *n. 169.* ver-

verbis: *non obstat igitur*, ubi postquam dixisset feminis masculos antepositos esse, quærit: *Quos autem masculos?* & respondet: *Solos descendentes per verba manifestissima* rechte männliche Leibs Lehens-Erben. Vid. quoque illust. B. a LYNCKER *Resol. jurid.* 96.

(g) *L. cogi &c. in pr. §. & siquis* ubi BARTOL. *n.* 1. *&* 2. *L. ex facto §. fin.* & ibi ALEXANDR. *n. ad SCtum Trebell.* MANTIC. *de conject. ultim. voluntat. lib.* 7. *tit.* 1. *n.* 24. COTHMANN. *T. V. Resp.* 4. *n.* 139. *Tom. II. Resp.* 8. *n.* 91. HIPPOL. RIMINALD. *Consil.* 544. *n.* 35. *vol.* 5.

Ad III.

Unde jam sponte sua concidunt, quæ ratione dubitandi tertia pro evincenda fideicommissi personalitate congesta fuere. Fallunt quippe ea omnia in fideicommissis familiarum illustrium, agnationis favorem respicientibus. Fallunt autem vel maxime in casu substrato, ubi testator Eusebius usus est verbis generalibus Leibs-Erben / & nomine collectivo, totam heredum seriem significatu suo complectente (h); ita ut, dum Alexandri descendentes masculos in infinitum fideicommissi vinculo ligatos asserimus, non ea verborum testamenti extensio, sed clara potius comprehensio dici mereatur: utut in causis fideicommissorum illustrium extensio etiam de persona in personam omnino locum sibi vindicet, si modo ad agnationem respexisse ordinantem pateat (i), intentione ordinantis tum magis, quam verborum proprietate attendenda (k). Quare cum in dispositione testamentaria Eusebii hanc testatoris mentem in aprica luce constituerimus: reliqua quoque adversæ sententiæ in eadem hac ratione dubitandi adducta argumenta corruere, quis non videt?

(h) Post RIMINALDUM, JAC. MENOCHIUM, FRANC. BURSATUM, SURDUM, & alios COTHMANNUS *d. Resp. IV. n.* 111. *seq. late*, CONSIL. TUBING. *Tom. II. Cons.* 11. ubi in ter-

minis fere terminantibus pro perpetuitate fideicommissi pronuntiant, & ad rationes in contrarium allatas solide respondent. Vid. inter rationes alias *n.* 16. verbis: Und wann der verstorbene Sohn eheliche männliche Leibs-Erben hinterlassen solte: So hat der Testator ferner gewollt/ und verordnet/ daß die quæstionirte Güter auf diese des Sohns eheliche männliche Leibs-Erben/ *sine gradus distinctione* kommen sollten; *quo ipso* er wiederum seine *descendentes masculos*, *quibus agnatio conservatur*, *& propagatur*, *& quidem*, *uti dictum*, *sine omni gradus distinctione ad hæc bona* vocirt/ und die Töchter/ oder andere *feminas descendentes filii sui*, von der *Succession* der besagten Güter excludirt. *Cujus nulla alia reddi potest ratio*, *quam amor & conservatio agnationis suæ descendentis*, *ac ut bona quæstionis in illa sint*, *& perpetuo maneant &c.* & paulo post *n.* 19. *Hæc inquam maxime procedunt in nostro casu*, *quo testator non tantum filios suos instituit*, *sed etiam illorum descendentes masculos*, ihre eheliche männliche Leibs-Erben *nondum in rerum natura existentes*, *atque sic sibi plane ignotos*, *exclusis non tantum propriis*, *sed etiam filiorum suorum filiabus*, *ac aliis descendentibus feminis*; - - *certe ex nulla alia ratione*, *quam agnationis testatoris descendentis conservandæ gratia.* Et ita porro.

(i) INGOLSTAD. apud COTHMANN. *Resp. Tom. V. Resp.* 5. *n.* 64. *p. L.* 2. *C. Commun. de Legat. L. in Legatis C. de Legat.* Item *Resp.* 4. *n.* 147. ubi multis auctoritatibus & legibus probatur, ex conjecturis probabilibus pro fideicommissis pronuntiandum esse. Atque ita in omnibus fere tribunalibus decisum fuit teste *Rota Romana in causa Castrorum de* 23. *Maji* 1635. *coram Coccino §. nec dici potest* &c. ubi hæc opinio receptissima dicitur. *Rota Avenionensis* apud HIERON. a LAURENT. *decis.* 214. *n.* 11. & audientia Regni Lusitaniæ teste GAMMA *decis.* 224. *a n.* 9. Similiter decisum Paduæ & Venetiis affirmante PEREGRINO *Consil.* 49. *p. tot. Lib. I. Cons.* 47. *a n.* 5. *ad fin.* Per Senatum Pedemontanum, ut videre est apud THESAUR. *Decis.* 96. *n.* 3. ubi testatur de receptissima DDrum opinione, subditque quod aliud velle afferere sit subvertere & non interpretari testatorum voluntates, quod a viro bono alienum.

(k) *L. non aliter &c. in pr.* 69. *π. de Legat.* 3. KLOCK. *Cons. Tom. IV. Cons.* 9. *n.* 3. *p.* 153.

Ad IV.

Ad IV.

Majoris forte an ponderis erit, id quod ratione dubitandi quarta assertum fuit? Alexandri scilicet de Rhodis filiis, nullo ceteroquin fideicommissi onere gravatis, solas eorundem sorores, in casu extinguendæ cum hisce suis fratribus familiæ Rhodiæ, ipsisque sine heredibus masculis corporis e vita excessuris, substitutas fuisse, non ut nominati hi sui heredes in substitutione quoque comprehenderentur, sed ut in conditione saltem positi intelligerentur (l), eo sensu, quo supra explicatum fuit; atque ita heredibus masculis existentibus, & sic conditione negative adimpleta omnem substitutionis casum evanuisse, tam filiis, quam nepotibus aliisque posteris Alexandri liberrimo de bonis testamento Eusebii comprehensis disponendi arbitrio, & plena potestate relicta. Enimvero, uti neminem æqui bonique amantem, & qui vel limis oculis testamenti verba inspexerit, contortam adeo dispositionis testamentariæ interpretationem probaturum esse existimo: ita falsitatem hujus suæ sententiæ vel ex eo solo intelligere poterant adversarii, quod juxta concordem JCtorum doctrinam liberi, in conditione positi, tum saltem, si testatoris agnati aut cognati sint, in dispositione quoque positi intelligantur (m). Tunc enim, ut illustr. D. SAMUEL. de COCCEJ. (n) verbis utar, conjectura voluntatis vocati ex testamento videntur præ extraneis, sive substitutis, sive fideicommissariis, & testator intelligitur rogasse suum heredem, simulque cognatum, ut liberis hereditatem restituant. Cum enim fideicommissa etiam ex præsumta testatoris voluntate eliciantur; & ita interpretatio fieri soleat: ut ex conjecturis quoque animus fideicommissum relinquentis colligatur (o), nulla magis rationi conveniens est conjectura, quam illa, quod testator proprias successiones alienis præferre voluisse videatur; legibus

 hanc

hanc præsumtionem clare probantibus (p). Adeo autem hæc interpretatio voluntatis obtinet, ut liberi præferantur substitutis, licet in conditione plane positi non sint, sed testator simpliciter dixerit: si filius intra trigesimum annum moriatur, Cajus heres esto; quam conjecturam pietatis leges nuncupant (q), in favorem liberorum promtissimæ (r). Fideicomisso itaque gravati fuere filii Alexandri, sororum substitutarum fratres, ut liberis, seu, ut verba sonant, *heredibus suis legitimis masculis ex corpore* bona testamentaria relinquerent, tanquam in substitutione aperte positis. Quapropter cum verba: *Heredes ex corpore masculi legitimi*, **eheliche männliche Leibs Erben**: totam lineam descendentium complectantur; uti in antecedentibus in longum & latum deduximus: totam descendentium masculorum propaginem substitutam, consequenter omnes Alexandri posteros masculos fideicommissi vinculo ligatos fuisse, evidens est. In posterioribus nimirum verbis **im Fall aber** &c. repetitum velut, & uberius elucidatum, quod in antecedanea heredis Alexandri institutione, ibique adjecta fideicommissaria clausula: **also und dergestalten/ daß in berührten Gütern seine eheliche männliche Leibs-Erben ihme succediren sollen:** dispositum jam fuerat, mente testatoris undique manifesta, quod scilicet agnationi Rhodiæ & descendentibus Alexandri masculis ante omnia prospectum, filiasque solum extincta stirpe mascula superstites in subsidium vocatas voluerit; quo ipso substitutionem filiarum tantum personalem fuisse liquido patescit. Sed cum conditio substitutionis femineæ adimpleta haud fuerit: hisce diutius non immoror, genuinam testatoris & verborum testamenti mentem demonstrasse contentus.

(l) Ita DD Commun. *p. L. 16. §. 1. π. de Vulg. subst. L. 1. §. 8. ad L. Falcid. L. 8. π. siquis omiss.* STRUVE. *Exercit. 32. Thes. 31.* HOTTMAN. *illust. Quæst. q. 13.* WISEMB. *Disp. 57. ad tit. π. de Vulg. & Pupill. substit.*

(m) L.

(m) L. 85. ff. de hered. *Inst.*
(n) *Jur. Civil. Controv. Tom. II. Lib. 28. tit. 6. q. 19. p. 297.*
(o) *L 64. de Leg. 2. L. 69. ad SCtum Trebell. L. 17. pr. eod.*
(p) *L. 30. C. de fideicomm. L. 74. pr. ad SCtum Trebell.*
(q) *L. 101. ff. de Condit. & demonstrat.*
(r) *L. 8. C. de Revoc. donat.* ALCIAT. *1. Præs. 9.*

Ad V.

Cum porro hoc ipso, quæ ratione dubitandi quinta de non inducendis ex conjecturis fideicommissis afferuntur, partim in fumum abeant; partim in fideicommissis familiarum illustrium juxta demonstrata (s) locum non habeant:

(s) Vid. *Supr. Rat. Decid. V. & IX.*

Ad VI.

In testamento Eusebii fideicommissum perpetuum ordinatum, nec ulli ex descendentibus Alexandri posteris masculis, donec fratres aut agnati, ab Alexandro sanguinem trahentes, superstites erunt, bona ab Eusebio relicta alienandi; aut de iis quacunque ratione extra familiam disponendi fas & integrum esse, indubio atque firmo veritatis robore consistit. Et sicuti perillustrem Rhodiorum prosapiam in omne ævum floridam perennaturam summi Numinis bonitate confidimus: ita pro conservatione splendoris ejusdem sapienter ordinatam hancce fideicommissariam dispositionem

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

OPUS-

OPUSCULUM VIII.

DE EO, QUOD JURE NATURALI CIRCA VENATIONES JURIS EST.

§. I. *Dominium rei* definio, quod ſit jus, ſive facultas, re aliqua ſic utendi, atque abutendi, ut alius perinde eadem uti, atque abuti nequeat.

SCHOLION. Differunt nimirum inter ſe *uti*, atque *abuti re aliqua*. *Utimur* re, quando ſalva ejusdem ſubſtantia utilitatem inde percipimus. *Abutimur* eadem, quando aut conſumendo, aut immutando, aut diſperdendo ipſam rei ſubſtantiam, eandem in uſus noſtros convertimus. Sic e. g. ædibus, atque fundis utimur; quoniam ſalva ſua ſubſtantia utilitatem nobis præſtant: abutimur contra frugibus, vino, oleo; eoquod, dum in uſus noſtros hoſce fundorum fructus convertimus, ipſam eorundem ſubſtantiam aut prorſus abſumamus, aut, quoad formam ſaltem eſſentialem, plane immutemus, aliamque ſpeciem induamus. Ceterum uſus vocabulum in ſenſu latiori hic accipimus, quatenus fruendi quoque facultatem includit; cum arctior alias uſus notio neceſſitate, atque indigentia circumſcripta eſſe dignoſcatur.

§. II. *Dominium involvit jus excludendi alios ab uſu, atque abuſu rerum noſtrarum.*

Pone dominium tale jus non involvere: jam nihil obſtabit, quominus alii re noſtra perinde atque nos pro lubitu utantur, & abutantur, uti per ſe patet. At vero hoc notioni dominii e diametro adverſatur (§. I.). Jus igitur, alios ab uſu & abuſu rerum noſtrarum excludendi, cum dominio neceſſario conjunctum eſt.

SCHO-

SCHOLION. Unde dominium recte quoque definiri poterat, *quod sit facultas de re cum exclusione alterius libere disponendi*. Alias aliorum dominii definitiones, quæ aut incompletæ, aut abundantes plerumque sunt, non curamus. Communiter verba: *nisi lex vel conventio obsistat*, adjicere solent. Enimvero, quoniam, quæ lege naturali excluditur, de re disponendi facultas ad jura dominii prorsus non pertinet; qui autem civili lege, aut conventione eidem ponuntur limites, extrinseci, & nonnisi ex accidenti insunt: in regulas rectioris Logices peccare mihi videntur, qui terminis atque adjectionibus plane superfluis definitionem dominii onerant. Quod dominii usus, & exercitium neque legibus, neque pactis adversari debeat, per se patet, nec in definitione monere opus erat.

§. III. Quando in dominium transeunt res, physica in iis mutatio nulla contingit; bene vero moralis iisdem accedit affectio, seu adjectitia qualitas, ex jure seu facultate morali hominibus in easdem competente resultans; quæ id efficit, ut res in dominio existentes considerari possint tanquam diversæ ab illis, queis qualitas ista non adhæret, quæque in dominio non existunt, sed vel nullius, vel communes sunt. Affectio hæc, seu qualitas moralis rei, ex dominio in eandem competente resultans, sive potius ipsum dominium, quatenus ut rei inexistens consideratur, *proprietas* rei vocatur.

SCHOLION. Atque ita in aprico jacet, quid dominii (§. I.), quid proprietatis (§. III.) nomine veniat, quæque inter duo hæc differentia subsit. *Dominium* scilicet de personis magis, *proprietas* de rebus, in dominio existentibus, potissimum prædicatur. Quoniam nihilominus utrinque eadem res denotatur: mirum non est, si promiscue hosce terminos JCti accipiant, atque *dominium* & *proprietatem* pro synonymis habeant (a). Quod proprietatis verbum subinde etiam dominium directum, seu jus in ipsam rei substantiam competens significet, hic loci advertere nil attinet.

(a) HAHN ad WESENBEC. *Tom. II. Tit. de Acqu. Rer. Dom. not. 3. p. 271.*

§. IV. *Res propria* est, quæ in dominio existit (§. I.). Qui vero rem sibi propriam habet, *proprietarius*, item *dominus* audit.

§. V. A re in dominio existente alii jure excluduntur (§. II.), nec nisi domino eadem utendi, aut abutendi facultas competit (§. I.). *Unde patet rem propriam ad dominium ita pertinere, ut eadem ratione ad alios non pertineat.*

§. VI. Dominio opponitur *communio rei*, sive jus re aliqua sic utendi, atque abutendi, ut alius eadem utendi, atque abutendi perinde jure gaudeat.

SCHOLION. Sic in aere communionis jure fruimur; aere enim utendi, atque abutendi perinde omnes jure instructi sunt.

§. VII. *Res communis* dicitur, in qua communionis jura obtinent; sive qua utendi, atque abutendi uni non plus juris, quam alteri competit (§. VI.).

§. VIII. Quoniam in re communi nemo sibi plus juris, quam alter adscribere valet (§. VII.): *res communis ita ad unum pertinet, ut ad alios eadem ratione pertineat.*

§. IX. Atque inde ulterius consit, *quod a rei communis usu aut abusu, saltem partiali, jure nemo excludatur.*

SCHOLION. Intelligimus nimirum rem positive & actu communem, quæ utilitatem omnibus perinde præbere apta sit. An in præsenti rerum statu dentur ejusmodi res communes, & quæ tales sint: ex infra dicendis elucescet.

§. X.

§. X. Res propriæ vel in singulorum dominio existunt, vel ad totius alicujus cœtus atque corporis proprietatem pertinent. *Illæ* dicuntur *res singulorum*. *Hæ* vero *res publicæ*, *seu universitatis* appellantur.

§. XI. Res universitatis, seu corporis, ad singula universitatis, seu corporis membra æquali jure pertinent (§. X.). Horum *intuitu igitur res universitatis pro communibus recte reputantur* (§. VII.).

SCHOLION. Quod dixi, res universitatis ad singula universitatis seu corporis membra æquali jure pertinere: id cum grano salis accipiendum. Neque enim aut pacto, aut conventione, aut observantia etiam inæquale communionis jus introduci repugnat.

§. XII. Porro res universitatis in dominio existunt totius cœtus (§. X.), communes nihilominus singulis ejusdem membris (§. XI.). *Unde modo ut propriæ, modo ut communes considerari queunt.*

SCHOLION. Intuitu scilicet aliarum societatum atque corporum *propriarum*, intuitu vero membrorum ejusdem cœtus *communium* jure censebuntur.

§. XIII. Quando usus rerum respective communium singulis societatis seu corporis membris haud patet, sed in societatem, seu corpus qua tale, directe redundat, atque ita singula ejusdem membra non nisi indirectam inde utilitatem percipiunt: tunc res *in patrimonio universitatis* esse dicimus. *In publico* vero *usu* sunt, quando singula societatis, seu universitatis, membra immediatam inde utilitatem hauriunt.

SCHOLION. Alias divisiones rerum respective communium, a diversitate societatum atque corporum desumtas, studio prætermittimus. Neque enim universam de divisione & dominio rerum doctrinam exhaurire animus est. Id solum addo, quod, li-

cet ab ufu rerum, in dominio publico exiftentium, alii, qui membra focietatis non funt, jure excludantur (§. XII.): ufus tamen, & mores gentium pene omnium perhibeant, hæc quoad ufum rerum, in dominio publico civitatis exiftentium, fœpe non ita ftricte accipi; quin viarum, fluminum, portuum, riparum, atque litorum ufus omnibus pateat. Quo fenfu ejusmodi res juris gentium effe GROTIUS ftatuit (a).

(a) *De J. B. & P. Lib. II. Cap. 2. §. 12.*

§. XIV. Ea hominum conditio, qua introductis inter fe rerum dominiis (§. I.) vivunt, dicitur *ftatus proprietatis, feu dominii rerum.*

§. XV. Cum dominio jus, alios ab ufu rei in dominio exiftentis excludendi, conjunctum eft (§. II.). *In ftatu igitur proprietatis rerum homines fefe mutuo ab ufu, atque abufu rerum fuarum excludendi jure pollent.*

§. XVI. Qui ftatui proprietatis opponitur *ftatus communionis rerum*, ea hominum conditio vocatur, qua absque introductis rerum dominiis, rebus, æquali jure ad omnes fpectantibus, vivunt (§. VIII.).

§. XVII. Ex eo, quod a rei communis ufu jure nemo excludatur (§. IX.), *in ftatu communionis rerum nemini ab ufu aut abufu rerum alterum excludendi jus effe*, facile colligimus.

§. XVIII. Conveniunt inter fe res communes (§. VII.), atque propriæ (§. IV.), quod in utrisque jus utendi, & abutendi hominibus competens concipiatur, illinc omnibus commune (§. VIII.), hinc ad unum, aut paucos (§ X.) reftrictum. Quatenus igitur utræque tam communes, quam

propriæ

propriæ utilitatem hominibus præſtant: eatenus *in bonis eſſe* non incongrue dicuntur. Res autem propriæ, quæ ad unum ſolum aut paucos pertinent (§. V.), & ſubſtantiam quaſi eorundem abſolvunt, *in patrimonio* præterea exiſtunt.

SCHOLION. Aer. e. g. aut lumen ſolis non minus *in bonis* hominis eſt, quam fundus, aut prædium, quod jure proprietatis poſſidetur. Nec enim illa minus, quam hæc uſibus hominum inſerviunt: prædium tamen, quoniam ex ſuppoſito ejusdem utilitas ad unum aut paucos reſtricta eſt, præterea *in patrimonio* eſſe recte dicitur. Ceterum *in patrimonio eſſe* paulo latius hic ſumitur, quam quando §. XVI. res reſpective communes alias *in publico uſu*, alias *in patrimonio* ſocietatis, ſeu corporis eſſe, diximus.

§. XIX. Ex dictis ſequitur, *res proprias & in bonis, & in patrimonio exiſtere; res autem communes in bonis quidem, non autem in patrimonio cenſeri* (§. XVIII.).

SCHOLION. Res, quæ in patrimonio noſtro ſunt, *pecuniam* JCti vocant (a).

(a) *L. 5. π. de V. S.*

§. XX. A rebus in bonis, atque patrimonio noſtro exiſtentibus, id eſt communibus & propriis (§. XVIII.), differunt res *nullius proprie tales*; id eſt, quæ neque in dominio, neque in uſu communi hominum ſunt, eſſe tamen non implicat.

SCHOLION I. Tales ſunt e. g. gemmæ in mari, a nemine adhuc occupatæ, aut repertæ. Has etenim in patrimonio non eſſe per ſe liquet (*§.* XVIII.): ſed nec in bonis easdem eſſe, vel inde patet, quod uſum nemini mortalium actu præbeant (§. eodem).

SCHOLION II. Porro, licet *res nullius proprie tales*, neque ad

res proprias, neque ad res communes recte referantur, uti ex definitione earundem elucescit: quoniam tamen easdem suas faciendi regulariter omnibus hominibus æquale jus competit, hinc communes a JCtis vocari non infrequens est: ita HUBERUS *in prælectionibus suis juris civilis* (a) ait: *Igitur primo* res communes *sunt*, *quarum jus ex æquo ad totum genus humanum pertinet*, *non modo negative*, *sed etiam positive*. *Mox enim cum genere humano hoc jus natum & fundatum est*. *Sed* res nullius *plerumque vocantur*, §. 5. *in fin. h. t. quia in potestatem singulorum non sunt redactæ*; *vel quia non possunt*, *ut aër*, *& mare*; vel quia non contigerit, ut feræ, ut volucres &c.

(a) *Ad Inst. de Rer. Divis. §. 5.*

§. XXI. Alia est divisio rerum, quod sint vel *dominii capaces*, vel *dominii incapaces*. *Illas* dicimus, quæ in dominio esse non repugnant, sive actu jam propriæ sint (§ IV.), sive nullius, quas in proprietatem redigi non implicat (§. XX.). *Res dominii incapaces* sunt, quæ propriæ fieri plane respuunt.

§. XXII. Res dominii incapaces vel in bonis hominis sunt (§. XVIII.), vel in bonis nullius existunt. *Illas dicimus res communes proprie tales*, quales supra (§. VII.) definivimus, quæ quoad usum in bonis omnium, quoad proprietatem nullius in patrimonio sunt, quo intuitu etiam *res nullius* non raro a JCtis salutantur (a). Res dominii incapaces, quæ ne in bonis quidem hominis existunt, *res nullius stricte tales* nuncupantur.

SCHOLION I. Res nullius stricte tales citra legem positivam, sive divinam, sive humanam, vix dantur. Quæ enim ex lege naturali oritur dominii incapacitas, vix alia est, quam quod res usibus omnium sufficiat. Consequenter, ut communis maneat, optima ratio jubet.

SCHOLION II. Hæcque ideo paulo curatius enucleanda fuere; quo

quo omnem ab hisce terminis ambiguitatem removeremus, &, quantum licet, ad fixum reduceremus. Nimirum si jus naturale spectemus, summa rerum divisio huc redit: quod aliæ sint *dominii capaces* (XXI.), aliæ *dominii incapaces* (§. eod.). Dominii capaces rursum vel *propria* (§. IV.), vel *nullius proprie tales* (§. XX.), propter jus eas occupandi omnibus commune, *communes* etiam dictæ (§. eod. Schol. II.). Res propriæ denuo sunt vel *singulorum*, vel *universitatis*, seu *corporis*, (§. X.), quæ ad communes respective referuntur (§. XI. & seq.). Res dominii incapaces aut *communes* sunt, scilicet *absolute* & *proprie tales*, (§§. VII. & XXII.), aut *nullius stricte dicta*, quales potissimum lege positiva efficiuntur. Ut alias jam divisiones rerum in *corporales* & *incorporales*, *mobiles*, & *immobiles*, & siquas alias jus naturale aut positivum suggerit, silentio prætermittamus.

(a) HEINECCIUS. *Instit. Lib. II. Tit. I. §. 325.*

§. XXIII. *Res inexhausti usus* vocantur, quæ sufficientem omnibus omni tempore utilitatem præstant: *exhausti* vero *usus* esse dicimus, quæ quibusdam saltem ad usus vitæ sufficiunt.

SCHOLION. Aer e. g. mare, atque aqua profluens inexhausti usus sunt; omnibus enim harum rerum usus sufficit. Fundi contra atque ædes nonnisi quibusdam ad necessitates & usus vitæ sufficiunt; hinc ad res exhausti usus recte referuntur.

§. XXIV. *Dominia rerum, in statu etiam naturali, quoad res exhausti usus, actu necessitatibus hominum inservientium, ex absoluta; quoad fundos vero & res limitati usus, alias ex hypothetica necessitate introducta fuere.*

SCHOLION. Demonstrationem propositionis hujus complexæ impræsens nullam addo. Ex systemate juris naturalis eadem repetenda; cum principia præponat longe plura, quam in specimine hocce stabiliri poterant. Interim veritatem ejusdem facile percipient, qui animo serio revolvent, res quamplurimas, usibus homi-

hominum inservientes, nonnisi ingenti labore, atque industria parari; quin nec ipsos agrorum fructus absque cultura & custodia haberi. Hæc artefacta, & parti labore fructus si communes relinquerentur omnibus: amplus hominibus otiosis, & fruges consumere natis, campus pateret, quo ex alieno sudore ignavam vitam traducerent; id quod iniquissimum esse nemonon pronuntiaturus est. Ut jam de continuis altercationibus, litibus, jurgiis, cædibus, aliisque incommodis longe plurimis, ex communione rerum in societate generis humani prono alveo consecuturis, nihil commemorem; sane ut emuncti judicii quivis, loco communionis (§. VI.), dominia rerum introducenda atque communi hominum consensu stabilienda fuisse, facile collecturus sit. Qui plenius de his, quæ diximus, convictus esse cupit, evolvere poterit HUGONIS GROTII (a), PUFFENDORFII (b), CHRISTIANI WOLFFII (c), ULRICI HUBERI (d), aliorumque virorum celeberrimorum tractatus, in quibus de dominiorum origine penitius eruenda ex professo solliciti sunt.

(a) *J. B. & P. Lib. II. C. 2 §. 2.*
(b) *J. N. & G. Lib. IV. C. 4 §. 14.*
(c) *Moral. P. IV. C. 3. §. 88. seq.*
(d) *Digress. Lib. IV. C. 11.*

§. XXV. Juri itaque naturali omnino consentaneum est, ut, *quantum ad res exhausti usus attinet, homines in statu proprietatis* (§. *XIV.*), *neutiquam vero in statu communionis rerum* (§. *XVI.*) *vitam degant.*

§. XXVI. *Causas dominii* dicimus, ex quibus intelligimus, cur, & quomodo res aliqua dominii capax in proprietatem atque dominium transeat.

SCHOLION I. De causis dominii efficientibus necessariis sermonem hic esse per se patet; ex his enim proprie, cur res existat, concipimus.

SCHOLION II. Quin & illud monendum, causas dominii hic in abstracto, non vero in concreto considerari; cum alias quoque ho-

homines ad cauſas dominii efficientes referendi forent; utpote quos & ſubjecta dominii, & cauſas proprietatis rerum eſſe, conſtat.

§. XXVII. Quoniam ex cauſis dominii, cur res aliqua in dominio exiſtat, intelligimus (§. XXVI.); iisque poſitis dominium quoque, ſeu proprietas, rei ponitur: *cauſæ dominii ejusdem determinantia recte ſalutantur* (a).

(a) L. B. de WOLFF *Ontol. P. I. Sect. II. C. 2. §. 114.*

§. XXVIII. Id, ex quo intelligimus, cur res aliqua in dominium tranſire, & propria fieri nequeat, *impedimentum dominii* vocatur.

§. XXIX. Res dominii incapax eſt, quæ in dominio exiſtere nequit (§. XXI.). *Impedimenta igitur dominii rem dominii incapacem reddunt* (§. XXVIII.).

§. XXX. Quod res in dominio eſſe nequeat, vel ex intrinſeca rei natura, vel ex lege eſt. Primo caſu *impedimenta dominii phyſica*, altero caſu *legalia*, ſeu *moralia*, vocamus.

SCHOLION. Phyſica dominii impedimenta moralia ut plurimum impedimenta poſt ſe trahunt. Quam enim rem per naturam ſuam, meam facere non poſſum, eam quoque regulariter lex naturalis in proprietatem redigere vetat. Dominium e. g. in aerem, aut lumen ſolis phyſicam implicantiam involvit. Sed nec ſalvis naturæ legibus eorundem proprietatem quempiam ſibi adſcribere poſſe, facile conficitur.

§. XXXI. Neque illud obſcurum, cum leges aliæ ſint naturales, aliæ poſitivæ, impedimenta dominii, alia eſſe *juris naturalis*, alia *poſitivis legibus* ſuam debere originem.

SCHOLION. Quænam in ſpecie ſint impedimenta dominii ex ſequen-

quentibus, ubi de causis dominii plenius disquisiverimus, elucescet.

§. XXXII. Dominium, seu proprietas, rebus essentialis non est, sed extrinsecus saltem accedit (§. III.); necessario tamen introducenda (§. XXIV.): &, cum indeterminati nihil in hocce mundo existere queat (a), quid, quantumque cuivis in individuo proprium esse debeat, determinandum fuit. Hæc individualis determinatio, seu dominii assignatio, neque per ipsam rerum naturam, neque etiam immediate a Deo facta fuisse dignoscitur. Licet enim Deus homini in prima statim creatione facultatem dederit non solum in vegetabilia, sed & in animantia in cœlo, terra, ac mari nata (b): quas tamen harum rerum, & quantum quilibet in individuo possidere, sibique proprium habere debeat, nullibi divina lege cautum legimus. *Facto igitur hominum opus fuit, quo, quid quantumque pro necessitate, ac indigentia quilibet sibi proprium esse vellet in individuo determinaretur.* Factum hocce liberum, consequenter morale esse, nemo ambigit. *Legi igitur cuidam conforme sit, necesse est.* Neque enim actio hominis libera in individuo indifferens concipitur.

(a) L. B. de WOLFF *Ontol. P. I. Sect. III. Cap. 2. §. 226.*
(b) *Genes. I. 28. 29.*

§. XXXIII. Unde duo sunt, ex quibus *dominii, seu proprietatis* rei individualis existentiam concipimus; *factum* scilicet *hominis*, & *lex*, cui factum istud conforme instituitur. Factum illud dominii acquisitivum *Modus*, lex vero *Titulus* vocatur. *Modus* recte definitur, quod sit factum, ex quo intelligimus, quomodo res individualis, dominii capax, propria fiat: *Titulus* vero, quod sit lex, ex qua moralitas, seu non repugnantia modi cum recta ratione concipitur.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Lex efficit, ut actui alicui existentiam largiri, aut non largiri valeamus. *Titulus* igitur, *ut modus existere queat*, *efficit.*

§. XXXV. Titulus atque modus rationem continent, cur res individualis in dominio existat, atque propria fiat (§§. XXXII. & XXXIII.). *Causas itaque dominii* (*§. XXVI.*), *easque efficientes*, *sufficientes* (a), *& necessarias esse*, *apparet.*

(a) L. B. de WOLFF *cit. l. P. II. Sect. III. C. 2. §§. 886. & 897.*

§. XXXVI. Cumque positis causis efficientibus sufficientibus, effectum quoque poni necesse sit (a): *posito titulo atque modo dominium quoque poni, evidens est.*

(a) Perill. WOLFF. *ibid. §. 898.*

§. XXXVII. Ulterius inde consit: *titulum & modum esse determinantia dominii & proprietatis rerum individualium* (*§.* XXVII.).

§. XXXVIII. Porro quoniam modus ex titulo intelligitur (*§.* XXXIV.): titulus modum præcedit. Unde *modus dominii causa proxima*; *titulus ejusdem causa remota non immerito audit.*

§. XXXIX. Titulus jus seu facultatem tribuit, vi cujus per factum dominii acquisitivum rem nostram faciamus (§. XXXIII.). Quare, cum ambo, tam titulus, quam modus dominii causæ sint (§. XXXV.): illum *causam juris*, hunc *causam facti* salutabimus (a).

(a) Vid. KOEHLER, *Exercit. J. Nat. VII. §. 1511.*

§. XL. *Absque titulo nulla intelligitur, nec procedit dominii acquisitio.*

Titulus est causa efficiens (§. XXXV.), & condeterminans necessarium dominii (§. XXXVI.) Absque causa efficienti constitutiva, & determinante necessario existentia causati, seu effectus non concipitur (a). Absque titulo igitur acquisitio dominii nulla intelligitur.

Aliter. Pone absque titulo dominium acquiri. Dabitur igitur factum morale liberum absque lege, seu norma morali (§. XXXII.); quod absurdum.

SCHOLION. In aerem e. g. aut universum oceanum ut dominium introducatur, nulla lex, nullus titulus concipitur. Unde nec aer, nec oceanus facto aliquo hominis in proprietatem venire poterunt. Neque obstat, quod præscriptionem longissimi, & immemorialis temporis absque titulo procedere JCti statuant (b); id enim de titulis dominii acquisitivis ordinariis, & præscriptioni extrinsecis, neutiquam vero de titulis ejusmodi præscriptionibus propriis intelligendum. Eo ipso enim, quod præscriptionem longissimi & immemorialis temporis justum dominii acquirendi modum esse admittis: titulo quoque eandem justo & proprio subniti, largiaris necesse est.

(a) L. B. de WOLFF *Ontol. P. II. Sect. III. C. 2. §. 898.*
(b) *L. 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* HEINEC. *ad π. P. VI. §. 223.*

§. XLI. *Nec sine modo dominium cuipiam adquiritur.* Demonstratio eodem modo procedit, quo in propositione antecedenti (§. XL.). Est enim modus perinde ac titulus causa dominii efficiens, & determinans necessarium (§§. XXXV. & XXXVII.), quo sine dominium, aut proprietas rei in individuo nulla concipitur (§. XXXVI.).

Aliter

Aliter. Quodsi absque modo procederet dominii acquisitio: solus titulus cum aliis etiam communis plenam rei proprietatem tribuere aptus foret; nec quidpiam obstaret, quo minus e. g. gemmarum in oceano latentium, a nemine hactenus occupatarum, dominum se quisquam venditaret. Id quod absurdum esse nemo non perspicit.

SCHOLION I. At vero his valde obstare videtur, quod saltem de jure positivo dentur acquisitiones dominii ex lege (a), in quibus modus, seu factum hominis, dominii acquisitivum nullum concipiatur, &, siquod forte superveniat, id mere per accidens fit. Enimvero hæc veritatem propositionis, a nobis demonstratæ, minime feriunt. In ejusmodi namque dominia acquirendi modis voluntas legislatoris factum dominii acquisitivum supplet; aut potius loco personarum acquirentium explicat. Sicut, juxta mox dicenda, solo consensu dominia ab uno in alium recte transferuntur: ita mirari non debemus, si, dum publica id ratio suadet, voluntas legislatoris eundem effectum habeat, atque certis in casibus sola legis virtute dominia ab uno in alium transeant; quale quid in successionibus ab intestato offendimus.

SCHOLION II. Veritas harum propositionum (§§. XL. & XLI.) eo apparebit evidentius, si modo perpendamus, quod de certitudine atque justitia dominii acquisiti aliter constare nequeat, nisi mediante ratiocinio, cujus *major* propositio est titulus justus dominii acquisitivus; *minor* propositio modus, seu enunciatio, factum dominii acquisitivum in casu dato rite & in conformitatem tituli fuisse perpetratum; ex quibus deinde *conclusio* de dominio actu, legitimeque acquisito inferatur. Sic demonstraturus, se gemmæ, in mari repertæ, atque occupatæ factum fuisse dominum, ita ratiocinatur:

Titulus. Qui rem nullius, dominii capacem, occupat: is ejusdem rei fit dominus.

atqui

Modus. Hæc gemma fuit res nullius, dominii capax, eamque facto meo occupavi.

ergo

Dominii existentia. Gemmæ hujus factus fui dominus.

Quodsi aut titulum, aut modum abesse ponas: conclusio amplius de dominio vere acquisito inferri nequit; uti ex regulis logicis notum est (b). Aut igitur dominium nullum: aut legitimis idem ex causis (§. XXXI.), scilicet titulo & modo prævio acquiri, concedas opus est.

(a) HEINECC. *ad π. P. VI. §. 167. in not.*
(b) Conf. KOEHLER. *J. N. Exercitat. VII. §. 1511.*

§. XLII. *Dominium acquiritur originarie*, quando primum in rem nullius (§. XX), dominii capacem, (§. XXI.) introducitur. *Derivative idem acquiritur*, quando dominium, quod penes unum jam existit, transfertur in alium.

SCHOLION. Unde, quæ acquisitio dominii originaria, quæ dederivativa sit, facile intelligitur. Derivativa ideo dicitur, quod dominium ab uno ad alium quasi derivatur & propagatur.

§. XLIII. Omnis dominii acquisitio & titulum, & modum præponit (§. XXXII. seq.). *Tam originarias igitur, quam derivativas dominii acquisitiones neque titulis neque modis suis destitui, patet.*

§. XLIV. *Titulus dominii acquisitivus originarius* est lex, ex qua intelligitur, quod in rem nullius, dominii capacem, dominium, seu proprietas, introduci valeat.

§. XLV. *Titulus acquirendi dominium originarius hac propositione absolvitur:*

Rem nullius, dominii capacem, suam facere licet.

Res nullius in dominio non existit (§. XX.); dominii

tamen-

tamen ex supposito capax est (§. eod.). Quando igitur in proprietatem redigitur, nullius jus læditur; nec, quo minus propria fiat, impedimentum subest (§. XXVIII.). Nil igitur prohibet, quo minus rem nullius, dominii capacem, nostram faciamus. Propositio, sive lex, ex qua intelligimus, quod rem aliquam modo legitimo nostram facere possimus, titulus (§. XXXIV.); &, siquidem in rem nullius dominium introducitur, originarius (§. XLIV.) dicitur. Unde hanc propositionem titulum dominii originarium absolvere, liquet.

§. XLVI. Porro, quoniam hæc propositio ad res nullius quascunque, accedente facto, seu modo dominii acquisitivo, suas faciendas sufficit: *eandem titulum originarium universalem, atque unicum esse apparet.*

§. XLVII. *Titulus acquirendi dominium derivativus* est propositio, sive lex, ex qua concipimus, quod dominium ab uno in alterum juste transferatur.

§. XLVIII. *Titulus acquirendi dominium derivativus generalis hac propositione absolvitur:*

Dominium rei ab uno in alium facto, sive spontaneo, sive invito, transferri, non implicat.

Dominus qui est, de re sua libere disponit (§. II.). Quidni igitur dominium quoque rei suæ in alium libere transferat? siquidem rem suam alienandi potestas haud postremum inter jura dominii locum occupat. Sed nec invito etiam domino pro re nata rei suæ dominium adimi, & in alium transferri juri naturali adversatur: id quod vel sola justitia occupationis bellicæ, & præscriptionum æquissima

jura

jura sat superque testantur; ut proin de tituli a nobis asserti veritate dubium nullum supersit.

SCHOLION. Titulos derivativos speciales, translationum scilicet dominii pactitiarum, dispositionum testamentariarum, successionum ab intestato, præscriptionum, occupationum, quæ bello justo fiunt, aliarumque, quæ vel cum ipsis rerum dominiis natæ, vel juris civilis fœtus sunt, ulterius jam non prosequimur; cum perspecto titulo dominii derivativo generali (§. XLVIII.) nullo negotio eruantur. Neque enim alia re opus est, quam ut possibilitatem, seu non repugnantiam, per unum ex prædictis modis rem alterius nostram faciendi, adstruamus; hoc ipso namque de titulo satis constat. E. g. in jure naturali indubiis argumentis solo pacto, seu declaratione animi seria, de re nostra alterius facienda, subsecuta hujus acceptatione, transferri dominium evincimus. At vero hoc ipso titulus in aprico jacet; cum nihil desideretur amplius, quam ut possibilitatem atque æquitatem hujus modi propositione universali, scilicet: *Sola animi declaratione seria dominium rei nostræ in alium acceptantem transferri*, enunciemus. Atque idem dicendum de ceteris.

§. XLIX. Titulis dominii acquisitivis sui *modi* respondent (§. XXXII. seq.). Perinde igitur, ut tituli (§. XLIII.), ita *modi* alii sunt *originarii*, alii *derivativi*. *Illos* dicimus facta, ex quibus intelligimus, quomodo res nullius, dominii capaces, actu in dominium nostrum transeant. *Hi*, scilicet *modi acquirendi derivativi*, sunt facta, ex quibus concipimus, quomodo res ex dominio unius, actu in dominium, sive proprietatem alterius transeat.

§. L. *Ad modos acquirendi derivativos refero I. translationem dominii pactitiam, sive seriam animi declarationem, a domino factam, se velle, ut dominium rei, quod penes ipsum residebat, jam penes alium acceptantem resideat.*

Do-

Dominium enim in jure consistit (§. I.): nec proprietas aliud quidpiam est, quam ipsum dominii jus, quatenus ut rei cohærens cosideratur (§. III.). Quapropter, cum nihil magis naturale sit, quam ut jura, quæ in animo præcipue consistunt, sola animi declaratione in alium acceptantem transferantur: dominium rei sola animi declaratione seria in alium acceptantem transferri, evidens est.

§. LI. *Quin igitur a potiori II. traditio, eadem animi intentione facta, eundem effectum habeat, dubium non est.*

SCHOLION. Quando itaque leges civiles solum paciscentium consensum, utut serium, ad dominium acceptanti tribuendum sufficere negant (a): id ex jure positivo est; neque ita jure naturali obtinet (b), quod modum dominii translativum pactitium, tanquam maxime naturalem, in immobilium præprimis translatione vel maxime probat. Cave tamen legislatores Romanos oscitantiæ ideo, aut imprudentiæ arguas. Cur enim in translationibus dominiorum pactis nudis, id est, traditione ipsius rei non stipatis, eam vim adimerent, causas habuere gravissimas: neque meliori ratione infinitis litigiis obviare, aut imprudentibus rerum suarum moderatoribus efficacius consulere poterant. Sed hæc ad prudentiam legislatoriam pertinent, nec hujus loci sunt.

(a) *L. 20. C. de Pactis.*
(b) HuG. GROT. *J. B. & P. Lib. II. C. VI. §. 1 & 2.* HUBERUS, *Digress. Lib. IV. Animadvers. C. XVI. per totum.*

§. LII. *In eundem censum venit III. testamentaria de rebus suis dispositio, seu declaratio seria, quem quis post mortem rerum suarum velit esse dominum.*

SCHOLION. Veritas hujus modi, licet hic demonstrari nequeat, iisdem tamen, queis translatio pactitia, fere fundamentis subnititur: &, utut intra vitæ humanæ terminos sese continere videatur de rebus nostris disponendi facultas: ea nihilominus ratio-

ne a genere humano introducenda fuisse dominia rerum, ut effectus eorundem ultra vitæ se se protenderent, naturali juri omnino consentaneum esse, alibi solide evinco (a). Quidni igitur acceptans res defuncti heres actu earundem dominium acquirat?

(a) Prælect. J. naturalis, mox lucem visuris *L. III. Sect. III. C. 7.*

§. LIII. *Huc pertinent IV. successiones ab intestato. V. acquisitiones dominii per usucapiones, & præscriptiones. VI. occupationes bellicæ, aliique modi, quibus alios, invitos etiam, dominiis rerum suarum juste exuimus.*

SCHOLION I. Neque hosce modos acquirendi derivativos extra systema juris naturalis demonstratos damus. Siquid tamen dubii circa eorundem veritatem cuipiam animo sedeat: illud omne suo loco, & tempore dissipabimus.

SCHOLION II. Cognitæ præterea sunt acquisitiones dominii *ex lege*, quibus ipso jure, sola legis efficacia, & absque facto accedente alio dominium acquiritur. Enimvero, cum summæ potestatis civilis effectus potissimum sint: impræsens, ubi intra campum juris naturalis nos continemus, de iisdem penitius dispicere supersedemus. Adeat, cui volupe est, celeberrimi SAM. BRUNQUELLII eruditam dissertationem, *de acquisitione dominii ex lege*, ubi modos acquirendi dominium civiles plerosque solide enodatos offendet.

§. LIV. *Modus acquirendi originarius unicus est.* Modus acquirendi sine titulo nullus (§. XXXII. seq.). Quare, cum titulus dominii acquisitivus originarius non nisi unicus sit (§. XLVI.): nec modum acquirendi originarium nisi unicum esse, patet.

§. LV. *Apprehendere rem* est eandem in potestatem suam redigere; hoc est, efficere facto aliquo suo, ut rem, quæ antea nullius omnibus patuit, jam solo nostro nutu at-

que

que arbitrio gubernare, regere, tractare, & adversum alios defendere valeamus. Unde, quid sit *apprehensio*, obscurum non est; scilicet actus, quo rem in potestatem nostram redigimus.

SCHOLION. Id tamen velim teneas, *in potestatem suam redigere* non ita crude, & stricte accipiendum esse, quasi singulas rei partes manibus contingere, aut alia ratione inclusas in perpetua velut custodia tenere debeamus. Ita enim res paucissimæ plene in potestatem nostram redigi; aut in eandem redactæ servari valerent. Laxius itaque, & cum effectu quodam juris idem intelligendum, ita ut in ordine ad dominii effectus nobis tribuendos sufficiat, si actu quodam corporali in re nullius, dominii capaci, exercito, e. g. rem nullius contingendo, eidem insistendo, limites designando, agros colendo, & factis similibus manifestum faciamus, nos eandem ita penes nos velle existere, ut penes alios ita non existat; quodque solis nobis cum exclusione aliorum jura dominii in eadem adscribamus. Hac ratione insula nullius in potestatem nostram redacta esse reputabitur, quamprimum pedem in eadem fixerimus, aliisve signis rem illam dominio vacuam amplius censendam non esse, declaraverimus.

§. LVI. *Occupatio* est factum, quo rem nullius, dominii capacem, animo eandem nostram faciendi, apprehendimus (§. LV.).

§. LVII. Rem nullius, dominii capacem, optimo jure nostram facimus (§. XLV.). Quare, rem nullius, dominii capacem, occupantis fieri dubium non est (§. LVI.). *Est igitur occupatio modus acquirendi originarius* (§. XLIX.), *isque unicus* (§. LIV.).

SCHOLION. De occupatione in genere, quæ occupationes alias, ceu species, sub se comprehendit, hanc propositionem intelligendam esse, per se patet.

§. LVIII. Occupatio absque apprehensione nulla (§. LVI.). Quare, cum apprehendere sit rem in potestatem suam redigere (§. LV.): *qui rem occupat, eandem in potestatem suam redigat, opus est.*

SCHOLION. Dubium moveri poterat, cur, cum solo domini consensu, accedente alterius acceptatione, dominium transferri supra (§. L.) evicerimus, non idem in occupatione originaria obtineat, ita ut solo, rem nullius suam esse volentis, animo res occupata, & in dominium redacta esse censeatur. Enimvero magna inter duo hæc disparitatis ratio subest. Qui rei suæ dominium in alterum transfert, de re ipsi jam pleno jure quæsita, & arbitrio ipsius subjecta (§. I.) disponit. De existentia igitur dominii lis nulla, sed solum circa ejusdem translationem oriri potest. Quæ cum probari facile queat: (ipsa enim consensus, de re sua in alium transferenda, declaratio facti esse dignoscitur) inde resultantia incommoda tanti non erunt, aut inter paucos saltem vertentur. Econtra in occupatione originaria de introducendo in rem nullius dominio agitur. Quod si solo animo fieri posse ponas: jam incerta & litibus obnoxia erunt omnia, pluraque ex dominio, quam ex ipsa rerum communione (§. XXIV.) oritura erant incommoda; uti consideranti obvium esse debet. Quare animo, de re nullius sua facienda, factum aliquod facile demonstrabile, id est apprehensio, & in potestatem redactio accedat, necesse est. Siquidem dominia introducere voluere homines, eos in iis introducendis & transferendis modos servare voluisse censendi sunt, quibuscum pax & concordia inter homines subsisteret, quique non plurium molestiarum & litium, quam ipsa rerum communio, feraces forent. Atque hoc principium probe velim advertas; cum inde pleraque dominii jura hypothetica prono alveo consequantur.

§. LIX. Apprehensio, seu in potestatem redactio, non adeo stricte, sed cum effectu quodam juris sumitur (§. LV. Schol.). *Qui* igitur *rem nullius universim apprehendit, singulas quoque ejus partes apprehendisse quo minus censeatur, nil obstat.*

SCHO-

SCHOLION I. Qui e. g. fundum nullius occupat, non opus habet, ut ſingulas arbores, ſingulas glebas, herbas, lapides &c. ſpeciali actu corporali apprehendat; ſed ſufficit, ſi fundum univerſum actu quodam corporali in poteſtatem ſuam redegerit, ut, quas diximus, res omnes tanquam fundi partes, & acceſſoria occupaſſe cenſeatur.

SCHOLION II. Quid autem, & quantum in re individuali occupata actu ſuum facere, conſequenter apprehendere quis velit: id quoad res dominii capaces omnino arbitrarium, & occupantis libertati relictum eſt, qui modo plura, modo pauciora in re occupata jura dominii ſibi adſcribit; prout aut inſtituta totius alicujus populi ferunt, aut privatis quilibet utilitatibus ſuis id expedire judicat; id quod ex circumſtantiis ſpecialibus facile colligetur. Sed de his latius infra.

§. LX. *Ut res apprehenſa dicatur, manibus eandem, & actu corporis immediato præciſe contrectari opus non eſt.*

Res apprehenſa eſſe intelligitur, quando actu quodam corporali effecimus, ut eandem pro nutu, & arbitrio noſtro regere, jura dominii in eadem exercere, & adverſum alios defendere valeamus (§. LV.). Enimvero hæc omnia per inſtrumenta, & machinas efficere poſſumus; nec opus præciſe eſt, ut ipſi rei immediate præſentes, actu pariter corporis immediato & phyſico eandem contrectemus, vel ipſa quotidiana experientia teſte. Quapropter, ut res apprehenſa dicatur, eandem actu corporis immediato contrectari neceſſe non eſt.

SCHOLION. Hinc recte HUBERUS (a): *apprehenſione quando jus occupandi definimus, non eam manibus vel actu immediate corporali duntaxat definimus: inſtrumentis quoque, velut retibus & laqueis æque commode perfici poteſt.* Et HUGO GROTIUS (b): *ſed poſſeſſio illa poteſt acquiri non ſolis manibus, ſed inſtrumentis, ut decipulis, retibus, laqueis &c.*

(a) *Digress. Lib. IV. C. XVII n. 2.*
(b) *J. B. & P. Lib. II. C. VIII. §. 4.*

§. LXI. Atque inde duplicem concipimus rei nullius apprehensionem; aliam scilicet *immediatam*, quæ fit actu corporis immediato; aliam *mediatam*, seu *instrumentalem*, quæ fit actu corporis mediato per machinas nostras, & instrumenta, opera nostra posita.

SCHOLION. Sic, quando gemmam nullius in litore maris inventam, manibus prehendimus, *apprehensio corporalis*: quando autem cervum nullius, sclopeto e longinquo prosternimus, *apprehensio instrumentalis* dicetur.

§. LXII. *Occupatio absque titulo nulla est, nec esse potest.*

Occupatio est modus acquirendi (§. LVII.). Modus acquirendi absque titulo nullus est, nec esse potest (§§. XXXII. XXXIV. & sequ.). Quare nec occupatio absque titulo ulla erit; aut concipi poterit.

SCHOLION. Ut occupatio procedat, atque occupanti dominium tribuat, res occupabilis sit necesse est. At vero talis sine titulo esse nequit. Quamprimum titulum tollis, ipsum jus occupandi simul tollitur. Ecquis autem sine jure occupandi occupationem effectum suum sortiri, & acquisitionem dominii operari diceret? Quod si sine titulo, id est jure (§. XXXIX.), occupatio procedit: nil amplius obstabit, quo minus quis res alienas, id est, in alterius jam dominio existentes, occupatione suas faciat; quod nemo sanus dixerit.

SCHOLION II. De occupatione, proprie sic dicta, quæ actu dominium occupanti tribuat, præsens theorema intelligendum esse, non est, quod moneam.

§. LXIII. Per occupationem dominium in rem aliquam introducitur (§§. LVI. & LVII.). Enimvero in res do-

dominii incapaces dominium introduci nequit (§. XXI.). *Rerum igitur dominii incapacium occupatio nulla eſt.*

SCHOLION. Idque tam de rebus phyſice, quam moraliter (§. XXX.) tam jure naturali, quam poſitivo (§. XXXI.) dominii incapacibus procedit; cum omnis titulus dominii acquiſitivus rem dominii capacem ſupponat; uti ex ipſa tituli notione manifeſtum eſt (§. XXXII. ſeq.).

§. LXIV. *Res inexhauſti uſus* (§. XXIII.) *ſunt dominii incapaces.*

Res inexhauſti uſus ſufficientem uſum omnibus hominibus præſtat (§. eod.). Absque ratione igitur faceret, qui alios a rei inexhauſti uſus excluderet; quin potius in jure ſuo perfecto eosdem læderet. Salvis igitur juſtitiæ legibus in res ejusmodi dominium introduci nequit. Enimvero, quando ipſa juſtitiæ lex, & naturalis æquitas dominium in rem aliquam intoducere vetat: impedimentum dominii legale adeſt (§. XXX.). Quod cum rem dominii incapacem efficiat (§. XXVIII.): res inexhauſti uſus dominii incapaces eſſe liquet.

SCHOLION. Adde, quod rem inexhauſti uſus phyſice etiam ut plurimum in dominium redigi repugnet.

§. LXV. Inde conſit, *quod rerum, uſum inexhauſtum omnibus præſtantium, tanquam dominii incapacium* (§. LXIV.) *nulla ſit occupatio* (§. LXIII.), *conſequenter nec dominii acquiſitio* (§. LVI.).

SCHOLION. Occupationem intellige totalem; pro partibus enim minutis, & in uſum præſentem venientibus, res inexhauſti etiam uſus proprias fieri non implicat.

§. LXVI. *Rerum occupari probibitarum nulla eſt occupatio, nec dominii acquiſitio.*

Res

Res occupari prohibitas occupandi, suasque faciendi jus nullum concipitur; etenim, quos leges actus improbant, eosdem suscipiendi facultas moralis non est. Enimvero in jure occupandi, & facultate rem nullius apprehensione propriam sibi faciendi, titulus dominii originarius consistit (§§. XLIV. & XLV.). Res igitur occupari prohibitas occupandi, suasque faciendi titulus nullus prostat. Quapropter, cum absque titulo neque occupatio (§. LXII.), neque dominii acquisitio procedat (§. XL.): patet propositionis assertæ veritas; neque res occupari prohibitas occupans in dominium suum rediget.

SCHOLION. Atque hæc de jure naturali indubio veritatis robore consistunt; nec quempiam facile adversarium experiemur. Quas enim res jus naturale occupare, & in dominium redigere vetat: eas intrinseca dominii incapacitate laborare nullo negotio evincitur. Quare nullam earundem occupationem, aut dominii acquisitionem esse constat (§. LXIII.). Sed nec prohibitionum, quæ fiunt legibus positivis, alius effectus est; modo, qua intentione legislator, quamque ob causam rei cujusdam occupationem prohibuerit, discernas: an nimirum id voluerit, ne in dominio plane existat, sed nullius maneat; id quod inde colligere licet, quod ipsa rei acquisitio, & in dominio existentia publicis civitatis commodis & juribus repugnet, neque cum communi bono recte consistere valeat: an vero non tam ipsa rei in dominio existentia, & proprietatis in eandem introductio, quam actus, per quos ea introducitur, publico, & civitati noxia sit, consequenter non tam illam, quam hos legislator vetare voluerit. Casu hoc posteriori dominii acquisitio, si res ceteroquin dominii capax sit, non impedietur, sed factum solum, contra leges admissum, promerita pœna coercebitur: bene vero priori, cum alias finis legis, & mens legislatoris effectum suum, qui est, ut res dominio sit vacua, non consequeretur. Idem igitur hoc casu erit, ac si naturali res dominii incapacitate laboraret; &, siquidem ob publicam utilitatem ea prohibitio facta, non minori vinculo subditos stringet. Ita si summus Imperans communis utilitatis & jucunditatis gratia prohibeat, ne lusciniæ capiantur, & in dominium

minium a quocunque redigantur: apparet, non tam actus, quibus in proprietatem rediguntur, quam ipſam luſciniarum in dominio exiſtentiam improbari. Occupans igitur luſciniam, ſtante ea prohibitione legis, ſuam eam non faciet; ſed eam libertati naturali quocunque tempore reſtituere obligabitur, vi a legislatore, ubi opus, adhibita, ut hoc juris, aut legis illius vim nullam eſſe, ſtatuas oportet (a). Cogita ex adverſo lege publica prohiberi, ne fraga in ſylvis colligantur; forſan quod aut gramina devaſtentur, aut ſub hoc prætextu ligna auferantur: acquiſitionem ipſam fragorum non improbari, ſed inrroitum ſolum in ſylvam inhiberi conſtat. Quare fragorum collectores eorundem dominos fieri nil obſtat: licet propter transgreſſionem legis aliis pœnis affici queant (a).

(a) Confer. ZIEGLER *de Jur. majeſt. Lib. II. Cap. 14. §. 24.* allegans ANT. de PADILLA *ad L per agrum C. de ſervitut. & aqua.* ubi *inf.* addit: *Sed eſt tamen iſtorum interdictorum recepta hæc explicatio, ut ex nuda prohibitione ſimul dominii acquiſitio excluſa cenſeatur, idque Principi vindicetur &c.*

§. LXVII. Quoniam porro occupatio non eſt, niſi rerum nullius (§. LVI.): *multo minus rem, alterius in dominio exiſtentem, occupando ſuam facere integrum erit.*

§. LXVIII. *Unum tantum, vel paucos, res quasdam dominii capaces intra definitum diſtrictum cum excluſione aliorum occupandi, titulo inſtructos eſſe, non implicat.*

Quo minus jus aliquod privative, & cum excluſione alterius habeatur, atque exerceatur, contradictionem nullatenus involvit; quin contrarium quotidiana experientia docet, & vel ipſa dominii jura, in re noſtra privative nobis competentia, abunde teſtantur. Pone dari res nullius, dominii capaces, quas per certos diſtrictus occupandi, jura, perinde ut dominia rerum (§. XXIV.), propria fieri, & privative uni vel paucis adſcribi variis ex cauſis expediat; pu-

ta, quod, in ordine ad res illas habendas, custodia & cultura opus sit; quod instrumenta & machinæ, in locis illis figendæ & struendæ; aut quod communio juris, ubilibet locorum ejusmodi res occupandi, eadem, quæ communio rerum exhausti usus aliarum incommoda post se trahat: hoc sane supposito nulla solida assignari valet ratio, quare jus, res ejusmodi occupandi, unus vel pauci, adinstar rerum aliarum, sibi proprium facere, & quasi in dominium redigere nequeant, iisdem hic, quæ pro dominio militant, rationibus pugnantibus. Quapropter, cum in jure, res ejusmodi dominii capaces suas faciendi, titulus consistat (§. XXXIII.): titulum res quasdam dominii capaces in certo districtu privative, & cum exclusione aliorum occupandi, penes unum, aut paucos residere nullatenus implicat.

SCHOLION I. Nil igitur obstat, quo minus gemmas in certa fluminis parte legendi, aut aurum in definito terræ tractu effodiendi jus privative aliquis sibi adscribat. Perinde sane, ut rerum dominii capacium proprietas, ita exclusiva aliorum hujus juris possessio possibilis censenda est; præsertim si nullius inde jus actu acquisitum lædatur. Neque magis qui ab auro hoc casu, & gemmis occupandis excluduntur, conquerendi causam habent, quam ii, qui introductis in res dominiis, ab eorum usu & abusu jure arcentur. Cumque in limitibus suis circumscriptis tractibus privativæ horum jurium possessioni locum saltem faciamus: considerari ea poterunt tanquam dominii effectus; utpote quod ipsum non nisi in juribus consistit (§. I.). Ut taceam, quod simili quodam jure fructus fundorum nostros faciamus. Licet enim regeri hic posset, fructus, ut primum nascuntur, dominio nostro subjici: idem tamen de rebus, quas occupandi privative jure gaudemus, similiter asseri posse infra solide demonstraturi sumus. Hæc privativa juris occupandi assertio tum demum iniquitatem saperet, si ad totam rei speciem, e. g. ad omne aurum, aut ad omnes gemmas ubicunque locorum, in mari vel terra latentes, se se protenderet. Verum, cum ad certos

tos diſtrictus idem reſtrinxerimus: iisdem, queis dominia rerum ſingularum, æquitatis & juſtitiæ rationibus ſubnititur.

SCHOLION II. Ceterum, qua ratione, quoque modo titulus ejusmodi privativos ad unum vel paucos pervenire queat, jam non disquirimus. Tam occupatione originaria, quam conventione, ſive expreſſa, ſive tacita eorum, quorum intereſt, idem poſſe fieri facile liquet. Pone incolas inſulæ cujusdam, quibus conjunctim ſumtis alios quoscunque a juribus in eadem exercendis excludendi facultas eſt, uni vel paucis cum excluſione aliorum metalla effodiendi, atque per occupationem ſua faciendi poteſtatem facere: hoc caſu unum illum, vel paucos, ex conventione metalla privative ſua faciendi titulo gaudere evidens eſt. Pone ex adverſo, in prima ſtatim inſulæ occupatione in certo quodam diſtrictu unum vel paucos idem jus ſibi adſerere: non minus certe hoc, quam priori caſu, alios ab occupatione metallorum excludendi facultas ipſis competet; cum alios in re occupabili, & privative poſſideri non repugnante, præveniendo nequaquam læſiſſe dici poſſint. Veritatem hujus propoſitionis enixius adſtruere ideo neceſſarium duximus, quod ſequentium multarum fere baſin & fundamentum conſtituat.

§. LXIX. *Complete res in dominio exiſtit*, quando prævio titulo juſto actu in dominium redacta eſſe dignoſcitur. *Incomplete autem rem aliquam propriam, ſive in dominio eſſe dicimus*, quando actu quidem & quoad modum propria nondum facta; titulus, tamen eandem propriam faciendi, penes unum privative reſidet (§. LXVIII.).

SCHOLION I. Complete igitur in dominio noſtro exiſtunt fundi & agri, quos prævio titulo juſto, modo dominii acquiſitivo legitimo noſtros fecimus. Incomplete dominio noſtro ſubjecta ſunt metalla, quæ in certo diſtrictu privative effodiendi, & in proprietatem noſtram redigendi jure gaudemus.

SCHOLION II. Cave tamen, *incomplete*, & *in actu primo in dominio exiſtere*, unum idemque reputes. In actu primo, ſeu potentia in dominio exiſtunt res nullius, dominii capaces qualescunque: incomplete vero quæ in dominio exiſtunt, pro parte jam propria ſunt; cum titulus in dominium eadem redigendi jam ita penes unum ſit, ut penes alium perinde non exiſtat (§§. V, & LXIX.).

§. LXX. *Res ab uno tantum, aut paucis occupabiles incomplete jam, & remote in dominio existunt.*

Duæ sunt dominii causæ, ex quibus ejusdem existentia concipitur (§. XXXIII.). Ut res propria evadat, solitarie neutra sufficit, sed utraque concurrat opus est (§. eod. & sequ.). Quodsi ponas rem ab uno tantum, aut paucis occupabilem esse: unum illum vel paucos titulo eandem suam faciendi, consequenter causa efficiente dominium determinante una privative instructos esse apparet (§§. XXXVI. & XXXVII.). Incomplete igitur jam in dominio existit (§. LXIX.).

Porro, quoniam titulus causa dominii remota dicitur (§. XXXVIII.): rem ab uno, vel paucis occupabilem remote jam in dominio existere, evidens est.

SCHOLION. Unde in specie etiam exempli, a nobis (§. LXIX. Schol. I.) allegati, veritas elucescit; id quod in sequentibus de feris, in certo districtu ab uno vel paucis occupabilibus, luculentis argumentis confirmabitur.

§. LXXI. Res nullius, quoad titulum, omnibus communes; quoad proprietatem, nullius in patrimonio censentur (§. XX. Schol. II.). Enimvero res ab uno tantum, vel paucis occupabiles, licet quoad proprietatem complete, & mediante occupatione actu acquisitam, neminis adhuc esse dici queant: ratione tituli tamen privative uni vel paucis competentis in dominio (§. LXX.), consequenter unius jam, vel paucorum esse constat. *Res igitur ab uno tantum, vel paucis occupabiles nullius esse dici nequeunt* (§. XX.).

SCHOLION. Scilicet ut cum effectu alterius fieri queant (§. XXXIV.), sicuti notio rerum nullius insinuat. Ita e. g. aurum intra definitos limites ab uno vel paucis occupabile minus recte nul-

nullius eſſe dicitur; utpotequod, quoad titulum, proprium jam eſſe dignoſcitur. Ac proin falſa omnino reputanda Doctorum ſententia, qui non obſtante privativa illa tituli poſſeſſione vel quaſi, rem nihilominus nullius eſſe ſtatuunt; conſequenter talem, quæ accedente facto occupatitio, a quocunque explicato, propria fieri non implicet. Quos hic error errores alios generaverit, ex ſequentibus palam fiet.

§. LXXII. *Res ab uno tantum, vel paucis occupabiles ab alio, quam qui eas occupandi jure gaudet, occupatæ, occupantis non fiunt.*

Occupatio non eſt, niſi rerum nullius (§. LVI.). Enimvero res ab nno tantum, vel paucis occupabiles non ſunt res nullius (§. LXXI.). Ex ſuppoſito enim uni vel paucis quoad titulum jam propriæ ſunt. Quare nec occupatio ab alio, quam qui eas occupandi titulo inſtructus eſt, facta, occupanti dominium tribuet.

Aliter. Sicut acquiſitio dominii (§. XL.), ita occupatio absque titulo nulla (§. LXI.). At vero rem ab uno, vel paucis occupabilem præter unum illum, vel paucos nemo occupandi titulo gaudet (§. LXVIII.). Præter hos igitur, ſi quisquam eandem occupet, minime eam ſuam faciet (§. LXII.).

SCHOLION. Quodſi igitur in fundo, in quo privative metalla effodiendi jure polleo, alius metalla, animo etiam ea ſua faciendi, effoderit: nihilo magis ea in dominium ſuum redegiſſe cenſebitur.

§. LXXIII. *Quin potius res ab uno tantum, vel paucis occupabiles ab alio occupatæ ejus fient, qui eas occupandi privative jure gaudet.*

Qui ad rem ab uno tantum, vel paucis occupabilem occupandam accedit: moraliter, & salvis alterius juribus alio animo factum illud occupatitium suscipere nequit, quam ut rem illius faciat, qui privative eandem occupandi jure instructus est; uti per se patet. Quodsi de facto alium animum induat, & rem sibi acquirere cogitet: contraria ea voluntas, & prava animi affectio, utpote juri adversa, desideratum acquisiti dominii effectum minime producet; prout ex alio etiam fonte modo demonstravimus (§. LXXII.). Quapropter ex ipsa obligatione legis, & dictamine rectæ conscientiæ occupans rem ab uno tantum, vel paucis occupabilem, illius, vel eorum eam fecisse reputandus est, qui privative eam occupandi jure gaudent. Et cum eorum, queis titulus ille privativus competit, plerumque intersit, ne res, cum injuria licet, occupata rursum dimittatur; uti in casibus specificis facile demonstrari posset: unus ille, vel pauci suam eam rem factam fuisse suffragante optima æquitatis ratione censebunt.

SCHOLION I. Perinde, ut damnum alteri dans, invitus etiam, & retinente licet voluntate, ex naturali obligationis vinculo ad damni dati resarcitionem adstringitur: ita a pari, licet occupans rem, quam unus tantum jure occupare valet, animum eam suam faciendi habeat, nihilominus eam privativi tituli possessoris faciet; cum effectum hujus occupationis legitimum contraria sua voluntate tam parum evertere queat, quam fur rem alterius auferendo verum dominum rei suæ dominio exuere potis est. Invitam potius ejusmodi occupans privativo tituli domino quasi operam navat, uti ait PUFFENDORFIUS (a), & ministri involuntarii, ratione consequentiæ tamen & effectus, necessarii vicem subit.

SCHOLION II. Crassum proin rursum errorem errant, qui rem ab uno tantum, vel paucis occupabilem occupantis fieri; nec ejus, qui eam occupandi titulo gaudet, dominio subjici contendunt: in quem errorem male perspecta dominii indoles eos de-

deduxisse videtur. Ceterum, quando dixi: alios rem ab uno, vel paucis occupabilem occupantes nonnisi animo eandem privativi tituli domini faciendi ad occupationem accedere posse: non eo velim verba interpretere, quasi justum hocce factum pronuntiem. Utut enim animus alteri suum intervertendi desit: in jura tamen aliquatenus ejusdem adhuc injurius est, qui sine consensu & voluntate privativi tituli possessoris ad rem occupandam accedit, nec turbatoris notam, aut pœnam defugiet.

(a) *J. N. & G. Lib. IV. C. V. §. 7.*

§. LXXIV. Quodsi igitur rem ab uno, vel paucis tantum occupabilem occupans detineat: *rem alienam detinet*; si consumat: *rem alienam consumit*; si in alios transfert: *rem alienam transfert*; si perdat aut destruat: *rem alienam perdit aut destruit.*

§. LXXV. Porro, cum domino rem suam a quocunque possessore vindicandi facultas competat; & si restitui nequeat, ejus resarcitionem in simili sibi fieri jure postulet: patet, *eum, qui solus rem occupandi titulo instructus est, si alius invito eo eandem occupaverit, tanquam rei istius effectum dominum (§. XXXVII.) eandem non solum ab occupante, sed a tertio quocumque possessore vindicare, &, si quamcunque ob causam restitui nequeat, damni dati resarcitionem in simili repetere.*

SCHOLION. Alios hujus dominii effectus recensere supersedeo, cum ex ipsa proprietatis & dominii natura facile eruantur: in sequentibus tamen, ubi de venatione specialius disquisituri sumus, enucleatiores eos dabimus.

§. LXXVI. Ad occupationis species refertur quoque *Venatio*, quæ, quatenus est modus acquirendi originarius, definitur, quod sit factum, quo fera animalia nullius, animo ea nostra faciendi, apprehendimus (§. LVI.).

SCHO-

SCHOLION I. Animalium mansuetorum nullius non tam venatio, quam inventio esse dicitur. Quodsi tamen acciderit, ut, quæ nos mansueta animalia vocamus, feram naturam induerint; aut plane necdum exuerint: horum quoque animalium, supposito quod nullius sint, venatione acquiri dominia cur dicamus nil prohibet.

SCHOLION II. Venationis vocabulum subinde etiam jus venandi, sive titulum, animalia fera sua faciendi; subinde ipsos actus physicos, qui in investigandis, persequendis, & capiendis feris suscipiuntur, denotat: quo sensu intelligendus JULIUS CÆSAR (a), quando de Germanis ait: *Vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit*; item, hoc sensu venationibus nos delectari dicimus, &c.

(a) *De bello Gallico Lib. VI. C. 21. p. m. 159.*

§. LXXVII. Cum autem tria potissimum sint animalium ferorum genera, scilicet terrestria, quæ & reptilia, volatilia, & aquatica; hinc tres quoque venationis species constituunt: nimirum *venationem in specie ita dictam*, quæ est occupatio animalium nullius terrestrium, sive ferarum, in specie ita nuncupatarum; *aucupium*, sive occupationem animalium nullius volatilium; & *piscationem*, seu occupationem piscium, qui nullius esse dignoscuntur.

SCHOLION. Quæ inter tres hasce venationis species differentia occurrit, fere in actibus physicis, seu modis diversis, quibus fera animalia apprehenduntur, consistit; quoad jura parum aut nihil interest. Hinc, quæ de feris in specie ita dictis demonstraturi sumus, ad pisces quoque & aves trahenda erunt.

§. LXXVIII. *Feræ, pisces, & aves nullius* esse dicuntur, quæ neque actu propriæ sunt, nec ab uno tantum, vel paucis occupabiles existunt (§. LXVIII.); *in dominio nostro completo* esse dicimus, quæ facto quodam dominii acquisitivo in potestatem nostram redactæ (§. LXIX.); *incomplete nostræ* sunt,

ſunt, quas occupandi, noſtrasque faciendi privative titulo inſtructi ſumus (§. eod.).

§. LXXIX. *Feras, piſces, atque aves nullius* (§. **LXXVIII.**) *occupando noſtras facimus.*

Res nullius, dominii capaces, fiunt occupantis (§. LVII.). Unde *idem quoque de feris, piſcibus, & avibus nullius*, (utpote dominii capacibus) *dicendum erit.*

§. LXXX. Porro ex eo, quod qualitatem rei nullius res non exuat, niſi aut actu in dominium redigatur, aut uni vel paucis eandem occupandi jus competat (§. LXXVIII.); rei autem nullius occupationem (§. LVI.), & dominii acquiſitionem (§. LVII.) neque ad locum, neque ad tempus adſtrinxerimus: patet, *occupantem rei nullius, ubicunque & quandocunque apprehenſæ, fieri dominum.*

§. LXXXI. *Feræ igitur, piſces, & aves nullius* (§. **LXXXVIII.**), *alieno licet in fundo occupatæ, noſtræ fiunt* (§. **LXXX.**).

§. LXXXII. Prohibitio occupationis effectum acquiſitionis dominii tum demum impedit, quando prohibens aut ipſum occupandi titulum prorſus perimit (§. LXVI. Schol.); aut privative ſibi, & cum excluſione alterius juſtis ex cauſis adſcribit (§. LXVIII. & infra §. CI.): neutiquam vero, ſi non acquiſitionem dominii, quam actus, queis mediantibus ad eam devenitur, intermitti velit (§. LXVI. Schol.) prohibens. Unde patet, *quod feras, piſces, & aves in fundo alieno occupando adhuc noſtras faciamus, etiamſi dominus ob cauſas, titulum ipſum non perimentes, fundi ingreſſum prohibuerit.*

SCHOLION I. Tales causæ e. g. sunt, quod ejusmodi occupatio fructibus & satis, herbis & graminibus noxia sit; quod aratro subacti agri conculcentur; aut aliud damnum domino fundi ex actibus in venatione suscipi solitis immineat. Harum neutra obstat, quo minus alienum fundum contra prohibitionem ingrediens, feramque prosternens suam eandem faciat. Arcere quidem ingredi molientem, vi etiam, sicubi opus est, adhibita poterit fundi dominus, &, si venandi gratia ingressus damnum dederit, ejusdem resarcitionem via legitima repetere integrum ipsi est: at vero feram captam, in hypothesi præsenti, occupanti sub prætextu, quod propria effecta non sit, nullo jure auferet. Conferantur, quæ supra (§. LXVI. Schol.) de rebus occupari prohibitis edisseruimus.

SCHOLION II. Quoniam juxta mores, & instituta populi Romani feræ, pisces, & aves non inclusæ, sed in libertate sua naturali vagantes nullius esse reputabantur (a); neque etiam rempublicam, aut privatos fundorum possessores privativum easdem occupandi titulum sibi adscripsisse constat: mirum non est, quod secundum jus Romanum occupans feram, piscem aut avem, in actuali alicujus dominio non existentem, sive in proprio, sive in alieno, suam fecerit (b). Ad res enim, ut diximus, nullius proprie tales (§. XX. Schol. II.), consequenter occupabiles (§. LVI.) pertinuere. Quod an Germanorum moribus perinde obtineat, & an hæc Romanorum placita ad statum præsentem Germaniæ quadrent, & cum effectu applicari queant: de eo suo loco dispiciemus. Id interea ex dominii & proprietatis, in fundos competentis, indole facile conficitur, quod dominis ingressum in fundos alios prohibendi jus fuerit, adversum eos, qui prohibitionem spernerent, actione injuriarum (c), quin, si damnum insuper dederint, actione legis Aquiliæ (d) comparata.

(a) §. 12. *Instit. de Rer. Div.* ibi: *quod enim ante nullius est, id naturali ratione cedit occupanti.*
(b) *§. eod.* verbis: *nec interest, feras, bestias & volucres utrum in suo quis capiat, an in alieno.*
(c) *L. 13. in fin. π. de injuriis.*
(d) *L. 27. §. 5. π. ad L. Aquiliam.*

§. LXXXIII.

§. LXXXIII. Absque apprehenſione porro cum nulla intelligatur rei occupatio (§§. LVI. & LVIII.): *ut feræ beſtiæ occupatione noſtræ fiant, apprehenſione opus eſſe conſtat.*

§. LXXXIV. Apprehenſio alia fit actu corporis immediato, alia mediato, ſeu inſtrumentis (§. LXI.). *Fera igitur animalia nullius, non ſolum apprehenſione corporis immediata, verum etiam mediata, ſive inſtrumentali noſtra fiunt.*

§. LXXXV. Cui conſequens eſt, *quod laqueis, decipulis, retibus, ſclopetis, caſſibus, ſimilibusque inſtrumentis peræque atque manibus, feras, piſces, & aves apprehendamus* (§. LV.), *actuque in poteſtatem noſtram redigamus* (§. eod.).

SCHOLION. Quin ex eo, quod animalium ferorum regulariter ea natura ſit, ut conſpectum hominum, interque eos verſari defugiant: vix alia feras occupandi, apprehendendique, quam per inſtrumenta, via proſtat. Ac proin cum recta ratione neutiquam conſiſtit illorum ſententia, qui ad id, ut fera noſtra dicatur, actuali manuum contrectatione & apprehenſione corporis immediata opus eſſe exiſtimant (b).

ULR. HUBERUS *Prælect. J. Civil. ad Inſtit. tit. de R. Diviſ. n. 21.*
HUGO GROTIUS *de J. B. & P. Lib. II. C.* 8. §. 4
(b) Illuſtr. BERGER. *Diſſert. de J. venandi feras* §. 25.

§. LXXXVI. *Trajectus* itaque, *atque proſtratus telo, aut ſclopeto noſtro cervus, aliave fera beſtia, nullius dominio ſubjecta, ante actualem etiamnum apprehenſionem manibus factam, noſtra eſt.*

Sequitur hæc propoſitio ceu corollarium ex §§. LXXXIV. & LXXXV.. Apprehenſam ſiquidem, & in poteſtatem noſtram redactam eſſe hoc caſu feram, dubium non eſt (§. eod.).

eod). Enimvero rei nullius, dominii capacis, animo eam nostram faciendi apprehensæ, dominium consequimur (§§. XLV. & LVII.). Unde feræ sclopeto nostro, aut telo prostratæ, antequam eandem manibus contrectemus,& dum e longinquo adhuc jacet, dominium nos consequi apparet.

§. LXXXVII. Porro, cum a re nostra occupanda, aut surripienda alios mediis competentibus jure arceamus; raptam & ablatam repetamus; a tertio vindicemus; si restitui nequeat, in simili ut damnum resarciatur, postulemus: patet, *quod a cervo, aliave fera telo, aut sclopeto nostro prostrata occupanda alios vi justa arceamus; ablatam, raptamve optimo jure repetamus; a tertio vindicemus; denique, si restitui nequeat, ut a fure, aut raptore damnum in simili nobis sarciatur, summæ æquitatis ratio postulet.*

§. LXXXVIII. *Retibus nostris irretita fera, nostra est.*

Coincidit demonstratio cum demonstratione §. LXXXVI.; retibus etenim irretita fera opera nostra in eum statum redacta est, ut potestatem amplius nostram, & manus effugere nequeat. Perinde igitur, ut cervus sclopeto trajectus, & prostratus, in dominium nostrum pervenisse reputabitur.

§. LXXXIX. Consequens est, *quod, qui retibus nostris irretitam feram auffert, rapit, consumit, alienat, aut in libertatem dimittit: rem non suam, sed nostram aufferat, rapiat, alienet, consumat, atque in libertatem dimittat; ac proin recte a quocunque vindicetur; si restitui nequeat, in simili damni resarcitio petatur* (§. *LXXXVII.*).

SCHOLION I. Quibuscum fere consentiunt, quæ PROCULUS, (a) in casu plane simili consultus respondit: *Summam tamen hanc esse puto, ut, si* (aper) *in potestatem meam* (loquitur autem de casu, quo laqueo se se irretiverat) *pervenit; meus factus sit: sin autem aprum meum ferum in suam naturalem laxitatem*

di-

dimisisset; eo facto meus esse desisset, & actionem mihi in factum dari oportere. Et plane ex mente hujus legis ULR. HUBERUS (a): *Quare, qui aprum laqueo, per alium posito, hærentem abstulit, eum non facit suum, sed, si aper ita fuit irretitus, ut expedire se nequivisset, tum, qui laqueum posuit, pro domino habetur, & in id, quod interest, adversum eum, qui feram dimisit, agere potest.*

SCHOLION II. Supponimus itaque feram ita fuisse irretiam, ut extricare se non potuerit. Quid? ergone, qui intricatum aprum aliamve feram, de qua dubium erat, num se extricatura fuisset, in libertatem dimisit, nullam sui facti pœnam feret? nec ad interesse domino retium tenebitur? Si jus naturale spectemus, utique etiam hoc casu ad damni probabiliter dati, ex regulis probabilitatis definiendi, restitutionem obligabitur: in civitate judicis ea res arbitrio committetur, qui spectata dimittentis malitia & dolo, & perpensis probe circumstantiis specialibus ex æquo litem dirimet.

(a) *L. 55. π. De acquirend. rer. domin. sub finem.*
(b) *Prælect. jur. civil. Inst. Tit. de R. Divis. n. 21.* Item *Digress. L. IV. C. 17. n. 2.*

§. XC. Quoniam pro avibus, quæ in retia, decipulas, caveas, aut laqueos inciderunt, item pro piscibus, quos cassibus aut nassis intercepimus, eædem prorsus rationes militant: idem quoque de his animalium ferorum generibus dicendum veniet; *quod scilicet hisce casibus dominio nostro subjecta sint.*

SCHOLION. In contrariam hic nonnulli sententiam abeunt (a), & non solum feras, per retia & instrumenta venatoris illaqueatas, sed & aves nostris laqueis comprehensas, & inventas, item pisces in retibus, cassibus & nassis captos, occupatoris, non domini retis, seu cassium, fieri statuunt, ea haud dubie ratione moti, quod ferarum apprehensionem nonnisi manibus, & actu corporis immediato perfici crederent. Enimvero, cum contrarium supra (§§. LX. LXI. LXXXIII. & LXXXIV.) abunde a nobis

evictum fuerit: iisdem refutandis non insistimus; præsertim cum ipsam praxin & consuetudinem, ubivis fere locorum receptam, refragantem habeant (b).

(a) Vid. allegatos in GEORG. MOHR *tractatu de J. venand. P. I. C. VIII. n. 1. seq.*
(b) Idem *cit. l. n. 5. seq.*

§ XCI. *Feræ in vivario, & sylva circumsepta inclusæ nostræ sunt.*

Vicario conclusæ feræ in potestate nostra sunt; pro lubitu siquidem capi, prosterni, atque in usus nostros converti valent (§. LV.). Quapropter, cum modo præterea dominii acquisitivo legitimo, originaria scilicet occupatione, aut acquisitione translativa in vivarium pervenisse supponantur: in dominio easdem nostro existere (§. XXXVI.), consequenter nostras esse, evidens est. *Quod erat primum.*

Sylva circumsepta a vivario nonnisi magnitudine differt. Quid enim aliud sylva circumsepta, quam ingens quoddam vivarium? Quare, cum vivario comprehensæ feræ nostræ sint, juxta demonstrata: idem quoque de feris sylva circumsepta, animo eas sibi habendi, inclusis dicendum erit. *Quod erat secundum.*

SCHOLION. Dissentit quoad sylvam circumseptam ex JCto PAULIO (a) NERVA filius: *Sed eos pisces, qui in stagno sunt, aut feras, quæ in sylvis circumseptis vagantur, a nobis non possideri; quoniam relictæ sunt in libertate naturali.* Atque hanc PAULI sententiam de jure etiam naturali veram esse pronuntiat HUBERUS (b) JCtus alias limati judicii; hac ratione, quod ad id, ut res aliqua nostra dicatur, apprehensam eam esse oporteat, sive manibus, sive instrumentis, quorum neutrum ab eo, qui sylvam circumsepsit, factum sit. Eandem ex eadem ratione cum HUBERO sententiam fovet PUFFENDORFIUS (c). Verum enimvero ego discer-

discernendum esse putem, quo quis animo sylvam suam cinxerit; an, ut ne promiscuus in sylvam aditus pateat; ne gramina conculcentur; ne feræ in sata & fruges grassentur: an autem, ut feras sylva conclusas dominio & potestati suæ subjiceret sylvæ dominus; utque pro arbitrio easdem capiendi, & in usus suos, sive necessitatis, sive jucunditatis convertendi facultas foret. Si primum: vera omnino est Pauli sententia; cum ferarum occupatio, quæ sine animo rem sibi habendi non consistit (§. LVI.), nulla sic facta esse intelligatur; consequenter quoad dominium libere in easdem introducendum, in libertate sua naturali relictæ sint, utut physica iisdem libertas adempta sit. Sin alterum supponas, quæ etiam theorematis nostri, & ex mente commentatorum JULII PAULI hypothesis est: liceat mihi pace tantorum virorum in adversa HUGONIS GROTII castra secedere (d). Instrumentis æque ac manibus apprehensionem & occupationem fieri posse, ipse HUBERUS non abnuit (§. LXIX. in not.). At vero quis sepem, quis murum, quo sylva cingitur, instrumenta esse neget, queis mediantibus feræ apprehendantur (§. LXXXIV. & LXXXV.), & in potestatem nostram redigantur? Quare, qui sylvam suam muro, pariete, aut sepe munit, supposito titulo habili, & animo, feras in eadem vagantes suas faciendi, utique earundem dominium acquirit, ac proin neque morali amplius, neque physica, quod omnes largiuntur, libertate fruuntur. Neu me omnia fallunt, sylvam circumseptam ex priori destinatione intellexit JCtus, consequenter cujus dominus de feris suis faciendis ne cogitarit quidem; eoque intuitu vivarium a sylva circumsepta cum cura discernit.

(a) *L. 3. §. 14. De acquir. vel amitt. Possess.*
(b) *Digress. Lib. IV. C. 18.*
(c) *J. N. & G. Lib. IV. C. 6. §. 11.*
(d) *J. B. & P. Lib. II. C. 8. §. 2.* ibi: *pisces non minus stagno privato includuntur, quam piscina; & feras non minus coercent sylvæ bene circumseptæ, quas θηριοτροφεῖα Græci vocant: nec alio hæc differunt, quam quod altera angustior, altera laxior custodia est.*

§. XCII. *Ex eadem prorsus ratione pisces in piscinis, stagnis & lacubus, item aves in ornithotrophiis, e. g. phasiani, in phasianotrophiis nostris vagantes, nostri sunt.*

SCHO-

SCHOLION. Quoad ſtagna, & lacus diſſentiunt iidem, uti ex allegatæ legis verbis colligere licet. Verum iisdem quoque armis vincuntur; cum, ut GROTII allegata modo (§. XCI. not. d.) verba mea faciam, piſces non minus ſtagno privato, quam piſcina includantur: ad deſtinationem tamen, & animum domini hic quoque attendendum eſſe, per ſe patet.

§. XCIII. *Qui igitur feras e vivariis & ſylvis circumſeptis (§. XCI.), piſces e piſcinis, ſtagnis & lacubus, aves ex caveis, & ornithotrophiis (§. XCII.) aut vi, aut clam aufferunt; conſumunt; vel foras emittunt: non ſuas, ſed res noſtras aufferunt, aut emittunt, ac proin omnia ea juris erunt, quæ ſupra (§. LXXV.) adverſus rerum noſtrarum invaſores, & raptores licita eſſe pronuntiavimus.*

SCHOLION. De pœnis adverſus ferarum & piſcium fures, raptores, & turbatores in republica conſtituendis amplior dicendi campus in Opuſc. IX. *de eo, quod jure publico univerſali circa venationes juris eſt*, ſuppeditabitur.

§. XCIV. *Fera nullius, lethaliter a nobis vulnerata, aut ita mutilata vel laſſata, ut effugere amplius nequeat, noſtra eſt.*

Fera eo, quo diximus, modo vulnerata, laſſata, vel mutilata, opera noſtra in eum ſtatum redacta eſt, ut evadere amplius nequeat, ſed diſpoſitioni potius & arbitrio noſtro plene ſubjecta ſit. Quæ enim in eadem perſequenda, & manibus arripienda adhuc facienda reſtant, in cenſum vix veniunt. Apprehenſa igitur intelligitur (§. LV.). Quare, cum apprehenſio rei nullius, animo eandem ſuam faciendi, apprehendenti dominium tribuat (§. LVI.): eum, qui feram lethaliter vulnerat, vel ea, qua diximus, ratione mutilat, aut laſſat, ejusdem fieri dominum apparet.

SCHOLION. De Cervo laſſu lex Salica Tit XXXVI. ita loquitur; *Si quis cervum laſſum, quem alterius canes moverunt, & in-*

involaverit, aut celaverit: DC. den. qui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur. Siquis aprum, quem alieni canes moverunt, & adlassaverunt, occiderit, vel furaverit: DC. den. qui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur. Porro ex dictis, atque demonstratis satis liquet, juri & æquitati naturali apprime consentaneum esse TREBATII sententiam, qui de fera vulnerata idem nobiscum juris esse statuit (a). Nec praxi aliud observatur (b); licet JUSTINIANO contraria magis sententia placuerit (c), his haud dubie inducto rationibus, quod difficulter constet, utrum fera lethaliter vulnerata, aut ita, ut effugere amplius nequeat, mutilata, lassatave sit, nec ne. Quare, ut infinitis litigiis circa has quæstiones facti orituris ansam præscinderet, feram vulneratam posterioris occupantis fieri, generali lege in republica sanciendum esse ratus est. Quæ tamen JUSTINIANI sanctio non ita crude intelligenda, quasi feram etiam, post inflictum vulnus statim procumbentem, posterior occupans suam fecerit. Etenim enormiter adeo a juris naturalis tramite deflexisse Imperatorem vix verosimile est. Miror proin illustrem BERGERUM (d) hanc posteriorem sententiam suam facere voluisse; ex ratione, quod non nisi reali captione in feras dominium acquiratur. Etenim, si per realem captionem non nisi eam, quæ manibus fit, intelligit: falso omnino supposito innititur, quando instrumentis & machinis eam captionem (§. LXXXV.), & dominii acquisitionem æque ac manibus perfici posse, abunde evictum dedimus (§§. LXXXIV. & LXXXV.). Quid dubio existente vulnere, vel mutilatione jus naturæ doceat: infra (§. XCVI. Schol. II.) notabimus.

(a) §. 13. *Inst. de Rer. divis. L.* 5. §. 1. *π. de Acquir. Rer. Dom.*
(b) *Gloss. ad d. L. naturalem* 5. §. 1. *π. d. Acquir. Rer. Dom.* SCHILTERUS *exercitat. ad π. XLV. d. tit.* §. 5. HARPPRECHT *ad d.* §. *Inst. n.* 86. *ibique allegati DD.*
(c) *§. eod. Inst. & d. L.* 5. §. 1.
(d) *Differt. de J. venandi feras* §. 25.

§. XCV. *Feram lethaliter vulneratam, aut ita, ut effugere amplius nequeat, mutilatam vel lassatam, soli vulnerantes, mutilantes, vel lassantes cum exclusione aliorum persequendi jure gaudent.*

Etenim feræ in eum statum opera nostra redactæ, nost-

ræ sunt (§. XCIV.). De rebus nostris pro arbitrio disponendi, easque cum exclusione aliorum arripiendi jure gaudemus (§. I.). Quin igitur feras lethaliter vulneratas, &, ut hypothesis sonat, mutilatas vel lassatas, persequendi, privative nobis jus competat, dubium non est.

Aliter. Ex hypothesi theorematis certum est, feram longe fugere, aut saltem evadere, nisi casu prorsus extraordinario, non posse. Eodem ergo res recidit, ac si fera in ipso loco, ubi percussa fuit, procubuisset: nec alio hæc differunt, quam quod paulo longius in nostro, quam in altero casu in ordine ad feram manibus prehendendam progredi necessum habeamus. Enimvero feram instrumentis nostris, & armis prostratam soli, cum exclusione aliorum, arripiendi jure gaudemus (§. LXXXVII.). Ergo idem quoque in casu præsenti de feris vulneratis, lassatis, & mutilatis juris esse statuendum erit; cum *persequi feram*, nil aliud, quam ad eandem manibus apprehendendam gressum movere, significet.

SCHOLION. Nec praxis & observantia abhorret. Consuetudine pene universali privativum hocce persequendi jus receptum esse, testantur allegati modo AA. Confer. GEORG. MOHR. *in cit. tractatu de J. venandi* (a), ubi ait: *receptum esse inter saltuarios, & venatores, ut liceat feram bombardæ sphæra, seu globo ictam, & vulneratam,* (welche schweist) *fugientem extra proprium domini venantis saltum vel sylvam 24. horis uno cursu non intermisso persequi, vulgo* nacheylen / nachsetzen / *& in alieno saltu vel sylva capere.*

(a) *P. I. C. 8. n. 4. sequ.*

§. XCVI. Unde consit, *quod adversum eos, qui in persecutione feræ, a nobis lethaliter vulneratæ, mutilatæ, vel lassatæ* (§. XCIV. & XCV.) *impedire nos moliuntur, vim etiam adhibere*

in-

integrum ſit; item, quod feram lethaliter vulneratam &c. nobis ſurripiens, retinens, atque conſumens, non feram ſuam, ſed noſtram (§. XCIV.) ſurripiat, retineat atque conſumat.

SCHOLION I. Applicentur huc omnia juris remedia, quæ adverſum rerum noſtrarum turbatores, raptores, atque detentores jure naturali prodita eſſe monuimus (§. LXXV.).

SCHOLION II. Sed quid, ſi dubium ſit, utrum fera lethaliter vulnerata, vel ita, ut effugere amplius nequiverit, mutilata laſſatave fuerit, nec ne? Quid ſi duo eandem vulnerarint; neque, uter lethale vulnus inflixerit, exploratum habeatur? Ego præſuppoſito, quod veritas in apricum protrahi non poſſit, feram dividendam eſſe cenſeo: uti alias ſæpius in dubio ad diviſionem, aut, ſi res diviſionem non recipiat, ſortem, ceu extrema litium terminandarum media, recurrimus. Similiter, qui alteri inſcio etiam in perſecutione feræ difficili bona fide operam præſtitit, non ſine navati laboris mercede dimittendus fuerit.

SCHOLION III. Ceterum, quæ de jure perſequendi feras hucusque demonſtrata dedimus: ea in civitate varias tum modificationes, tum limitationes patiuntur; in quarum rationes, & fontes opuſculo *de J. venandi* ſubſequenti penitius ſumus indagaturi.

§. XCVII. *Feræ, e cuſtodia noſtra dilapſæ, neque facile diſcernibiles, aut recuperabiles, præſumtive pro rebus derelictis habentur.*

Dominium, quod in feras, in poteſtatem noſtram redactas, nobis competit, a dominio rerum aliarum, quantum ad proprietatis jura attinet, non differt. Quare ſicut res aliæ, licet naturali earundem poſſeſſione aut caſu, aut facto alterius exciderimus (§. LV. Schol.), noſtræ manent: ita pariter, licet feras manibus comprehenſas, alligatas, aut incluſas actuali cuſtodia amplius non coerceamus, eæ nihilo-

minus noftræ erunt; neque propterea, quod evaferunt, poffeffione juris, aut dominio excidimus (a). Enimvero ferarum ea ut plurimum natura eft, ut cuftodia elapfæ celeri, promtaque fuga oculis & confpectui fe noftro fubtrahant: quo fit, ut difficilis earum perfecutio vix easdem recuperandi fpem reliquam faciat. Accedit, quod commixtæ rurfus feris fuæ fpeciei aliis, quæ noftræ fuerint, difficulter difcernere liceat. Quodfi jam ponas, dominum feræ, e cuftodia elapfæ, utut confpectum effugerit; utut difficilis ejusdem perfecutio, & vix fperanda recuperatio fit; utut, quo terrarum fe contulerit, & quædam inter innumeras, in fylva vagantes fua fit, ignoret, ejusdem nihilominus dominium in falvo retinere: id confequetur, quod, qui ex titulo univerfali omnibus hominibus communi, aut quibusdam proprio (§. LXVIII.) ad feras in fylva aut campis occupandas accedunt, in perpetua velut incertitudine, & timore verfari neceffum habeant, ne non fera, quam occuparunt, alterius dominio fubjecta fit, qui eandem avocaturus, atque fic opera eos & labore fruftraturus fit. Porro, cum feras vix a fe invicem difcernibiles fupponamus, non poterit ea res fine multis litigiis inter eum, qui fe dominum dicit, & occupantem tranfire. Quæ, an cum fana ratione, & recto dominiorum ufu confiftant: prudentiores judicent. Sane, qui cum introductis rerum dominiis vitæ humanæ tranquillitatem, pacem, & concordiam falvam effe volunt, nobiscum haud difficulter confentientes habebimus, quod, quorum feræ e cuftodia, & confpectu diffugere, quasque nec perfequi, aut recuperare, nec difcernere facile licet, earum quoque dominium, & tanquam proprias poffidendi animum depofuiffe juftiffimis ex caufis præfumantur. Quapropter, cum res pro derelictis cenfeantur, quas proprias habendi animum exuimus: feras quoque cu-

ftodia

stodia elapsas, nec discernibiles facile, aut recuperabiles, ex justa præsumtione pro rebus derelictis reputari, constat.

SCHOLION. Recte proin vir summus HUGO GROTIUS (b) amissi in feras dominii rationem in præsumta hac derelictione quærit. *Quare* (ait) *verius est, non per se amitti dominium, eo quod feræ custodiam evaserint, sed ex probabili conjectura, quod ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur, præsertim cum internosci, quæ nostra fuerint, ab aliis non possint.*

(a) *L. 13. π. de acquir. Possess. L. 2. §. 8. L. 8. π. ad Leg. Rhodiam.*
(b) *De J. B. & P. L. II. C. 8. §. 3.*

§. XCVIII. Res pro derelictis habitæ dominum habere desinunt; uti ex ipsa earundem definitione elucescit (§. XCVII.). Aut igitur primi occupantis fient (§. LVII.): aut ejus, qui privative rem in certo districtu occupandi jure gaudet (§. LXXIII.). Quapropter *feras quoque, quæ custodiam nostram evaserunt, neque recuperabiles facile, aut discernibiles sunt, primi occupantis, ejusve, qui titulo eas in certo districtu privative occupandi instructus est, fieri, evidens est.*

SCHOLION I. Consentiunt fere LL. civiles: *Quidquid autem eorum ceperis* (ait Imp. Justinianus (a)) *eo usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur: cum vero tuam evaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit; tuum esse desinit, & rursus occupantis fit.* Unde minime se nobis probat TESMARI sententia (b), quando indistincte, evadente licet, nec facile discernibili aut recuperabili fera, domini jus & proprietatem in salvo subsistere autumat, adeo, ut occupari ab altero, & teneri invito domino salva conscientia non magis possit, quam servus fugitivus (c), aut res amissæ, vel in necessitatis casu projectæ aliæ quæcunque (d). Etenim quod servum fugitivum attinet, is a servis aliis facile discernitur: adeoque, uti nulla incertitudo, ita lites nullæ metuendæ. Neque ad hypothesin theorematis nostri hoc exemplum quadrat (§. XCVII.). Deinde servus non in sylvis & desertis vagatur, sed inter homines

nes degit, qui errantem sine domicilio, sine manumissionis nota, sine libertatis indicio majori longe cum ratione pro transfuga & fugitivo alterius mancipio habent, quam qui elapsam e custodia feram occupant, pro qua, quod nullius, aut a paucis saltem occupabilis sit, generalis præsumtio militat. Cessat itaque in servo fugitivo præsumtæ derelictionis & depositi dominii ratio (§. eod.): nec, qui dominium in servum bona etiamnum fide acquirit, aliud, quam quod bonæ fidei possessoris est, scilicet revocabile consequetur. Rerum quoque amissarum in incendio, vel tempestate projectarum, diversa omnino ratio est. Hæ sive loco se non facile movent; vel si animalia mansueta sunt, conspectum hominum non defugiunt. Quare, cur de iisdem recuperandis desperare, ac propter difficilem earum persecutionem dominio renunciasse censeri debeant proprietarii, causa nulla subest. Quin, licet pro perditis etiam eas res habeant: propterea tamen earundem dominium abjecisse credendi non sunt; quoniam, qui in eas incidunt, ex sanæ rationis dictamine concludere possunt, ac debent, eas res minime dominio vacuas, sed invito domino amissas esse. Huic proinde restituendæ veniunt. Contrarium plane in feris accidit, quas, qui in sylva venantur, optimo jure pro rebus nullius, aut a domino tantum sylvæ occupabilibus æstimant. Sic e. g. qui cervum in sylva offendit, in locis, ubi promiscua venatio licita est, recte eundem pro re nullius habet, licet forsan ex alterius vivario evaserit: non perinde qui bovem aut equum sine custode, aut lupum cum hœdo aut agno fugientem videt; bovem enim aut equum amissum, hœdum aut agnum de grege abreptum, consequenter in dominio esse, non potest non conjectari. Idem igitur his casibus, quod de rebus inventis, juris erit. Alias disparitatis rationes, quas acutiores facile pervidebunt, ulterius jam indagare desino.

(a) *§. 12. Instit. de R. Div. L. 5. pr. π. de Acq. Rer. Dom.*
(b) *In Not. ad Grot. cit. l.*
(c) *Tit. Cod. de serv. fugit.*
(d) *Alleg. L. 13. pr. π. de Acqu. Possess. & L. 2. §. 8. L. 8. π. ad Leg. Rhod.*

§. XCIX. Quoniam feræ mansuefactæ, quam diu tales

les ſunt, facilius recuperantur, & ab aliis diſcernuntur: tacitæ in iis derelictionis præſumtio ceſſat. *Cuſtodia igitur licet evaſerint, non tamen occupantis fient.*

§. C. *Idem ex paritate rationis dicendum de feris facile diſcernilibus, animalibus & avibus peregrinis, leonibus e. g. & pſyttacis; item de animalibus ſignatis, quasque propter peculiarem uſum, vel artem noſtras fecimus, aut educavimus.*

SCHOLION I. HUGO GROT. *cit. l.*: *Sed hæc conjectura* (ſcil. derelictionis) *per alias conjecturas elidi poteſt: ut ſi addita ſunt feris γνωρίσματα, ſive crepundia, qualia ſcimus habuiſſe cervos quosdam, & accipitres, atque inde agnitos & dominis redditos.* Putem tamen hæc eo moderanda, ſi viva ejusmodi animalia ceperimus. Vix enim, ut mortua reddantur, dominorum intererit: uti ab exemplis pſyttacorum, accipitrum, falconum, avium, quæ modulari ad artem didicerunt, &c. facile liquet.

SCHOLION II. Repetantur & applicentur huc, quæ ſupra (§§. LXXIV. & LXXV.) adverſum ferarum noſtrarum detentores juris eſſe diximus.

§. CI. *Jus occupandi feras, piſces, & aves in certo diſtrictu uni, vel paucis privative competere non implicat.*

Jus, res quasdam privative, & cum excluſione aliorum intra certum diſtrictum occupandi, uni vel paucis competere poſſe ſupra (§. LXVIII.) evictum dedimus. Cur non idem ad jus venandi, & occupandi feras applicemus, nulla ſpecialis ratio obſtat. Etenim feras dominii capaces eſſe nemo dubitat; nec intra certum diſtrictum easdem occupandi jus pro re inexhauſti uſus, quæ omnibus ſufficiat, ac proin propria fieri reſpuat (§. LXV.), reputandum: neque etiam ejus naturæ eſt, ut phyſice in poteſtatem redigi, & adverſum alios defendi refragetur; uti conſideranti obvium

eſt.

est. Quidni igitur intra definitum tractum unus aut pauci jus occupandi feras, pisces, aut aves, salvis ceteroquin aliorum juribus, ad similitudinem jurium dominii in rebus aliis, ita suum faciant, sibique adscribant, ut alios ab exercitio ejusdem excludendi facultate polleant?

SCHOLION. Nec est, quod facultatem, sive jus occupandi feras juris naturalis, & in prima statim creatione hominibus a Deo concessum esse objicias: " Utroque enim argumento (ut „ verbis HUBERI (a) utar) nihil aliud evincas, quam quod „ primævo rerum humanarum statu, & ex largitione divina „ mortalibus cunctis idem jus in feras & pisces, quemadmo„ dum in omnes res dominii capaces alias, comparatum fue„ rit. Sed ut a communione aliarum rerum communi volunta„ te recessum est, adeo, ut, quamvis unus immenso plus, „ quam alter, hodie possideat: nemo tamen jus communionis „ in ea, quæ primitus communia fuere, nunc ab alio tenentur, „ exercere potest. Eo modo clarum est, potuisse inter homines „ ita convenire, ut in rebus nondum occupatis communio „ quoque desineret, eæque cederent in utilitatem eorum, qui „ a quolibet populo hoc jure augerentur. Nihil enim hoc erat „ aliud, quam juri suo, quod omnibus ex æquo competebat, „ renunciare.„ Agri & fundi una cum fructibus non minus initio quoad titulum communes (§. XX. Schol.), seu potius nullius, proprie scilicet tales, fuere, & æquale ad eos occupandos universo generi humano jus competiit. Hæc communio, seu status nullitatis, (ut ita loquar) sicuti introductis in fundos agrosque dominiis evanuit: ita similiter promiscua, sine distinctione locorum, feras occupandi licentia talis esse desinet, quam primum unus aut pauci in certo districtu privative idem sibi asseruerint. Nec magis privativa juris venandi possessio absurda tibi videri debet, quam quæ in fundis & agris jura alia privative nobis competunt. Hic fundum sibi appropriat, ut fructus inde colligat; aut habitaculum superstruat; alter sylvam eatenus juris sui esse intendit, ut sibi, non aliis, in eadem feras capiendi facultas competat. Non ille in fundis & districtibus aliis, alios hoc jure privare, aut titulum venandi universalem per totum universum soli sibi arrogare cogitat; utpote, quod

æque

æque ſtolidum foret; quam ſi dominium quoddam univerſale in omnes fundos & agros hujus globi quispiam ſibi adſereret. At vero in agris & diſtrictibus limitatis, unum perinde, ac alterum locum invenire dubium non eſt, & ipſa experientia comprobat.

(a) *Digreſſ. Lib. IV. C. 17.*

§. CII. In jure occupandi feras titulus earundem dominii acquiſitivus originarius conſiſtit (§. XLV.). *Quo minus igitur titulus occupandi feras, piſces & aves in certo diſtrictu uni vel paucis privative competat* (§. CI.), *nil probibet.*

SCHOLION. In præſenti ſpecimine aliud non intendimns, quam ut privativam juris in certo diſtrictu venandi poſſeſſionem, ejusque quaſi dominium ab injuſtitiæ & abſurditatis nota liberemus, & demonſtrata ejusdem poſſibilitate, quæ privativi tituli feras occupandi poſſeſſoris jura ſint, curate definiamus. An in republica privatis fundorum poſſeſſoribus idem relinquendum; & an non potius ſummo cujuslibet reipublicæ magiſtratui illud adſcribendum ſit: de eo ex profeſſo Opuſculo IX. diſpiciemus. Hæc ideo monere neceſſarium duxi, ne privatorum me venationibus favere aut in Regalia Principum calamum acuere anticipato judicio ſtatuas.

§. CIII. Quoniam porro, qui ſolus, & cum excluſione aliorum in certo tractu terrarum feras occupandi jure gaudet, titulum venandi veluti proprium, & adinſtar dominii jus (§§. I. II. ſequ.) poſſidet (§§. CI. & CII.): privativum venandi jus ad jura realia, & propria referendum eſſe facile liquet. *Alienari igitur, donari, permutari, vendi, elocari, in feudum concedi, aliisque modis dominii translativis* (§. L. ſeq.) *in alios transferri minime abhorret.*

§. CIV. Jura realia, quæ in fundis & prædiis noſtris nobis competunt, *jure dominii*; quæ in fundis & prædiis a-

 lienis

lienis habentur, *servitutis jure* possidentur atque exercentur. Quapropter, cum titulo venandi privativo tam in fundis nostris, quam in fundis & prædiis alienis instructos nos esse non implicet: (quid enim prohibet, quo minus aut vigore primitivæ occupationis, aut etiam per præscriptionem aliumve modum juris & dominii acquisitivum in prædio, sylva, aut fundo alieno eundem nobis acquiramus?) ***Privativum feras, pisces & aves occupandi titulum in fundis nostris jure dominii, in fundis alienis jure servitutis possideri atque exerceri constat.***

SCHOLION. Potest aliquis e. g. in sylva prædio suo vicina, primitiva & originaria occupatione jus atque titulum privativum venandi sibi adserere, reliquis dominii juribus inoccupatis & in statu nullius relictis. Quodsi jam alius sylvam occupet, & in dominium suum redigat: jus venandi, quod res nullius amplius haud erat, minime acquiret; sed ab eo, qui primus id sibi adseruit, in sylva ista per modum servitutis exercebitur. Idem continget, si sylvæ dominus spontanea translatione feras occupandi titulum alteri relinquat (§. CIV.).

§. CV. ***Feræ, pisces & aves intra districtum, in quo soli cuidam, cum exclusione aliorum, jus venandi competit, incomplete jam, ac remote in dominio existunt.***

Sequitur præsens propositio ceu corollarium ex propositione demonstrata supra §. LXX. Etenim, cum duæ sint dominii causæ constitutivæ, titulus scilicet & modus (§. XXXIII. sequ.): evidens est, quod, qui titulum, rem aliquam suam faciendi, in eamque dominium introducendi privative & cum exclusione aliorum possidet, eandem pro parte jam sibi proprietatis jure affectam habeat (§. III.). A solo scilicet tituli privativi possessore occupabilis existit (§. LXII. & LXVIII.); nec sine ejusdem consensu & voluntate in dominium atque proprietatem alterius transire valet (§. LXXII.).

Qua-

Quapropter, cum jus venandi titulum feras occupandi, suasque faciendi absolvat (§. CII.): patet, quod, qui in certo & definito districtu feras occupandi solus, & cum exclusione aliorum jure gaudet, eas, donec in sylva & districtu suo commorantur, pro parte jam proprietatis jure affectas teneat. Existunt itaque in dominio incompleto (§. LXIX.), &, quoniam titulus causam dominii remotam absolvit, remoto ejus, qui solus cum exclusione aliorum titulo atque jure venandi instructus est.

SCHOLION. Induunt scilicet hanc qualitatem, & partiali hoc proprietatis jure afficiuntur, quam primum fundum ingrediuntur nostrum; nec ante dimittunt, quam si alio se contulerint. Supponimus tamen, quod dominium perdurabile (§. XCVIII. XCIX. & C.), alii in easdem quæsitum haud sit; utpote, quod per solum fundi ingressum minime extinguitur (§§. iisd.).

§. CVI. *Feræ, pisces & aves intra definitum districtum ab uno tantum, vel paucis occupabiles, non sunt res nullius.*

Remote enim & incomplete jam in dominio existunt (§. CV.), & ex parte proprietatis jure affectæ sunt (§. eod.). At vero res nullius, licet in dominio esse non repugnent, nullo modo tamen ad res proprias pertinent (§. XX.); nec ullo respectu cuidam in particulari affectæ sunt. Feræ igitur, pisces & aves ab uno tantum aut paucis occupabiles minus recte ad res nullius referuntur.

SCHOLION. Minus recte igitur sentiunt, qui feras, pisces & aves in districtibus venationum, ut ut ab uno tantum vel paucis occupabiles, pro rebus nullius reputant, erronea *rei nullius* notione haud dubie decepti. Putant illi, ad id, ut res qualitatem rei nullius exuat, actualem ejusdem apprehensionem requiri; nec privativam tituli possessionem sufficere. Verum enimvero, cum rem ab uno tantum vel paucis occupabilem, præter hos nemo suam faciat (§. LXXII.); nec occupans eandem

dominio suo subjiciat (§. eod.): respectu aliorum perinde est, ac si in dominio completo & actuali jam existeret; consequenter non magis illas, quam has pro rebus nullius haberi convenit. Hæc velim serio perpendant, qui deceptrici (*rei nullius*) sono inducti, in jura & res aliorum sine conscientiæ remorsu involant; seque rerum ita occupatarum fieri dominos falso sibi persuadent.

§. CVII. *Qui feras, pisces, & aves, quas occupandi unus aut pauci cum exclusione aliorum jure gaudent, occupat: non suas easdem, sed illius, aut eorum facit, qui titulo eas occupandi privative instructi sunt.*

Quod suas easdem non faciat, ex demonstratis supra (§. LXXII.) abunde patescit, & vel ex eo satis intelligitur, quod occupatio non sit, nisi rerum nullius (§. LVI.); nec sine titulo ea procedat, aut dominium occupanti tribuat (§. LXI.): quorum neutrum de feris &c. ab uno tantum vel paucis occupabilibus dici potest. Non enim res nullius sunt (§. CVI); neque etiam aliis eas occupandi titulum competere per se liquet. *Quod erat primum.*

Sed nec alterius, quam, qui privative eas occupandi jure gaudet, illas fieri per modum corollarii ex §. LXXIII. colligitur. Cum enim fera &c. occupantis non fiat, cujus obsecro ea dominio subjicietur? an nullius? an, sicut ante, a privativo tituli domino occupabilis solum existet? Primum dici nequit; cum ex parte proprietatis jure jam affecta sit (§. CVI.): posterius facile largior, si vivam feram ceperit, eamque rursum naturali libertati restituerit. Neutiquam vero de iis, quas inclusas tenet, aut de prostratis idem dicendum erit. Has siquidem, si, ut debet, rectæ rationis ductum sequitur, non potest occupans alterius reputare, quam illius, qui privative eas suas faciendi jure pollet

let (all. §. LXXIII.). Quodsi occupantem feræ effectum fuisse dominum dicamus: falsum est, quod alter privative & solus eandem occupandi jure instructus fuerit; quod, cum sit contra hypothesin, utique absurdum dicendum est. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Diversum hic sentit VINNIUS (a) cum multis aliis, feram hoc casu occupantis fieri statuentibus; adversum quos merito insurgunt JCti eximii nominis alii, quos inter SCHILTERUM (b), HUBERUM (c) atque PUFFENDORFFIUM nominasse sufficiat. PUFFENDORFFII verba, licet in hypothesi loquatur, qua principi venatio competit, referre tamen lubet, cum eadem nobiscum principia generalia supponat: *Enimvero*, (ait) *valde simplex est credere, naturali quadam necessitate aliquem fieri dominum ejus rei, quam primus apprehendit; - - - - igitur si isthoc acquirendi modo circa certas res subjectis Princeps interdixerit: prima apprehensio ad dominium acquirendum nil proderit; & producit ista lex eundem cum dominio effectum hactenus, quod subjectus feras attrectare non debeat, aut si de facto attrectaverit, suas non faciat. Neque si rancidulæ carnes a tertio cumprimis vindicari non solent, ideo venator clancularius earum dominium habuit. Neque capere est statim acquirere; cum illud sit nudus actus physicus, hoc vero effectum moralem involvat.* *Quin illud potius contradictorium est: Principibus solis competit jus venandi: & si privatus feram ceperit, ejus dominium acquirit; id est, soli Principes possunt usurpare illum modum, quo dominium legitimum in feras constituitur: & nihilominus, cui illum modum adhibere non licet, dominium acquirit.* *Sed quid si aliquis quærat, penes quem ergo erit dominium feræ contra leges captæ? Non penes captorem id esse ipsi negamus: & Princeps eam non cepit. Heic dicendum videtur, istum venatorem Principi ultroneam, licet parum gratam operam præstitisse; adeoque non secus, atque alius venator a Principe auctoratus capiendo feras Principis fecisse.* Quin ipse ZOESIUS (e), & qui eundem allegat GLETTLE (f), quo minus feræ occupatæ dominium acquiratur, lege effici posse affirmant.

(a) *Ad Instit. Tit. de R. Divis. §. 13. n. 5.*

(b) *Exercitat. ad π. XLV. §. 5. seq.*
(c) *Digress. Lib. IV. C. XX. §. 4.*
(d) *Lib. IV. C. VI. §. 7.*
(e) Ad *π. Tit. de Acquir. R. D. n. 14.*
(f) *Jurisprudent. Terribili Tom. I. P. II. C. 2. §. 6. assert. 3.*

§. CVIII. Unde nullo negotio colligimus, *quod feræ, pisces & aves ab aliis, quam qui eas occupandi jure gaudent, captæ & occupatæ, sint res in dominio existentes eorum, qui soli & privative easdem suas faciendi jure instructi sunt* (§. *CVII.*).

§. CIX. *Quicunque igitur feram, piscem, aut avem ab uno aut paucis solum occupabilem, captam retinet; consumit; alienat; aut in alium transfert: rem non suam, sed alienam retinet; consumit, & in alios transfert* (§. eod.).

SCHOLION. Hæc omnia prono alveo consequuntur, quamprimum titulum occupandi feras &c. penes unum aut paucos residere ponimus. Quod cum contradictionem nullam involvere evicerimus (§. LXVIII.); & ipsa experientia satis doceat: de veritate harum conclusionum eo minus dubitandum erit.

§. CX. Res nostras, quæ invitis nobis, & sine justa caussa penes alios existunt, optimo & in ipsa dominii natura fundato jure inde repetimus, avocamus, atque vindicamus (a). Unde patet, *quod feras, pisces, & aves, in districtu venationis nostræ ab aliis occupatas, optimo jure, & vigore dominii nobis in easdem acquisiti* (§§. CVII. & CVIII.), *a quocunque possessore repetamus, avocemus, atque vindicemus.*

SCHOLION. Vindicari hoc casu posse feras negat VINNIUS(b); præsertim si ad tertium bona fide pervenerint. Atat, cum in falso supposito versetur VINNIUS, quasi dominium capienti quæsitum, isque dominus feræ effectus fuerit; hoc vero principium in antecedentibus luculenter a nobis destructum sit: refutandis ejusdem argumentis non insistimus. Quando ait: *Non acquisitio-*

ni

ni animalis capti, *sed juri venandi derogatum esse*: illud in eo casu, quo jus venandi titulum quoque privativum, & non meram prohibitionem, aliis ex causis factam, involvit (§§ LXVI. Schol. §. LXXXII. Schol. I.) omnino contradictorium est; cum absque titulo nulla feræ occupatio (§. LVI. & LXII.), aut acquisitio dominii esse, aut concipi queat. Quod igitur VINNIUS feram occupantis fieri statuit, id tum demum cum veritate consistit, quando prohibitio titulum in salvo relinquit (§. LXXXII.).

(a) PUFFENDORFF. *Officio H. & C. L. ib. 1. C. 13. §. 1.*
(b) *Ad Instit. Lib. II. T. I. §. 13. in not.*

§. CXI. Quodsi res nostra a malæ fidei possessore consumta, nec ejusdem restitutio in individuo fieri possit: tunc aut res ejusdem speciei & æqualis bonitatis in vicem reddenda; aut pretio dato, quod ex ejusdem jactura sentimus, damnum pensandum est. Sin a b. f. possessore in usus suos versa: tum, quantum inde locupletior, factus restituit (a). *Feræ igitur, piscis aut avis, in districtu venationis nostræ mala fide occupatæ, restitutio, aut in simili, alia scilicet fera, aut in pretio facienda: sin bona fide consumta fuerit, quantum inde locupletior factus, restituit.*

SCHOLION. Loquimur nimirum de eo, quod jure naturali circa restitutionem rei nostræ juris est; jure namque civili bonæ fidei possessorem re consumta, ad restitutionem ejus, quod locupletior factus est, non teneri satis expeditum est: malæ vero fidei possessor de hocce rigore juris nequaquam conqueri potest; scire enim debebat se feram non sibi, sed privativo tituli possessori (§. CVII.) acquisivisse, neque occupando rem eundem suam, sed alienam (§. CVIII.) nactum fuisse, quam dum retinuit, malaque fide absumsit, sibi imputet, siquod in restitutione damni, aut molestiæ sentiat. Cum quibus fere coincidunt, quæ in allegato tractatu (b) celeberrimus GLETTLE hanc in rem differit: *Unde sua sonte sequitur, subditos teneri ad restitutionem, si venentur; cum sciant, vel scire debeant, quod Princeps*

jus

jus venandi solus obtineat. Minime recte autem æstimationem damni non ex fera, pisce aut ave in districtu venationis occupata, sed ex imminuto venationis usu faciendam esse existimat. Ast quomodo aliter sentire poterat? Postquam communem cum turba communi errorem erraverat, occupantem scilicet feræ effectum fuisse dominum; cujus suppositi falsitatem ad nauseam monstravimus. Ipsarum itaque ferarum pretia indaganda, ut damni resarciendi quantitatem rite determinemus.

(a) PUFFEND. *cit. l. §. 3.*
(b) *Alleg. tract. Tom. I. P. II. C. II. §. VI. n. 17.*

§. CXII. *Venantes in districtu, in quo unus aut pauci privative, & cum exclusione aliorum feras, pisces & aves suas faciendi jure gaudent, privativos husce tituli possessores in suo turbant.*

Qui invito domino in re aliena jus aliquod sibi arrogat, vel in usu rerum, & exercitio jurium suorum eundem impedit: *is alterum in suo turbat* (a). Enimvero, qui invito venationis domino in districtum venationis ingreditur, jus sibi arrogat, quod ad eundem minime pertinet, & ipsam venationem multis modis deteriorem reddit; uti res ipsa loquitur. Quin igitur dominum venationis, seu privativum tituli feras occupandi possessorem in suo turbet, dubium non est.

§. CXIII. *Qui feras, pisces, aut aves in districtu, in quo unus aut pauci privative jure venandi gaudent, inscio atque invito venationis domino, animo suas eas faciendi occupat, furtum committit.*

Qui in prædia, aut fundos, in quibus uni vel paucis feras occupandi, & privative suas faciendi facultas competit, inscio atque invito venationis domino venandi gratia ingre-

ingreditur, feras, pisces aut aves, quas capit, non suo, sed illius, qui privative eas occupandi titulo gaudet, dominio subjicit (§. CVII.); consequenter, dum easdem contrectat, retinet, & consumit, non suas, sed res alienas contrectat, retinet, atque consumit (§. CVIII.). Quod cum ante, quam feram occupet, scire possit, debeatque (§§. iisd. & §§. LXXII. LXXIII.): in effectu animo rem alienam, seu si mavis, quam per occupationem & factum suum illicitum alterius efficit, inscio atque invito domino sibi propriam faciendi, ac retinendi in districtum venationis se se confert, ferasque occupat. Enimvero, qui inscio ac invito domino rem alienam, animo eam suam faciendi, contrectat, in furti crimen incidit. Quin itaque ejusmodi venationis invasor, dum feras, pisces & aves animo suas eas faciendi occupat, easdem retinendo furti se se crimine obstringat, dubium nullum superest.

SCHOLION I. Atque ita in aprico jacet, in quo consistat furti ratio, cujus se ferarum, piscium & avium in alieno venationis districtu occupatores obnoxios faciunt. Ingrediuntur nimirum ejusmodi homines in fundos & prædia, in quibus privativum alii jus venandi & titulus feras occupandi quæsitus est, tanquam temerarii rei alienæ turbatores (§. CXII.); per consequens autem, & dum, uti (§. CVII.) probatum dedimus, per actualem feræ occupationem rei alienæ detentores evadunt (§. CVIII.), eamque clam retinent, furum nomen induunt. Neque alia inter hos, & fures rerum aliarum assignari valet differentia, quam quod hi rem, ante furtivam contrectationem in actuali nostro dominio existentem, auferant: illi vero rem a nobis tantum, aut nomine nostro occupabilem, quam per illicitam occupationem non suam, sed nostram faciunt (§§. iisd.), retineant. Utrinque cum re nostra fraudemur, res eodem recidit. Interim hanc ipsam ob causam furtum ferarum, piscium, aut avium minus, quam rerum aliarum, actu dominio nostro subjectarum, crimen reputant, imo ne inter furta quidem locum eidem assignant; cujus contrarium tamen satis evicimus. Dicunt illi:

incertum fuisse, utrum fera furtim occupata unquam in domini venationis proprietatem perventura fuisset; nullam proin, aut levem eundem jacturam, aut damnum sentire. At vero, cum incertitudo illa per occupationem furis ferarum, juxta demonstrata, evanescat: nescio an magnum his & similibus objectionibus pondus insit.

SCHOLION II. Multo igitur minus a furti crimine excusari poterunt, qui feras, pisces & aves, actu & complete in dominio nostro existentes, quales sunt, quas supra recensuimus (§§. LXXXV. sequ.), clam, atque invito domino auferunt. Quoniam itaque, uti mox demonstraturi sumus, ita etiam in fundos & prædia introduci possunt dominia, ut quidquid fundis sive perpetuo sive ad tempus inexistit, in proprietatem redactum, & dominio nostro subjectum esse reputetur: quæ de furtis & rapinis ferarum paucis hic addituri sumus, multo magis, & a fortiori in ea hypothesi locum sibi vendicabunt.

§. CXIV. In crimen rapinæ incidit, qui conscio quidem, sed invito ac reluctante domino, rem alterius, animo eam suam faciendi, vi rapit. *Unde raptores & criminis rapinæ reos merito pronuntiamus, qui feras, pisces & aves conscio quidem, sed invito ac reluctante venationis domino vi occupant, auferunt, atque consumunt.*

SCHOLION. Circa rapinam ferarum eadem, quæ §. præcedenti in scholiis de crimine furti notavimus, velim advertas, id præterea tenens, atrocius rapinam, quam furtum ferarum facinus esse. Qui enim vi aperta feras occupat, manifestius multo, & gravius alterum in suo lædit, & ab actuali occupatione rei pro parte ipsi jam proprietatis jure affectæ impedit.

§. CXV. Tam fures (§. CXIII.), quam raptores ferarum (§. CXIV.), rerum nostrarum detentores sunt (§§. CVII. & CVIII.). *Quæcunque igitur ad res nostras a furibus & raptoribus recuperandas, & damna resarcienda juris remedia*

pro-

prodita ſunt: iis omnibus adverſus ferarum fures & raptores uti integrum erit.

SCHOLION. Eorum aliqua ſupra (§§. LXXIV. & XCV.), recenſuimus, quæ huc quoque trahi & applicari poterunt.

§. CXVI. Res noſtras adverſus injuſtos invaſores, fures & raptores mediis etiam violentis, ſicubi opus eſt, jure defendimus; ablatas vero raptasque recuperamus, damnique inſuper ea occaſione dati reſtitutionem petimus. Id quod jure naturali expeditum a (a) nemine, cui mens ſana in corpore ſano, in dubium vocatur. Enimvero feræ, piſces & aves, quæ actu in dominio alterius non ſunt, quam diu in diſtrictu venationis noſtræ vagantur, ad τα noſtra recte referuntur (§§. LXIX. ſeq. item §. CV.) & proprietatis jure pro parte jam nobis affectæ ſunt (§§. iisd.). *Feras itaque, piſces & aves, in diſtrictu venationis noſtræ vagantes adverſus invaſores, fures & raptores, violentis etiam mediis defendendi, ablatas raptasque recuperandi, damnique, ſiquod eo intuitu datum eſt, reſarcitionem petendi, jure gaudemus.*

SCHOLION. Propoſitioni huic complexæ adhuc ſua veritas conſtat, etiamſi nudum tantum jus violari ponas. Quis enim jura etiam noſtra adverſus turbatores defendendi jus nobis ab ipſa natura comparatum eſſe dubitat? Sane, dum violentos invaſores ædium mediis itidem violentis arcemus, nil aliud agimus, quam quod jus, quod in ædes privative nobis competit, contra vim injuſtam in tuto collocare ſatagamus.

(a) HUG. GROT. *J. B. & P. Lib. II. C. I. §. 11.* Item Opuſc. II. ſupra, *de arctis juris talionis limitibus* per totum.

§. CXVII. In defenſione æque, ac in recuperatione rerum atque jurium noſtrorum mediis violentis perficienda, ad ſufficientem medii, quo finem obtinere intendimus, præcipue attendendum eſt, prout in allegato opuſculo

(a) invictis argumentis demonstro. Quare, si alia media res nostras defendendi atque recuperandi non supersint; neque vilitas rei pro qualitate personarum & circumstantiarum æstimanda aliud suadeat: ad vitæ usque privationem deveniri posse exploratum est, & bella inter gentes, quæ naturali inter se jure utuntur, quotidie docent. *Idem igitur in defensione & recuperatione ferarum, in districtu venationis nostræ versantium, atque occupatarum, nisi animalis vilitas pro circumstantiis aliud suadeat, juris erit.*

SCHOLION. Studio addidi: ni vilitas animalis, piscis aut avis occupatæ aliud suadeat. Quis enim inhumanus adeo, aut crudelis erit, ut propter vilissimi pretii avem, aut piscem ad extrema hæcce media confugere velit? Aliud vero dicendum, si aut notabilis pretii, aut ingens ferarum, piscium & avium copia ablata, aut pervicax adeo invasorum malitia fuerit, ut retundi alia ratione nequeat. Tum enim in statu naturali invasorem atque turbatorem jure belli juste aggredimur, & ubi alia nostrum recuperandi defendendique via non superest, merito eundem suo occidimus (b): in statu autem civili pœnis a summo Magistratu dictandis tam invasiones, quam furta & rapinas coerceri notum est. Sed & in his determinandis eandem sufficientiam medii ad finem obtinendum sancte custodiendam esse citato loco innui (c).

(a) §. 20. *Opusc. II. all.* item HUG. GROT. *alleg. l.* & alii plures.
(b) *Ibid.* §. 17.
(c) *Ibid.* §. 28. & 29.

§. CXVIII. Eodem allegato loco immotis argumentis evinco (a), quod, etiamsi defensionis atque recuperationis præsentis ratio vim armorum non amplius efflagitet, si nihilominus tanta, tamque frequens & pervicax turbatorum & invasorum rerum nostrarum malitia evadat, ut quod nostrum, nobis surripiendi, occupandique studium intermittere plane nolint, futuræ securitatis, obtinendæ causa mala ipsis infligi queant, queis a maligno suo propo-

sito,

ſito, & nocendi nobis pruritu avertantur, nec impune probos ab improbis turbari, violari, rebusque ſuis exui edoceantur. *Quidni igitur de malitioſis, & corrigi neſciis venationum noſtrarum turbatoribus, ferarum in diſtrictu noſtro vagantium furibus & raptoribus idem juris eſſe ſtatuamus?* Nulla ſane diſparitatis ratio ſubeſt, nec plus hic, quam in improbis & nefariis factis aliis hominum malitiis indulgendum.

§. CXIX. Quodſi ad tantum faſtigium excreſcat invaſorum & turbatorum protervia, ut lenioribus malis edocti reſipiſcere plane nolint, ſed audaciores facti, omnem, quo nobis noceant, lapidem moveant: extirpari eosdem penitus, & tanquam ſocialitatis inimicos, atque generis humani hoſtes in exemplum etiam aliorum interfici, juri & æquitati naturali nequicquam adverſatur, & bella punitiva adverſus barbaros, & totius generis humani hoſtes abunde comprobant (a); *Quæ tuto quoque ad incorrigibiles penitus, & protervos venationum noſtrarum violatores applicari poterunt.* Imputent ſibi, ſi ruptæ pacis, ſocialitatis, & proprietatis rerum conculcati ſanctiſſimi juris promeritas pœnas luant.

SCHOLION. Ecce tibi fontes pœnarum in fures & raptores, in republica ſtatuendarum, de quibus pluribus in opuſculo ſequenti acturi ſumus, non intermiſſuri, quæ ad clementiam Principes permovere poterunt. Non me latent phraſes illæ communes, quibus iniquitatem extremi hujus ad feras noſtras defendendas, recuperandas, atque conſervandas remedii, privationis ſcilicet vitæ invaſoris, furis aut raptoris evincere allaborant. At vero vim illæ omnem amittunt, admiſſo, quod nemo ſanus in dubium vocare poterit, hoc ſolo principio, quod in determinandis defenſionis, recuperationisque rerum noſtrarum mediis, nec non in infligendis pœnis ſufficientia medii ad finem obtinendum ſolam, unicamque rectam normam conſtituat; nec ab ea recedendum ſit, niſi ubi alia æquitatis ratio major exceptionem ſuadeat. Equidem nullam inter feram beſtiam & vitam hominis

proportionem; nec ferendum esse ajunt, ut propter brutum homo, ad imaginem Dei creatus, neci tradatur. At vero, si hæc ratio attendenda, si non ad sufficientiam medii ad finem obtinendum, sed ad rei ablatæ & auferentis pretium respiciendum: neque fures equorum, aut asinorum, rerumque aliarum morte mulctari poterunt. Ecqua enim inter equum, aut inter asinum & hominem proportio intercedit? Nihilo tamen minus animalium istorum uno, rebusque vilioris etiam pretii furto ablatis, mortis pœnam irrogari posse constat. Quibus accedit, quod ferarum furta atque rapinæ cum animo ut plurimum justos venationis suæ ferarumque defensores vulnerandi aut plane occidendi, committi soleant.

§. CXX. In introductione dominiorum & proprietatis rerum ad id quoque respiciendum erat, ne pax inde, atque securitas vitæ humanæ detrimentum pateretur, aut juribus perfectis, quæ ante introductionem dominiorum hominibus ex ipso naturali jure quæsita erant, præjudicium crearetur (§. LVIII. Schol.). Unde facile sequitur, *quod in dominio haberi non debeant res, ex quibus interitus vel excidium aliis metuendum; aut si vel jucunditatis, alteriusve usus gratia proprias eas, & in dominio habere quis cogitet, ita in custodia habendas esse, ne aliis eæ damno vel noxæ sint;* utpote ad quam avertendam jus ipsis perfectum comparatum esse dignoscitur.

§. CXXI. Ab animalibus ferocibus & rapacibus, qualia sunt tygrides, leones, ursi, lupi, vulpes &c. vitæ tum nostræ, tum animalium mansuetorum usibus nostris quotidianis & victui inservientium discrimen imminet. Quam cum jure perfecto adversus quemcunque, multo magis contra animalia ferocia defendamus: *evidens est, animalia ferocia atque rapacia ita propria haberi minime posse, ut libere vagentur, aut nocere queant, sed arcta potius custodia ita includenda atque coercenda esse, ut evadendi nocendique iis via omnis præclusa sit* (§. CXX.)

SCHO-

SCHOLION. Ferarum, aliarumque bestiarum, quæ nocere solent, arctam custodiam leges quoque positivæ imperant (a), adeo, ut criminali etiam judicio pulsari queant, qui aut laxiori easdem repagulo tenuerint, aut moniti a se non abdicaverint (b).

(a) Vid. LAUTERB. *Colleg. Theor. Pract. Lib. IX. Tit. I.* §. 9. *sub fin. ibique allegat.*
(b) *Nemesis Carolin. Art.* 16.

§. CXXII. Ulterius ex hoc principio deducitur, *quod ne in districtibus quidem venationum, seu in locis, ubi privative quis jure venandi gaudet, animalia ferocia, atque rapacia nutrienda, aut cum cura conservanda sint.*

§. CXXIII. Quin potius *venationum dominos ad ejus generis animalia extirpanda atque eradicanda prorsus teneri constat.*

SCHOLION. Idque usu etiam servari solet; qua ratione ursi in Germania, lupi in Anglia penitus extincti fuere, ut vix unus aut alter supersit.

§. CXXIV. *Bestias feroces, leones, ursos, lupos &c. in præsenti corporis, & vitæ nostræ, aut animalium nostrorum discrimine constituti in districtu etiam, ubi alius privative jure venandi instructus est, libere occidimus.*

Etenim corpus, vitam resque nostras adversus invasiones bestiarum ferocium jure perfecto defendimus; quo, cum per introductionem dominiorum, aut privativam tituli adsertionem privari non potuerimus (§. CXX.): patet propositionis assertæ veritas.

SCHOLION. Unde iniquitas edictorum, quibus pastoribus ovium lupos occidendi, aut canes ducendi facultas adimitur, luculenter apparet (a).

(a) Confer KLOCK. *Tom. I. Consil.* 30. *n.* 27. 28. & 29.

§. CXXV.

§. CXXV. *Quodsi periculum præsens non immineat: consultius, & æquitati magis conforme est, ut venationis dominus monitus ipse, aut ministri ejusdem animalia ferocia interficiant, quam ut libera cuique eadem occidendi aut capiendi facultas sit.*

Data cuilibet indistincte de animali feroci & rapaci persequendo, & extra præsens periculum in sylva occidendo licentia, prona ad furta, & rapinas ferarum via sternitur; cum non nisi armis instructi in venationis districtum venire queant. Quod, quia domino venationis minime expedit: ferendum non est, si alia ratione animal ferox extirpari valeat. Enimvero id commode per ipsum venationis dominum, aut quibus id ille negotii demandat, perficitur. Non consultum igitur solum, sed æquitati potius conforme est, ut venationis dominus, seu tituli feras occupandi privativus possessor monitus, ipse animalia ferocia venando persequatur, capiat, atque interficiat.

SCHOLION. Ex hoc principio juste etiam ursorum, luporum, vulpium, aprorum &c. venationes prohiberi opusculo subsequenti solide evictum dabimus: licet aliud olim ex constitutione FRIDERICI Imp. obtinuisse videatur (a).

(a) *De Pace tenenda* §. 5. verb. *nemo retia*. 2. *Feud*. 27.

§. CXXVI. *Si dominus, seu privativus tituli in certo districtu venandi possessor, animalia ferocia atque rapto viventia extinguere negligat: quod inde damnum consequitur, aliis resarcire obligatur.*

Culpa enim dominorum venationis est, quod damnum alii sentiant. Quare, cum culpa datum ad damnum ab eo, qui dedit, resarciendum sit: idem quoque de damno, quod per culposam bestiarum ferocium conservationem contingit, dicendum erit.

§. CXXVII.

§. CXXVII. Ex eodem, quod §. CXX. stabilivimus, principio porro fluit, *a recta proprietatis & dominiorum ratione abborrere, ut ferarum, quæ satis atque frugibus insigne damnum inferre solent, magna nimis copia, in vaga præsertim errandi libertate anxio studio nutriatur, atque conservetur.*

SCHOLION I. Inutilis quippe ita redderetur omnis agrorum, & vinearum cultura, eoque tandem adigerentur homines, ut inculta prædia & fundos relinquerent, quorum tamen causa dominia præcipue introducta fuere, uti jure naturali edocemur.

SCHOLION II. Cave tamen propterea feras omnes, præcipue quarum carnibus vesci solemus, extirpandas plane esse præpropero judicio statuas: contrarium potius suo loco ostendemus, & hanc ob causam modicum, quod frugibus & satis infertur damnum, in censum trahendum non esse demonstrabimus. Quid circa venationes banno munitas in republica juris sit, de eo opusculo eodem ex professo acturi sumus.

§. CXXVIII. *Feras nullius, sata, fruges, atque uvas depascentes, aut occidendi, aut abigendi cuique facultas est.*

Primum ex demonstratis supra (§. LXXIX. & LXXX.), satis manifestum: neque alterum facile quispium in dubium vocaturus est.

§. CXXIX. *In districtu, ubi privative alius jure venandi gaudet, feras e satis atque frugibus nostris jure abigimus; neutiquam vero eas aut occidendo, aut occupando nostras faciendi facultas nobis competit.*

Tam nos, quam res nostras adversum feras defendendi jure naturali nobis facultas comparata est, cui per introductionem dominiorum, & jurium privativas adsertiones neutiquam renuntiatum fuit (§. CXX.). Licet ergo alius solus, & cum exclusione cujuscunque in fundo nostro

feras occupandi titulo instructus sit: hoc tamen non obstante a satis atque frugibus easdem optimo jure abigimus. *Quod erat primum.*

Quando defensio atque conservatio rerum nostrarum sine damno & præjudicio alterius perfici valet: ad duriora media non progrediendum; nec alter in suo lædendus. Quare, cum, feras a frugibus atque satis abigendo, nostrum sine damno & præjudicio domini venationis in salvo collocemus: ad occupationem seu captionem ferarum citra læsionem & injuriam ejusdem deveniri nequit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Quin, etiamsi feræ in tanto fuerint numero, ut ne abigi, nec fruges, & sata adversus easdem defendi valeant: ad venationum tamen, non frugum seu satorum dominos pertinebit earundem copiam aut occupando, aut capiendo imminuere (§. CXXX.).

§. CXXX. *Ex eadem ratione prædiorum atque fundorum dominis sepibus agros, atque muris cingere licitum erit.*

SCHOLION. Modus tamen & hic servandus, ne acutis palis feris officiatur, aut integræ sylvæ ita claudantur, ut nullus quaquaversum exitus pateat, & vivaria potius, quam sylvæ nemoraque aperta evadant. Id quod ex situ loci, juribusque dominorum in casibus particularibus specialius definiendum.

§. CXXXI. *Quodsi culpa domini venationis ingens nimis & exorbitans ferarum copia alatur: ad resarciendum, quod inde satis atque frugibus damnum obvenit, jure obstringitur.*

Demonstratio eadem est cum demonstratione §. CLVI. Culpa siquidem quod damnum datur, resarciendum esse, explorati juris est.

SCHO-

SCHOLION. Caute tamen dispiciendum, quænam exorbitans ferarum copia dici mereatur. Cum multa ferarum genera ad usum & victum hominum conservari, imo & augeri etiam intersit: alias rationes pro conservatione venationum, quæ Principibus competunt, jus publicum universale suo loco suggeret; ubi simul, quid leges charitatis, & amoris in subditos observandum esse jubeant, sedulo inculcabimus.

§. CXXXII. Quæ hactenus circa venationes in statu naturali pro diversa hypothesi, cum vel libera cuilibet feras, pisces & aves, occupandi licentia relinquitur (§§. LXXVIII. seq.), vel proprietatis quodam jure privative per districtus ab uno vel paucis possidetur, atque exercetur (§. CI. seq.) juris esse demonstravimus, sufficere poterant, ut inde jura Principum, quos in republica recte constituta privativos regalis venandi juris possessores esse invictis argumentis probatum dabimus, prono consecutionis filo derivaremus. Enimvero, cum planiora multo ea evadant, si non metalla solum, gemmas, thesauros, & quæ alia ad regalia fisci pertinent, sed & feras, pisces & aves nobiliores in dominio Principis completo & actuali constitutas esse evicerimus: paucis adhuc dominium ejusmodi in feras, pisces & aves, in districtu venationis vagantes, transitorium licet, nihil tamen absurdi involvere, sed cum recta dominiorum ratione omnino consistere, adstruere lubet.

§. CXXXIII. Notandum igitur, quod dominium, quale in fundos & prædia introducitur, sit totum quoddam potentiale, varia, eaque diversa jura in re propria involvens; quorum complexu, ceu partibus constitutivis & integralibus, absolvitur. Sic aliud est jus utendi, aliud jus fruendi, aliud vendendi & alienandi, aliud inædificandi, aliud commodandi, aliud elocandi, eundi, ambulandi, & siquæ facultates aliæ in re propria concipiantur.

§. CXXXIV. Porro hæc ipsa, quæ ex necessitate naturali a genere humano, & populis moratioribus in fundos potissimum & prædia introducta fuere rerum dominia (§. XXIV.), quod complexum, multitudinem & amplitudinem jurium in re propria exercibilium attinet, non una apud omnes populos, imo inter singulos sese ratione habent. Quin multum hic arbitrio populorum & gentium relictum fuit, quæ in primæva occupatione, & introductione dominiorum aut plura in fundis, aut pauciora jura sibi adserere, & ad complexum dominii referre potuere, prout aut pluribus, aut paucioribus usibus fundos destinarant, vel ipsa prædii natura, situs, locus vel genius denique populi ferebat. Hæc uti certa sunt, ita usus etiam & experientia comprobat.

§. CXXXV. Unde concipimus, dominia in fundos & prædia vel *latiora* esse, vel *remissiora*. *Dominium latius* seu *amplius* dicimus, quando ita in fundos & prædia introducitur, ut parum aut nihil eorum, quæ usum hominibus præstare apta sunt, inoccupatum relinquatur. *Dominium autem remissius* seu *laxius* vocamus, quando ita in fundos introducitur, ut multa in iisdem inoccupata, & ἀδέσποτα relinquantur.

SCHOLION I. Cur autem aut remissius, aut latius dominium in fundos actu inducatur, hujus rei variæ esse causæ solent. Ita dominium remissius præplacet, quando ad definitos & limitatos usus, e. g. in ordine ad fructus e terra progerminantes inde colligendos, aut ad ædes in superficie exstruendas prædia occupamus, reliquis, quæ iisdem inexistunt, ut ut ad jucunditatem & commoditatem vitæ facientibus, inoccupatis, & in statu nullius relictis; eoquod harum rerum proprietas cum recta agrorum & fundorum cultura non consistat; aut earum indagatio a laboribus magis necessariis avocet; vel etiam, quod quædam fundorum accessoria ita rara, parumque obvia sint, ut, qui

præ-

prædia necessariæ vitæ sustentationis gratia propria faciunt, de iis sibi attribuendis ne cogitent quidem: ut de aliis rationibus, quas civilis societatis ordinata constitutio subministrat, jam nihil commemorem.

SCHOLION II. Latioris rursum seu amplioris dominii variæ causæ esse queunt. Fors, quod prædia ita comparata sint, ut res, inoccupatæ alias relinqui solitæ, ingentem ac præcipuam eorundem possessoribus utilitatem præbeant; quod in statu nullius relictis variæ in fundorum dominos molestiæ redundent; quod separatis fundorum atque prædiorum juribus, quædam accessoria uni, alia aliis proprietatis jure quærantur; atque ita efficiatur, ut & cultura agrorum, & rerum istarum dominium amice consistant. In opusculo subsequenti solide demonstrabimus, quarum rerum dominium in privatis etiam fundis summo magistratui ex hoc capite adscribendum veniat. Interim ex nudo etiam beneplacito populi, nulla prægnantium harum rationum militante, amplum adeo dominium introduci potuisse, dubio caret.

§. CXXXVI. Res, quæ introducto in fundos dominio remissiori seu laxiori (§. CXXXV.) inoccupatæ relinquuntur, dicuntur ἀδέσποτα, id est domino atque hero carentes.

SCHOLION. Ita has res HUGO GROTIUS nominat (a). De jure imperantis circa ἀδέσποτα peculiari capite agit illustr. BOEHMERUS *in jure suo publico universali* (b).

(a) *De J. B. & P. Lib. II. C. VIII.* §. 7.
(b) *Part. special. Lib. II. Cap. X.*

§. CXXXVII. *ἀδέσποτα fiunt primi occupantis.*

Domino enim cum careant (CXXXVI.), res nullius esse constat (XX.). Quæ cum, si ceteroquin dominii capaces sint, primo occupanti cedant (LVI.): ἀδέσποτα primi occupantis fieri liquet.

§. CXXXVIII. *Metalla, in visceribus terræ latentia, mineræ, gemmæ, thesauri, feræ, pisces & volucres in fundis inoccupatæ relictæ, cedunt occupanti.*

Sunt enim ἀδέσποτα (§. CXXXVI.). Quare, cum ἀδέσποτα primi occupantis fiant (§. CXXXVII.): metalla quoque, mineras, gemmas, feras &c. in fundis inoccupatas relictas, primi occupantis fieri evidens est.

SCHOLION. Quoniam in statu reipublicæ Romanæ plerasque harum rerum tam privati fundorum possessores, quam ipsa respublica inoccupatas & dominio vacuas reliquit: facile liquet, quod tam metalla, quam gemmæ, mineræ, feræ &c. primis occupantibus cesserint: nisi quod, cum apud veteres acquisitio thesauri inter occupationem & accessionem fluctuaret (a), has sententias ita conciliarit HADRIANUS, ut in loco suo, sacro & religioso sine malis artibus inventus inventori cegeret: in loco alieno, sive publico, sive privato casu fortuito repertus inter dominum sive publicum sive privatum, & inventorem divideretur (b): data opera quæsitus totus domino fundi (c): malis autem artibus indagatus, fisco acquireretur (d).

(a) HEINECC. *ad π. P. VI. Lib. XLI. Tit. I. §. 124.*
(b) §. *39. Inst. de R. D.*
(c) *L. un. Cod. de Thes.*
(d) *Ibid.*

§. CXXXIX. *ἀδέσποτα, in fundo etiam alieno occupata, nostra fiunt.*

Hoc ipso enim, quod ἀδέσποτα res aliquas dicimus (§. CXXXVI.), nullius esse intelliguntur (§. XXVI.): quod igitur in fundo alieno existant, per accidens est, nec propterea minus occupanti acquirentur (§. LVI.).

SCHOLION. Quid de thesauro speciatim apud Romanos obtinuerit, §. *præcedenti* annotavimus.

§. CXL.

§. CXL. Quoniam nihilominus omne a fundis damnum avertendi dominis facultas competit; uti ex ipso proprietatis jure intelligitur: *dominis, rerum inoccupatarum occupationem in fundis suis prohibendi jus comparatum esse, patescit.*

SCHOLION I. Atque inde patet, jure prohiberi alios, ne cum ruina ædium aut fundorum nostrorum effossis subterraneis cuniculis in metalla indagent (a); neve cum frugum, satorum, vinearum, arborumque dispendio ac ruina feras occupaturi fundos ingrediantur (§. LXXXII. Schol.). Licet enim nullum in eas dominium nobis arrogemus: jus tamen prohibendi fundorum ingressum ex hoc, quem indigitavimus, fonte non minus dilucide elucescit.

SCHOLION II. Quibus in statu civili summus Magistratus hic prærogativis gaudeat, tam ex dominio reipublicæ publico, quam ex rationibus politicis prægnantissimis suo loco manifestum faciemus. Quando nimirum in civili societate Princeps, seu territorii dominus, justis ex causis metalla, gemmas, feras, pisces & aves nobiliores sine distinctione locorum in dominium suum transscribit: ex parte quoque subditorum, & privatorum agrorum possessorum jus prohibendi cessare, per se intelligitur.

(a) Conf. Viri ampliss. ac spectatiss. JOAN. CHRISTO. DINZENHOEFFER *brevis analysis L. 1. & 3. Cod. de metallariis & metallis* §. 6.

§. CXLI. Insimul vero ex demonstratis (§. LXXXII.) liquido apparet, *prohibitionem illam occupationis effectum, id est acquisitionem dominii minime impedire.*

SCHOLION. Quid in hypothesi, quod metalla, mineræ, thesauri, feræ, pisces & aves &c. in fundis inoccupatæ relinquantur, ulterius juris sit, specialius indagare desino, ne ultra speciminis academici limites excrescat Dissertatio; id solum advertens, quod a privatis fundorum possessoribus harum rerum proprietas raro sub dominii rationes trahatur, ex rationibus haud dubie

dubie, quas supra (§. CXXXV.) innuimus. Nisi ergo respublica earundem sibi dominium vendicet: ἀδέσποτα, & res a quocunque occupabiles eas manere constat. In Germania & plerisque Europæ regnis juribus eæ fisci adscriptæ, & in dominium publicum redactæ sunt, prout opusculo sequenti demonstrabitur. Quo igitur inoffenso pede in pervestigandis regalibus fisci juribus progredi nunc liceat; coronidis loco, quid introducto ampliori seu latiori in fundos dominio juris sit, paucis adumbrabimus.

§. CXLII. *Accessoria fundorum* dicimus quæcunque ab ipsa fundi substantia diversa, eidem tamen ceu partes & pertinentiæ cohærent, aut inexistunt.

SCHOLION I. Sic arbores, plantæ, fructus, metalla &c. sunt accessoria fundi. Considerari enim possunt ceu diversa ab ipso solo, seu fundi substantia, eidem tamen cohærent, & veluti partes inexistunt.

SCHOLION II. Id tamen velim teneas, nisi accessoriorum specialis exceptio fiat, sub fundi compellatione accessoria quoque venire, utpote cujus partes esse dignoscuntur.

§. CXLIII. Accessoria fundorum alia sunt *perpetua*, alia *interimistica* seu *transitoria*. *Illa* dicimus, quorum ea natura est, ut semel cum fundo cohærentia, eique inexistentia non nisi extraordinario naturæ cursu, aut facto nostro ab eodem divellantur. *Hæc* vero vocamus, quæ ita comparata sunt, ut juxta naturæ suæ ductum, proprioque impulsu solum cœlumque mutent, atque sic fundorum nostrorum pars esse desinant.

SCHOLION. Arbores, fructus, thesauri, metalla &c. perpetua fundi accessoria sunt; quippe quæ aut raro, aut nunquam, aut non nisi facto nostro ab eodem separantur. Feræ contra, pisces & aves, item aquæ præterfluentes ad accessoria fundi transitoria referenda; cum propriæ naturæ ductu alio abeant, & sic fundi pars esse desinant.

§. CXLIII.

§. CXLIV. *Occupato fundo ejus quoque accessoria occupata censentur.*

Occupatio, seu apprehensio dominii in rem introductiva, non stricte, sed cum effectu juris accipitur (§. LV. Schol.); ita ut, qui rem aliquam universim occupat, singulas quoque ejusdem partes, sine speciali apprehensione, suas fecisse & in dominium redegisse censeatur (§. LIX.). Quapropter cum accessoria sint partes fundi (§. CXLII.), una cum fundo occupata esse merito reputantur.

SCHOLION. Recte proin THOSMASIUS (a): *at immobilium apprehensione simul res mobiles his accedentes acquisitæ regulariter erunt Pro accessoriis autem habentur omnes res nullius, quæ in rebus immobilibus continentur, aut quarum sine immobilibus non est usus, sive sint mobiles in specie, ut res inanimatæ, sive se moventes, ut bestiæ, sive supra terram, ut aer, sive intra eandem, ut v. g. thesaurus.*

(a) *Jurisprud. divin. Lib. II. C. X. §. 147. & 148.*

§. CXLV. *Dominium in re perpetuum* seu *perdurabile* voco, quod nonnisi facto nostro interit, aut in alium transfertur; h. e., quod ita nobis in re quæsitum est, ut, quamdiu talis manet, nec voluntate nostra aut expressa, aut præsumta in alium transiit, ad nos pertinere intelligatur. *Dominium interimisticum*, seu *transitorium* dico, quod non aliter in re aliqua nobis competit, nisi quatenus præcise cum fundo aut re nostra alia cohæret; consequenter quod, quando res fundi nostri accessorium esse desinit, simul interit, vel alii acquiritur.

SCHOLION. Sic e. g. quod in arbores, fundo nostro cohærentes, dominium nobis competit, perpetuum esse apparet: quod vero in aquas salinarias, fundum nostrum transfluentes, nobis adscribimus, nonnisi transitorium dici poterit. Quamdiu scilicet in territorio nostro fluunt, ceu ejusdem accessio & pars quædam, nostræ

ræ esse censentur: ut primum vero in solum vicinum transmearint, dominium quoque in eas nostrum extinctum esse intelligitur.

§. CXLVI. *Introducto in fundos latiori, seu ampliori dominio (§§. CXXXIII. & CXXXV.), in accessoria, perpetuo fundo cohærentia, perpetuum; in transeuntia interimisticum seu transitorium nobis quæsitum est.*

Quodsi amplius dominium in fundos introductum fuerit, omnia, quæ fundis inexistunt, neque alii cuipiam perdurabili proprietatis jure jam affecta sunt, acquisita, & in dominium simul redacta esse censebuntur (§§. iisd.). Quapropter cum accessoria fundorum alia interimistice saltem & transitorie cum fundis nostris cohæreant, iisdemque inexistant (§. CXLIII.): introducto latiori in fundos dominio accessoriorum prioris generis perpetuum, posterioris vero speciei nonnisi transitorium dominium erit.

§. CXLVII. Atque inde nullo negotio conficitur, *in hypothesi introducti latioris hujus in fundos dominii, metalla in visceribus terræ latentia, thesauros, mineras, gemmas, lapides pretiosos, succina, pisces lacubus & stagnis inclusos, perpetuo ac perdurabili dominio nobis affectos teneri.*

SCHOLION. Hæc, supposito latiori dominio, indubia sunt. Utrum vero expediat, atque, constitutis præsertim civilibus societatibus, dominium in hæc fundorum accessoria privatis fundorum dominis relinquere consultum sit: id jam in suspenso prætermittimus. Etenim aliud in præsenti opusculo non intendimus, quam ut latius hoc dominium nil absurdi involvere, neque impossibile esse evincamus, &, quæ idem consequuntur, consectaria ex notione, atque indole ejusdem penitius eruamus. Quodsi postmodum Principi, seu summo in republica capiti, in eas res non invitis politicis regulis dominium adscribi planum fecerimus: omnia quæ hucusque de dominio hocce latiori demonstrata fuere, atque in se-

quentibus adhuc demonſtrabuntur, ad Principem, ſive in genere ad ſummum Magiſtratum, recte applicari, per ſe patet.

§. CXLVIII. *Poſito latiori hocce dominio fundorum domini non tantum titulum privativum, & dominium incompletum (§. LXIX.), ſed plenum inſuper atque completum in metalla, theſauros, ſuccina &c. acquiſitum tenent.*

Ex ſuppoſito enim occupata ſunt, unaque cum fundis & prædiis apprehenſa, ac eorum quaſi pars & portio exiſtunt (§§. CXLII. & CXLIII.). Eodem igitur, quo fundus ipſe, jure cenſebuntur (§. LIX.). Enimvero fundus ex hypotheſi proprius eſt. Quare idem quoque de cohærentibus hiſce acceſſoriis ſtatuendum, plenoque eadem dominii jure ad dominos fundi ſpectare, dicendum erit.

§. CXLIX. *In acceſſoria, niſi actu capiantur, & apprehenſione vere phyſica in poteſtatem redigantur, cum occupatione fundorum dominium perpetuum & perdurabile non acquiritur.*

Pone in ejusmodi acceſſoria conſtans & perdurabile dominium acquiri. Cum per naturam ſuam, & ſine facto noſtro locum ſæpius mutent (§. CXLIV.): non poteſt non ſumma dominiorum incertitudo oriri. Quo enim, obſecro! quis facto demonſtret, utrum in ſuo fundo ejusmodi acceſſoria primum extiterint, an in alieno? an ſibi potius, quam alii jure perpetuo acquiſita fuerint? Sane ut litigiis ſuſque deque omnia verti neceſſum ſit, nec proin ſine abſurditatibus quam plurimis perdurans in acceſſoria, quorum ambulatoria & tranſitoria natura eſt, dominium concipi queat.

§. CL. Unde de novo patet: *Acceſſoriorum tranſitoriorum nonniſi intermiſticum atque tranſitorium dominium eſſe, antequam actu vere phyſico poteſtati noſtræ ſubdantur (§. CXLVI.).*

SCHOLION I. Acquiruntur scilicet una cum fundo, ceu fundi pars & portio quædam, ac donec eidem inexistunt, non minus, quam accessoria alia in proprietate nostra reputantur, non equidem perpetua, ut modo demonstravimus (§. CXLIX.), tali tamen, qualem natura rei admittit, id est transitoria atque mutabili, tam diu penes nos permanente, quamdiu solum & fundum non mutarint, nec alterius prædii accessio facta fuerint.

SCHOLION II. Neque hactenus pervidere licuit, quid in dominio hoc latiori, aut perpetuo, aut interimistico absurdi lateat. Quæ inde inconcinnitas, quod rerum, fundo meo cohærentium atque inexistentium qualiumcunque, modo jure perpetuo alteri necdum affectæ sint, una cum ipso fundo proprietatem mihi adscribam? Nemini ex lata hac dominii extensione injuria infertur, tum demum talis futura, si aut res inexhausti usus, aut alii jam quæsitas sub dominii mei complexum traherem. Verum est, quod institutis minutis fundorum divisionibus, quales hodie plerumque esse solent apud privatos fundorum possessores, vix amplum hocce dominium consistere, nec sine incommoditatibus plurimis concipi valeat; quam etiam ob causam a privatis prædiorum dominis raro illud introductum esse audiveris. At vero si lata sint & vasta prædia, si integras provincias, regna & territoria supponas, quæ universæ reipublicæ solum non imperii, sed & proprietatis jure affecta esse dignoscuntur: cessabunt mox omnia, quæ adversum latioris & interimistici dominii introductionem obmoveri poterant; nec implicabit amplius, quo minus, quæ privati nequeunt, universa respublica, & territorii dominus proprietatis jure sibi vindicet; potissimum, cum in vasto adeo districtu, qualis territoria constituere solet, ipsa accessoria transitoria, feræ, pisces & aves perpetuo quasi glebæ adscriptæ sint; consequenter a subditis perdurabile omnino dominium illud reputari debeat.

§. CLI. *Introducto in fundos latiori atque ampliori dominio, feræ, pisces & aves nobiliores atque alicujus pretii in dominio, & quidem completo existunt.*

Quid-

Quidquid enim fundo cohæret, nec, uti ſupponimus, alii jam jure perpetuo quæſitum eſt, illud omne introducto in fundos lato hocce dominio occupatum cenſetur (§§. CXXXV. & CXLVI.). Quare feras quoque, piſces & aves nobiliores & alicujus pretii, quæ fundis noſtris inexiſtunt, nec dominum perpetuum habent, in dominium redactas eſſe oportet. *Quod erat primum.*

Porro, quoniam, donec in fundo exiſtunt, eodem, quo acceſſoria alia, jure cenſentur (§. CXLVIII.), in hæc autem dominium completum nobis competat (§. LIX.), dominium, quod in easdem nobis acquiſitum eſt, completum eſſe dignoſcitur. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Studio addidi feras tantum, piſces & aves nobiliores ſimul occupatas, & in dominium redactas cenſeri. Talis enim acceſſoriorum occupatio capienda, qualis in viros prudentes cadat, quæque a recta ratione non abhorreat. Ecquis autem tam ſtolidus foret, ut eas quoque res, quæ ubivis locorum obviæ, nulliusque pretii ſunt, acceſſoriorum nomine ſibi proprias eſſe velit? Ita paſſeres, hirundines, aquas præterfluentes, lapides aliaque ejus generis plura nemo ſanus cum fundo ſuas feciſſe cenſetur.

§. CLII. Quoniam tamen feræ, piſces & aves, niſi actu capiantur, vereque in cuſtodiam redigantur, acceſſoria fundi tranſitoria ſunt (§. CXLIII.); in hæc vero nonniſi tranſitorium una cum fundo dominium acquiratur (§. CXLVI.): *dominium, quod in feras, piſces & aves hac ratione acquiritur, nonniſi tranſitorium ſeu intermiſticum eſſe liquet.*

SCHOLION I. At vero, cum ſine modo acquiſitio dominii nulla intelligatur (§. XLI.), quæri poterat, quomodo per ſolum ingreſſum in fundum noſtrum ſine accedente aliquo noſtro facto dominium in feras nobis quæſitum eſſe dici queat. Non videri præter titulum aliud quidpiam acquirere poſſe fundi domi-

 nos,

nos. Sed facilis est ad hæc responsio. Eodem quippe jure, quo accessoria alia, quæ aut in prima occupatione fundo jam inextitere, aut expost in eodem nata sunt, domini esse intelliguntur (§. LIX.), eodem jure feræ, pisces & aves per territorii & fundi ingressum ceu fructus & accessio soli nostræ fiunt. Sicut frumenta, pyra, poma &c. nostra esse intelliguntur, licet speciali apprehensione in potestatem eadem non redegerimus: ita similiter de feris quoque dicendum, quod scilicet per universalem fundi apprehensionem analago quodam jure in proprietatem nostram transeant; hac solum observata differentia, quod in fructus illos perdurabile, in feras, pisces & aves nonnisi transitorium dominium acquiratur, non aliter ferente natura animalium in libertate naturali vagantium. Omnino itaque modo dominii acquisitivo nostræ factæ fuisse reputandæ sunt.

SCHOLION II. Nec proin nos ferit, quando PUFFENDORFIUS ait (a) „non admittendum videri, quod aliqui dicunt, potuisse legem etiam ante occupationem harum rerum dominium „assignare, cum ad dominium producendum lex sufficiat. Id „equidem legem civilem efficere posse, ut dominium jam in rebus constitutum ab uno cive in alium transeat, citra antecedens aliquod ipsorum factum; sed ut dominium in rem aliquam, „quæ nondum potestatem hominum actu subiit, ab initio introducatur, per solam legem fieri non posse, sed opus esse actu „aliquo corporali, cum primis circa res sese moventes &c." Etenim non lege, sed apprehensione legitima accessoriorum nomine in eas res dominium nobis acquiri, ad nauseam monstravimus (§§. XLIV. seq.). At contra GROTIUM (b) disputat PUFFENDORFFIUS, qui legum etiam ante actualem occupationem rerum harum dominium transferre potuisse statuit (c). Verum, ut ut GROTII hocce fundamento ad evincendum metallorum, thesaurorum, ferarum &c. dominium non indigeamus; nec etiam hucusque eodem usi fuerimus: firmo nihilominus adversus PUFFENDORFFII obmota dubia talo subsistit; prout ex dictis supra (§. LIII. Schol. II.) colligitur, & opusculo subsequenti uberius demonstrabitur.

(a) *J. N. & G. Lib. IV. C. VI. §. 11.*
(b) *J. B. & P. Lib. II. C. VIII. §. 5.*

§. CLIII.

§. CLIII. *Dominium latum in fundorum & prædiorum accessoria, speciatim vero interimisticum & transitorium in feras, pisces & aves nobiliores, atque alicujus pretii nec rectæ rationi repugnat, nec auctoritatibus destituitur.*

Quod rectæ rationi, positis terminis habilibus (§. CXLVII. Schol.), non repugnet, ex deductis hactenus (§. CL. Schol. II.) & demonstratis affatim elucescit.

Sed quod nec auctoritatibus JCtorum celeberrimorum destituatur, omnium optime probatum dabimus, si inter dominii hujus Patronos, præcipuos hic allegaverimus. Præprimis igitur pertinet

Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. II. C. VIII.* cujus verba in compendio §. præcedenti Schol. II. adduximus.

Otto Menckenius, qui in *Dissertatione de jure majestatico venandi §. 25.* de hoc in feras dominio ita loquitur: *Nobis vero hactenus, cur Grotii sententia rejiciatur, non prægnans satis causa visa fuit. Primum enim posita lege, qua subditis venatione interdicitur, non videtur feræ dominus fieri, qui contra superiorum interdictum eam ceperit. -- Quodsi enim vis dominii in eo sita est, ut de rebus, quæ tanquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ab earundem usu quosvis alios arcere possimus: quidni Principi in feras, quæ in sylvis ac territorio ejus vagantur, dominium tribuamus, cum & capere illas, & capiendas aliis concedere, & ab illegitimo captore vindicare queat. Nec obstat, quod feræ a Principe captæ non sint, & si in territorium alienum migraverint, vindicari nequeant. Dominium enim rei cujusdam eum in modum capiendum est, quem naturæ ipsius conditio admittit. Neque requiritur ad dominium, ut dominus rem possideat, sed ut jus rem tenendi & habendi*

bendi obtineat. Quodsi feræ e territorio Principis migrent: desinunt esse Principis, fiuntque illius, cujus territorium ingressæ sunt &c.

Schilterus *Exercit. ad* π. XLV. §. 5. ubi, postquam fuse de jure venandi juxta mores Germaniæ differuisset, addit: *Unde patet non tantum fons & justitia venationum juris in Germania diversi a Quiritum jure, sed feras recte dici in dominio Principis, etiam nondum captas cum solo, quemadmodum antea universitatis. Neque opus est actu aliquo corporali, nisi ad possessionem singularium capiendam, sed sufficit a primæva societatis humanæ divisione transiisse dominum ad quamlibet universitatem, tum soli, seu territorii, tum rerum in ea contentarum.*

Christian. Thomasius *Jurisprud. divin. Lib. II. C. X. §.* 147. *seq.* cujus verba supra (§. *CXLIV.*) adduximus.

Gottl. Gerh. Titius *Juris Priv. Lib. III. C. V.* §. 12. & 15. Item *Lib. VIII. C. XIV. seq. J. Pub. Lib. III. C. VII. §.* 14. *seq.* ibi: *feræ bestiæ, volucres & pisces, quatenus illæ territorio continentur, harum rerum dominium sibi attribuere status, exceptis tamen, si ita visum fuerit, bestiis vilioribus & noxiis, experientia loquitur; recte autem id fieri &c.*

Celeberr. Tobias Reinharth *in dissertat. de rebus in dominio publico existentibus*, ubi de rebus mobilibus in specie §. 8. ita loquitur: *deinde verum quidem est, quod dominium rerum semet moventium, quousque specialis apprehensio nondum accessit, velut momentaneum haberi debeat, & hinc, si illæ alio se sponte conconferant, naturaliter rursus desinat, prout jam observavit* Thomasius *Jurispr. Divin. Lib. II. C. X.* §. 151. *Inde tamen minime inferri potest, tales res plane non, & nequidem eo usque, dum intra territorium sese continent, in dominio esse.*

Qui-

Quibus junge VITRIAR. *Inst. J. N. & G. Lib. II. C. VIII.* §. 2. GRIEBNER, *Princip. J. N. & G. Lib. IV. C. V.* §. 2. & *in Dissert. de præjudiciis Principum Imp. ex abusu juris Justinianei C. III.* §. 3. *Tit. fin.* Aliosque, qui, licet ea, qua nos, methodo ex intrinsecis rationibus possibilitatem hujus dominii non evicerint, eandem tamen, experientia edocti, probe perspexerunt.

§. CLIII. Porro ex eo, quod dominium in feras &c. interimisticum pro eo tempore, quo penes nos existit, a dominio in res alias non differat, patet, *quod stabilito atque introducto in fundos lato hocce dominio, omnia circa feras, pisces & aves quæ circa res alias in dominio nostro existentes, juris sint.*

§. CLIV. Concludimus itaque, & coronidis loco inferimus, *quod ferarum, in hac hypothesi, piscium & avium verum furtum, veraque rapina admittatur (§§. XCIII. CXIII.), nec salva conscientia aut dominiorum jure magis eæ, quam res aliæ, inscio, invito, ac reluctante domino contrectari debeant; ablatæ a quocunque possessore recte vindicentur (§§. LXXV. CXVI.), consumtarum pretia, damnique, occasione occupationis illicitæ dati, resarcitio jure petatur (§. eod.); nec minus easdem, quam res alias adversus fures & raptores defendamus (§. iisdem); quodque, siqua sunt alia, quæ ad res nostras defendendas recuperandasque remedia comparata sunt, ea omnia feris, piscibus & avibus, ampla hac occupatione in proprietatem redactis, suffragante ipsa æquitatis ratione, recte huc trahantur, & applicentur.*



OPUSCULUM IX.

DE
EO, QUOD JURE PUBLICO UNIVERSALI ET PARTICULARI IMP. ROM. GERMAN. CIRCA VENATIONES JURIS EST.

CAPUT I.

De majestatico & territoriali circa venationes jure.

§. I. JUra, quæ, constituto atque ordinato imperio civili, necessario intelliguntur, sive, quæ cum summa reipublicæ potestate ita essentialiter connexa sunt, ut sine iis salva & integra concipi nequeat, *majestatica*, item *summi imperii* dicimus.

SCHOLION. Sic jus ferendi leges, jus ordinandi judicia, jus collectandi &c. ad jura majestatica referuntur; etenim uno alterove horum jurium sublato ipsum insimul imperium civile corruat, necesse est.

§. II. *Regalia* vero *jura* audiunt, quæ quidem summæ in republica potestati soli, atque privative competunt; non tamen necessario ita cohærent, ut sine iisdem nulla ratione subsistere, neque etiam privatis in republica civibus perinde, ut res & jura alia, libere fruenda exercendaque relinqui valeant (a).

(a) Vid. *opusc. subsequ. §. 108.*

SCHO-

SCHOLION. Sic detractus, pedagii, metallifodinarum, minerarum auri & argenti, thesauri &c. regalia jura a summa potestate civili ut plurimum privative, vel dependenti saltem ab eadem concessionis jure exercentur; interim nemo dixerit, corruiturum inde summum imperium, aut perituram rempublicam, in qua detractus jus nullum vigeat, aut ubi sufficientibus aliunde instructa reditibus civitas, nec in metallifodinas, nec in mineras, thesaurosve jus aliquod privativum, & cum exclusione subditorum sibi asseruerit.

§. III. Cum itaque majestatis jura perpetuo & necessario (§. I.); regalia autem nonnisi ex accidenti cum summo imperio connexa sint (§. II.): differre inter se regalia, & summi imperii jura, oppido liquet (a).

SCHOLION I. Hæc ita, si modum constituendi, & regalia jura in specie spectes; ut actu enim constituta, cum summi imperii juribus conveniunt in eo, quod ambo summam in republica potestatem pro subjecto suo inhæsivo agnoscant: ut adeo vel hanc solam ob causam pari fere cum his splendore, dignitate, & eminentia censenda sint.

SCHOLION II. Id præterea velim advertas, regalia jura maximam partem utilitatum & compendiorum fiscalium, aut decoris etiam externi majestati conciliandi gratia comparata esse; modos proin constituere, quibus reditus fisci & Principis citra subditorum incommodum augeantur.

(a) *Dict. opusc. X. §. eod.*

§. IV. *Jus constituendi regalia* est facultas, summæ in republica potestati competens, res quasdam, & jura e commercio privatorum eximendi, atque, ex rationibus modo adductis (Schol. II. § præced.), ad Principis & reipublicæ jura privative transscribendi.

§. V. *Jus constituendi regalia non est ipsum regale, sed jus majestaticum.*

 Abs-

Absque jure, necessarios reipublicæ, & condignos Principi reditus constituendi, nulla civilis societas concipitur, uti per se patet. Quapropter, cum ex regalibus fisci juribus haud mediocris redituum Principis portio, & quidem cum minimo subditorum incommodo, aut bonorum dispendio proveniat (a): in omni republica bene ordinata regalia constituenda, neque hac facultate summos Imperantes carere posse evidens est. Enimvero jura, queis sine summa civilis potestas intelligi nequit, majestatica (§. I.), minime vero regalia (§. II.) audiunt. Jus igitur constituendi regalia, ad majestatica, non regalia jura referendum esse constat. Q. E. D.

SCHOLION. Ex hoc interim fonte majestatico singula Principis, atque reipublicæ regalia fisci jura, ceu ex scaturigine uberrima, prone derivantur, eorundemque & æquitas, & in genere spectatorum necessitas luculentis argumentis evincitur. Quoniam nihilominus, quot, & quæ præcise ad hanc jurium classem in qualibet republica referenda, per se determinatum non est, sed propiori Principis definitioni subjacet: eatenus regalia, in individuo spectata, liberi manent arbitrii, & pro exigentia atque peculiaribus reipub. circumstantiis mox plura, mox pauciora numero constituuntur.

(a) *Dict. opusc.* §§. 104. & 109.

§. VI. Quæ in rebus publicis liberis & independentibus jura majestatis (§. I.), ea in statuum imperii territoriis subordinatis *jura territorialia* salutamus; *regalibus* vero Principum & statuum imperii juribus idem, quod in rebus publicis liberis, nomen significatumque relinquimus.

SCHOLION. Hoc solo scilicet sublimis territorii potestas a summo imperio diversa est, quod non libero prorsus, & independenti arbitrio regat, sed superiori adhuc Imperatoris & imperii majestati subsit; quas subordinationis, & dependentiæ leges, atque inde resultantes limitationes superioritatis territorialis uberius

rius explanant publici juris DD.; his interim haud obſtantibus, quo minus ſtatus analoga ſummo imperio poteſtate territoria ſua gubernent, ac proin jure imperantium claſſe recte collocentur.

§. VII. Ex dictis conſequitur: *eandem*, quæ inter jura majeſtatis (§. I.) & regalia (§§. II. & III.), *inter hæc poſteriora quoque & territorii jura intercedere differentiam: nec non, quæ de juribus majeſtaticis atque regalibus in genere demonſtrantur, tuto quoque ad ſtatuum imperii ſublimia jura, ſalvo ceteroquin ſubordinationis atque dependentiæ nexu ab imperio, applicari.*

SCHOLION. Equidem hanc jurium territorialium a regalibus differentiam non arridere iis, qui omnia ſtatuum imperii jura ſub *regalium* nomine comprehendunt, haud ignoro. Verum uti medio ævo, & circa interregni tempora latiorem hunc ſignificatum facile admiſerim: ita recentiori ævo, noſtris certe temporibus, regalium nomen, niſi admodum late idem accipias, omnem territoriorum ſublimem poteſtatem vix exhaurit; & aliud die Landes-Hoheit / aliud die Regalien innuere videntur. Poſtquam ſane territoria ad ordinata regiminum ſchemata quam proxime accedunt, citra errandi periculum ſeparatis jura territorialia, & regalia claſſibus collocamus; id quod etiam diverſa utrorumque origo (§. III. & V.) & inde reſultantia jura diverſa quodammodo exigunt: interim quæ §. VI. Schol., & alibi (a) innuuntur, huc quoque trahenda erunt.

(a) *Dict. opuſc.* §. 107.

§. VIII. *Jus circa venationis majeſtaticum*, ſive *territoriale*, definio: quod ſit ſummo imperio cohærens poteſtas, venationes (ſub quo nomine piſcationes quoque, & aucupia hic comprehendimus) legibus ſalutariter conditis in republica ita ordinandi, ne quid inde reſpublica damni, ſed emolumentum potius & commodum ſentiat.

SCHOLION. Quid venationum nomine intelligamus, ſupra *opuſc. VIII.* §§. 76. & 77. videre licet: cave tamen jus hocce maje-

ſtaticum cum jure majeſt. aut territoriali circa ſylvas & foreſtas idem accipias. Utriusque differentias ſuis locis latius excutiemus.

§. IX. *Jus circa venationes regale* eſt facultas principi atque reipublicæ qua tali, & cum excluſione ſubditorum competens, utilitates ex venationibus provenientes ſuas faciendi, & in publicos ſive principis ſive reipublicæ uſus convertendi (§. III. Schol. II.).

SCHOLION. De regali venationis jure *Cap. II. & III.* ex profeſſo diſpiciemus. Ceterum, quæ de majeſtaticis circa venationes, & foreſtas juribus inter ſe diverſis (§. præced. Schol.) prævie annotavimus, eadem quoque de regalibus venationis & foreſtæ juribus teneas.

§. X. *Jus circa venationes tam majeſtaticum, quam territoriale* (§. VIII.) *eſt pars ſummi imperii, ſive ſuperioritatis territorialis, & quidem poteſtatis legislatoriæ eſſentialis & neceſſaria.*

Venationes non minus, atque alia omnia in republica ſupremæ inſpectioni principis, & poteſtati legislatoriæ virtute ſummi imperii ſubjacent, ut nemo ambigit. Quapropter, cum in ſupremo hocce inſpectionis jure jus circa venationes majeſtaticum præcipue fundetur (§. VIII.): partem hocce ſummi imperii, ſeu ſuperioritatis territorialis, & in ſpecie poteſtatis legislatoriæ eſſentialem conſtituere evidens eſt. Q. E. D.

SCHOLION. Inde eſt, quod ad hanc jurium principis claſſem illud in ſpecie referat PLATO *Lib. 7. de LL.* Teſte LUD. OTTON. MENCKENIO *in diſſert. de majeſtat. circa venationes jure* §. 8. *in fin.*

§. XI.

§. XI. Triplicem venationum ſtatum in republica posſibilem concipimus. Aut enim I. promiſcua omnibus venandi, atque animalia fera occupandi licentia patet, nec ad unum, nec ad paucos reſtricta: aut II. una cum ipſis fundis ceu particula dominii in proprietatem redigitur; quo caſu animalia fera ceu acceſſoria fundorum conſideranda veniunt, (a) nec eadem occupandi jus ab alio, quam a fundi domino exerceri poteſt: aut denique III. venandi jus ſoli principi atque reipublicæ tanquam regale eximium vindicatur, ſubditis ab eodem penitus excluſis.

SCHOLION. Quinam ex his tribus venationis ſtatibus in qualibet republica vigeat, aut communi civitatis lege receptus ſit, ex peculiaribus locorum inſtitutis penitius hauriendum; nec, qui præ aliis publico expediat, anxie nunc inquirimus; poſſibilitatem ſaltem unius vel alterius, quod impræſens ſufficit, nemo cum ratione in dubium vocare poterit.

(a) *Opuſc. VIII. §. 146. ſeq.*

§. XII. Quoniam tamen jus circa venationes majeſtaticum partem ſummæ poteſtatis civilis eſſentialem conſtituit (§. X.), conſequenter eidem neceſſario cohæret (§. I.): *qualemcunque ex his tribus venationis ſtatibus in repub. receptum ſupponas, illud penes ſummum imperantem ſemper ſalvum atque integrum perſiſtere, nec ulla unquam ratione ab eodem abeſſe poſſe, pateſcit.*

SCHOLION. Olim, cum non niſi una eſſet in imperio civilis poteſtas, in Imperatore, tanquam capite majeſtatico conſpicua, jus circa venationes majeſtaticum ſolus Imperator per univerſum imperium exercuit, pluribus idem ſanctionibus, & legibus venatoriis teſtantibus. Enimvero, poſtquam cum eminentioribus civilis imperii juribus ſub ſuperioritatis territorialis ſchemate poteſtas quoque legislatoria ad ſtatus imperii tranſiit: mirum non eſt, ſi & hanc civilis imperii partem ſtatus ſibi vindicaſſe dubi-

bitare nos non sinunt edicta, & leges, quas circa venationes vigore superioritatis territorialis, aus Lands-Fürstlicher Macht und Hoheit / quotidie promulgant (a).

(a) Vid. FRITSCHII *Corp. Jur. Venatorio-Forest. P. III n.* 31. Jagd-Edict im Hertzogthum Engern und Westphalen. ibi. Nachdem wir allbereits aus Lands-Fürstlicher Macht / und Hoheit a. 1696. ein offentliches Jagd-Edict publicirt ꝛc. Item so haben wir dannenhero aus obangeregter Fürstlicher Macht und Hoheit ꝛc. aliasque ordinationes, & edicta venatoria quam plurima, passim obvia, in quibus aut similes, aut eædem formulæ occurrunt.

§. XIII. Licet igitur summus imperans aut respublica regale venandi jus (§. IX.) nullum sibi vindicet, sed venationes in primo, aut altero statu (§. XI.) libere, sive ab omnibus, sive prædiorum dominis exercendas relinquat: *majestaticum nihilominus, seu territoriale circa venationes jus pleno penes summum imperantem robore subsistet; neque a privatione, aut carentia unius, ad absentiam quoque, & carentiam alterius argumentum duci poterit.*

SCHOLION. Sic apud Romanos usum venationum fuisse liberrimum, ferasque pro rebus nullius, consequenter quæ ab omnibus occupari potuerint, fuisse habitas, noto notius est. Verum enimvero, cave inde inferas, non magis rempublicam aut Imperatores jus circa venationes majestaticum exercuisse; contrarium potius vel ex uno Tit. Cod. *de Venat. ferarum* elucescit, & ex innumeris legibus aliis Pandectarum & Codicis, quibus jura circa venationes propius definiuntur, haud obscure colligitur.

§. XIV. *Jus circa venationes majestaticum, sive territoriale qua tale (§. VIII.) subdito qua tali communicari nequit.*

Pone, jus circa venationes majestaticum, sive territoriale, subdito qua tali communicari, ita ut eodem, quo sum-

mus

mus imperans, jure idem exerceat. Quoniam a ſumma poteſtate inſeparabile idem eſſe evictum dedimus (§§. X. & XII.): ſubditum, qua talem, ſumma ſimul poteſtate inſtructum eſſe, ponas neceſſe eſt. Quod cum ſit abſurdum, & ſubditi, qua talis, notio refragetur, uti per ſe patet: jus hocce majeſtaticum & territoriale ſubdito, qua tali, communicari non poſſe evidens eſt. Q. E. D.

SCHOLION. Neque regeras, quod tamen ſtatibus imperii idem cum juribus territorii communicatum ſit (§. XII. Schol.). Etenim quæ ſtatus imperii, vigore ſuperioritatis territorialis, in territotoriis ſuis jura exercent, ea non tam communicata, quam in territoriorum dominos qua imperantes, & ſummo imperio analoga poteſtate inſtructos, translata dicenda ſunt. Superioritatem ſane territorialem, qua hodie effulgent proceres imperii, rectius de novo efformatæ, quam communicatæ civilis poteſtatis nomine inſigniri, emunctiores mecum omnes conſentientes habeo. Nec tu puta, in ſtatus imperii quadrare, quæ de ſubditis inferioris ordinis prædicantur. Alterius plane illorum ſubjectio indolis eſt, ex nexu eorundem cum ſuperiori regimine, ſive imperio dijudicanda.

§. XV. *Subordinate tamen ſubdito, qua tali, concedi non implicat.*

Qui jura majeſtatis (idem eſt de juribus territorialibus) in republica ſive ad vitam, ſive perpetuo in ipſos translato, a Principe tamen, ſeu ſummo imperante, dependenti, atque ſubordinato jure exercent, re ipſa nonniſi adminiſtratorum vicibus defunguntur; neque alterius, quam Principis & ſummi imperantis nomine ejusdem jurium exercitium explicare intelliguntur (a). Subordinata igitur, & dependens hac ratione jurium majeſtaticorum ſeu territorialium in ſubditos facta translatio ſummo imperio, ac ſuperioritati territoriali minime officit, ſed eandem per omnia in ſalvo relin-

quit (b). Quapropter jus circa venationes majestaticum non minus, quam reliqua superioritatis jura, subordinate in subditos, qua tales, transferri posse, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Subordinata hujus juris concessio aliud subdito, seu Landsassio, non tribuit, quam quod in locis, ad quæ ea concessio sese protendit, leges venatorias Principis superioris nomine ferre, atque promulgare valeat, supremæ ejusdem inspectioni nullo non tempore obnoxias, quasque Princeps, si reipublicæ minime proficuas esse deprehenderit, vel tollere plane, vel corrigere, & ad utilitatem communem componere haud prohibetur. Verum, cum de *juribus venationum subordinatis* integre Cap. V. acturi simus: alia, quæ hic moneri poterant, studio nunc prætermittimus.

SCHOLION II. Id tamen, quod jam alio loco (c) monuimus, velim teneas, hanc jurium summi imperii, subordinate in subditos translatorum, dependentiam atque subordinationem multis modis a subordinatione & dependentia jurium territorialium ab imperio, diversam esse. Prior, sicut qualitatem subditorum vere talium non immutat, ita posterior nihil officit, quo minus status imperii, superioris præsertim ordinis, vere imperantium, territoria vero rite constitutarum societatum civilium loco habeantur.

(a) *Infra opusc. X. §. 117.*
(b) *Ibid.*
(c) *Ibid. §. 119. Scholio.*

§. XVI. *Vigore competentis majestatici, & territorialis circa venationes juris Principes, ac territoriorum domini omnia ordinant, quæ ad rectum venationum in republ. usum, ferarum, piscium & avium, commoditatibus vitæ inservientium, conservationem, & ex adverso nocivarum extirpationem pertinent.*

Propositionis hujus complexæ veritas ex ipsa juris circa venationes majestatici, quam supra (§. VIII.) dedimus, defi-

definitione elucescit, indeque per modum corollarii colligitur. Etenim si Princeps venationes in republica ita ordinare debet, ut in publicam utilitatem, atque emolumentum cedant: ad conservationem utilium, ferarum vero nocivarum eptirpationem, nec non ad ordinatum venationis usum in genere curas ejusdem præcipue dirigendas esse, patescit.

SCHOLION. Majestaticum hoc summorum imperantium officium omnes fere ordinationes venatoriæ præseferunt; quarum non parvum numerum congessit AHASVERUS FRITSCHIUS in *Corp. Juris Venatorio-Forest. P. III.*

§. XVII. *Leges venatoriæ* sunt constitutiones, sive regulæ, publica Principis auctoritate latæ, juxta quas venationes in republica exercendæ, earumque jura dijudicanda veniunt.

SCHOLION. Cum præsenti capite de jure circa venationes majestatico tantum solliciti simus, eo potissimum spectantia jura & leges nunc indagabimus: quæ regali venationis jure penes Principem & rempublicam existente consequuntur, eique velut propria sunt jura, commodius cum ipsa hujus regalis indole Cap. II. & seq. enodaturi.

§. XVIII. *Leges venatoriæ, quas Princeps vigore juris circa venationes majestatici condit, omnes in republica cives, subditos, atque landsassios obligant.*

Ab obligatione legum, quas summa reipublicæ potestas universaliter sancit, subditorum nemo eximitur (a). Tales igitur, cum supponamus leges venatorias a Principe latas: earundem obligationem universalem subditos quoscunque, consequenter & landsassios stringere, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Provoco rursum ad ordinationes venatorias principum & statuum imp. apud FRITSCH. *cit. l.* & alibi passim obvias; in quibus landsassiorum non minus, quam subditorum in specie ita dictorum mentio fit. Confer. inter alias Churfürstl. Bayerische Jagd- und Forst-Ordnung Cap. 2. Von der Prælaten/ vom Adel/ und Landsässen Erb- wie auch der Fürstl. Beamten anderer Gnaden-Gejägtern/ ibi. Alldieweilen man aber in Erfahrung kommen/ nachdeme etliche Prælaten/ von Adel und Landsässen/ Erb-Gejägter ꝛc. haben/ daß deren etlich sich mit dem Jagen unweydmannisch halten/ ꝛc. Demnach sollen diejenige/ denen die Gejagd-Verwaltung von uns anbefohlen ꝛc. Item Churfürstl. Bayerische Jagd- und Forst-Ordnung *Art.* 73. *&* 74. ad eandemque KHRAYSERUS, generalem harum constitutionum obligationem ex *L.* 1. *π. de Legibus L.* 3. §. *Divus π. de sepulchro violat.* probans; eoquod scilicet, ut in *prin. Art.* 74. dicitur, boni communis causa comparatæ sint, & ad Principem spectet, reipublicæ ac privatorum commoda promovere; addens in fine, quod si quis Landsassiorum, aliorumque contra has ordinationes deliquerit, is bene tunc ab ipso principe coerceatur; principi namque omnes obedire teneri *C.* 2. *& C. solita* ⅹ *de Maj. & obedient.* Quibus junge apud eundem FRITSCHIUM *cit. loco P. III. n.* 8. Imper. RUDOLPHI II. Ordnuug/ wie es hinführo mit dem Reiß-Gejägt im Ertz-Hertzogthum Oesterreich ob der Enns gehalten werden soll: in fine: Daneben aber wollen wir durch dise der Stände Vergleichung denen Generalen (scil. legibus), so mehr ernenntes Reiß-Gejägds halber vormals ausgegangen/ nichts benommen/ sondern dieselbe wiederum bekräfftiget/ also auch als Herr und Landes-Fürst/ uns die Minder- und Mehrung diser Ordnung in allweg vorbehalten/ und uns an unsern Hoch- und Gerechtigkeiten/ desgleichen an unsern Lands-Fürstlichen Regalien/ Wild-Bahnen/ Forst und Gehägen nichts præjudicirt/ noch begeben haben.

(a) Vid in schol. *cit. Cap.* 2. ⅹ *de majoritate & obedientia.* STRUVE *Exercitat.* ad *π. II. Lib. I. tit. III.* §. 12. ibique MULLERUS in notis.

§. XIX.

§. XIX. Porro, quoniam jus circa venationes majestaticum ad determinatum venationis statum (§. XI.) restrictum haud est (§. XII.): patet, *leges venatorias generales a superiori latas subditos & landsassios obligationis vinculo stringere, sive animalia fera, pisces & aves, res nullius ab omnibus occupabiles esse ponas; sive ut accessiones fundorum transitorias & in dominio interimistico existentes* (a); *sive denique tanquam res principi & reipublicæ proprias, aut ejus tantum beneficio occupabiles consideres.*

SCHOLION. Quare nec illimitato plane venandi jure fruuntur subditi, licet peculiari principis beneficio, aut ex antiqua observantia venationes libere exerceant, wo die Freye-Bürsch Herkommens ist; nec, ubi Prælati & nobiles landsassii venandi jus concessionis titulo a domino territorii obtinuerunt, testantibus idem ordinationibus venatoriis quam plurimis. Confer. Churfürstl. Sächsische Jagd-*Mandata de annis* 1613. 1626. 1629. *&c.* apud FRITSCHIUM *cit. loc. P. III. n. 1.* in quibus passim occurrunt verba: unangesehen er sonst Weydwerck zu treiben befugt. item: Sie seyen von Adel oder sonst; sed de his uberior infra Cap. V. differendi locus dabitur.

(a) *Supra opusc. VIII. §§.* 143. *&* 146.

§. XX. *Princeps vigore majestatici atque territorialis circa venationes juris, venationum in specie ita dictarum, aucupiorum, & piscationum tempora jure optimo definit; & ad eorundem observantiam cives omnes, subditos & landsassios obligat.*

Etenim vigore juris hujus majestatici princeps seu territorii dominus venationes ita ordinandi facultate gaudet, ut & in jucunditatem, atque commoditatem vitæ cedant, nec non conservationi simul ferarum, piscium, & avium prospiciatur (§. XVI.). Quapropter, cum certis anni spatiis feræ &c. præ aliis melioris notæ, & ad victum, aliasque vitæ necessitates aptiores esse deprehendantur, &, si indistinc-

te quolibet anni intervallo, nulla partus, feminum, cubatusque, des Ausbrütens *ꝛc.* ratione habita, easdem capiendi copia foret, brevi tempore omnia ferarum, utilitatibus hominum inservientium genera peritura forent: principem legibus salutariter conditis temporum spatia recte definire, nec non, quando quælibet animalium ferorum genera capienda, quandoque ab iisdem abstinendum sit, legali auctoritate, jureque optimo præscribere, patescit. *Quod erat primum.*

Quoniam porro leges venatoriæ, quæ jus circa venationes majestaticum pro fonte agnoscunt (§. XVI.), neque ad certum venationis statum restrictæ sunt (§§. XII. & XIX.), omnes in republica cives obligant (§§. XVIII. & XIX.): landsassios quoque, & subditos ad observanda venationum tempora obstrictos esse, evidens est. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Quæ uni vel alteri venationis ferarum speciei, aucupiis, & piscationibus tempora magis accommoda sint, periti in arte magistri, & earum rerum gnari venatores omnium optime perspectum habent. Horum itaque consilio in hac legislationis parte princeps tutissime utitur, circumstantiis tamen locorum non plane insuperhabitis, quibus, siqua in re alia, multum sane hic dandum est. Quas proin §§. *seq.* ex hac propositione generali deducemus regulas speciales, exempla tantum, regulam generalem minime exhaurientia, sed illustrantia solum, atque confirmantia suppeditant.

§. XXI. Unde intelligimus, cur cervos plerumque non nisi mense Julio, Augusto, & initio Septembris, capreolas, & quod venatores dicunt das Wild/ a festo demum S. Michaelis, apros, das schwarze Wildprät/ a festo S. Galli usque ad nativitatem Christi venari & capere integrum sit (a); cur aucupia verno tempore, & initio æstatis (b), atque in genere venatio inferior, das kleine Weydwerk a tempore quadrage-

drageſimali uſque ad feſt. S. Bartholomæi prohibita (c); cur ante feſtum S. Jacobi a capiendis alaudis (d), piſcibus vero generaliter eo tempore, quo ſemina & ovà ponunt, da ſie laichen (e)/ abſtinendum ſit: ſcilicet, quod his temporibus, nonniſi cum deſtructione inſigni piſcium & avium, aucupia & piſcationes exerceantur, atque has ipſas ob rationes feræ aliis, quam initio diximus, anni ſpatiis vix recte capiantur. Quibus adde, quod extra illa tempora eſui parum aptæ, aut ſaltem venationes non ſine devaſtatione frugum, & graminum ſuſcipi poſſint.

(a) Confer. inter alias Churfürſtl. Bayeriſche Jagd- und Forſt-Ordnung *Cap. III.* zu was Zeit das rothe und ſchwarze Wilprät zu jagen per tot.

(b) Vid. ERNEST. FRID. SCHRÖTER. *de banno ferino Cap. V. §.* 8., ubi teſtatur, quod plerisque in locis eo tempore, quo pariunt, vel pullos nutriunt, zur Zeit / wann das Gevögel in der Bruth iſt / avibus inſidiari nefas ſit. Confer. *cit.* Churfürſtl. Bayeriſche Jagd- und Forſt Ordnung *Cap. XXII.* Wie es mit Fahung des kleinen und groſſen Vogelwercks zu halten. Tyroliſche Land-Ordnung *P. 4. Tit. 14. Conſtit. Elect. Saxon. de an. 1555.* Tit. Vögelfahen. Item Churfürſtl. Sächſiſches *Mandat* wegen des Vogelfangs / Bruth / und Eyer / item die Hegung der Fiſch-Bäche betreffend an. 1626. apud FRITSCH. *cit. l. P. III. n. 1. p.* 6.

(c) Ibid. Item Fürſtl. Gothaiſche Jagd-Ordnung de an. 1667. apud eundem FRITSCH. *cit. l p. 49.*

(d) *cit.* Bayeriſche Jagd-Ordnung *Cap. XXII.* verbis: Nachdem aber der Lerchen 2c.

(e) Alleg. Mandat. Sereniſſ. Elect. Saxoniæ; & in Ordinat. venatoriis paſſim.

§. XXII. Ex eodem fonte eſt, quod lepores, & perdices tempore nivium, quando vel effugere, vel occultare ſe ſe nequeunt, multis in locis venari lege vetitum ſit (a); quodque vulpes, aliaque ejus generis animalia, quorum e

pellibus

pellibus unica fere utilitas percipitur, nonnisi autumnali & hyberno tempore, scil. a festo. S. Michaelis, capere jure liceat (b).

(a) Vid. SEBAST. MEDICES *de Venat. P. I. Q. XI. pr.*

(b) Erz-Herzogl. Oesterreichische Jagd- und Forst-Ordnung/ apud FRITSCH *cit. I. P. III. n. 8. §.* Zum dritten/ nachdem bißhero 2c.

§. XXIII. Neque aliunde, quam ex stabilitis hactenus principiis, ratio repetenda, quando princeps, aut quicunque alius legislator, certis diebus a venationibus plane abstinere præcipit.

SCHOLION. Sic canonum jure venationes prohibitæ sunt tempore jejunii (a), item diebus festis (b), ne Christiani ab officio divino, & audienda missa abstrahantur, nisi forsan necessitas easdem instituere jubeat. Ut de aliis temporum venationis determinationibus nihil commemorem.

(a) *Gloss. C. qui venatoribus Dist. 86. C. quid prodest* ibid.

(b) *Arg. C. 3. X de feriis. Cap. 7. & fin. ibid.* SEBAST. MEDICES *de Venat. P. I. Q. XI. n.* 4. GEORG MOHR *P. II. C.* 10. CLUDIUS & BERRINGER *de Jure Venandi thes.* 34.

§. XXIV. Quando in venationibus ea temporum, & modorum venandi servatur ratio, ne feræ citra necessitatem & præsentem utilitatem destruantur, sed earundem potius genera & species, quantum pote est, conserventur; *venationes ordinatas, & recte institutas*, weydmännisch / dicimus: uti ex adverso, quando in venando nec tempus, nec modus custoditur; *venationes inordinatas, minusque ex æquo institutas*, unweydmännisch / salutamus. Unde, quid sit weydmännisch/ quid unweydmännisch Jagen / intelligimus.

SCHO-

SCHOLION. Alii (a) venationes inordinatas eas dicunt, quæ in leges venatorias impingunt; atque decori etiam in capiendis trucidandisque feris, item terminorum artis rationem habent (b). Verum, quoniam tales sunt venationes, in quibus nec tempora, nec modi servantur: a notione, quam dedimus des unweydmännischen Jagens / minime discrepant. Ceterum licet definitio de feris tantum, atque venationibus, in specie ita dictis, concepta sit: nil tamen obstat, quo minus ad aucupia quoque, & modi minus est habenda ratio.

(a) KHRAYSER. tract. *de venat. & aucup. ad ord. venat. Bavar. cap. II, pr.*

(b) Vid. Noe MEUERER. Jagd-Recht *P. IV.* apud FRITSCH. *cit. l. p. 351.*

§. XXV. *Venationes inordinatas, minusque ex æquo institutas*, unweydmännische Jagen / *princeps jure probibet, atque indictis pœnis coercet.*

Per venationes, contra leges, & rectum venandi ordinem institutas, nobiliora, atque usibus præprimis hominum inservientia ferarum genera citra necessitatem, & indignis venatore modis destruuntur (§. XXIV. cum Schol.). At vero principis est, tum conservationi ferarum, tum vel maxime legibus prospicere, ne venationes cum dispendio, & detrimento publico exerceantur (§§. VIII. & XVI.). Inordinatas itaque venationes, quin jure prohibeat, & pœnis etiam, si opus est, recte coerceat, dubio caret. Q. E. D.

SCHOLION. Nec interest, quem in republica venationis statum supponas. Cum enim publica utilitas has leges efflagiter: omnes peræque subditos & landsassios obligant (§. XVIII.). Neque inordinatæ venationes, unweydmännische Jagden / ferendæ; sive promiscua civibus venandi libertas pateat; sive proprio dominii, aut concessionis a principe jure a quibusdam possideatur (§§. XI. & XIX.).

§. XXVI. Quoniam venationes temporibus fœtus, partus, incubatus, exclusionis ovorum &c. non sine ingenti, & perniciosa ferarum destructione institui queunt; tum vero quædam etiam animalium ferorum genera certis anni spatiis minori cum utilitate capiuntur (§§. XX. seq.): venationes, hisce temporibus institutas, in rectas venandi regulas impingere, atque unweydmännisch merito nuncupari, evidens est (§. XXIV.). Quas cum a Principe inhibendas esse, modo demonstratum dederimus (§. XXV.): *jus Principis majestaticum & territoriale certa venationum tempora, quibus venari integrum sit, vel secus, definiendi* (§§. *XX. XXI. & XXII.*), *etiam ex hoc fonte deduci posse, liquido constat.*

SCHOLION. In citata sæpius ordinat venat. Bavar. venationes, quæ extra debita tempora suscipiuntur, in specie unweydmännisch vocantur, *Cap. II. pr.* Daß deren etlich sich mit dem Jagen unweydmännisch halten / das Wildprät nicht zu rechter gebührender Zeit und Weil fahen / sondern nach der Hand / und zu denen Zeiten / da das Wildprät weder nutz noch gut / gantz unweydmännisch jagen / und dazu rc. vid. apud FRITSCH. *cit. l. P. III. p.* 71.

§. XXVII. Ex eodem §. XXV. prono consecutionis filo ulterius consequitur: *nocivos, & venatoribus indignos*, unjägerliche, *venandi modos a Principe omnino cohibendos, atque e republica proscribendos esse.*

SCHOLION. Modi venandi tum pro variis feras capiendi artibus, tum pro diversitate instrumentorum potissimum variant; inter quos, quinam probandi, quinam improbandi, periti in arte venatores omnium optime suggerent: impræsens quorundam saltem legibus venatoriis prohibitorum mentionem injicere lubet.

§. XXVIII. Unde porro liquet, cur zonæ, plagæ, atque arcta nimis retia in venationibus ferarum toleranda non

sint:

sint: ne scilicet cum insigni strage feræ majores juxta ac minores, præsertim apri juniores, die Frischling/ irretiti capiantur (a); cur, ut inordinatis hisce venandi modis obviam eatur, certa plagarum & retium mensura, das Spiegel-Maas/ a Principe constituenda (b); cur capreas matres, die alte Geißen/ capere aut occidere indecorum reputetur (c); cur lepores, ceu modis recto venandi ordini adversis, mit Abschrecken/ Lauschen/ Wohnsassen/ Hurt/ Taucken/ oder in Schnüren/ gehägten/ Dräthlen/ oder Fällen/ non insectandi, aut enecandi (d); cur non indistinctim omnis generis animalia fera cum quibuscunque globulis, Geschöß/ Kugeln oder Schröten transfigenda, ne feræ majores leviter saltem vulneratæ in fugam abigantur, aut graviter percussæ in sylvis pereant; cur vulpes quibusdam in locis, præterquam quod temporis ratio habenda (§. XXII.), nonnisi modis venandi ordinariis, mit ordentlichen Jagen/ Hetzen/ Gruben und Schiessen/ capiendæ; cur pali acuti, quibus feræ semetipsas transfigant, non ferendi; cur denique venenorum, aliorumque remediorum, quibus feræ ad rabiem concitentur, in venationibus usus omnis legibus improbandus atque cohibendus sit &c.

(a) *cit. Ordinat. venet. Bavar. Cap.* 3. §. Nachdem uns auch fürkommen ꝛc. *in fin.*

(b) *Ibid. in fin.* damit aber die Netz fürterhin nicht zu eng gemacht werden/ wollen wir ein Maas/ wie weit die Spiegel seyn sollen/ verordnen.

(c) *Ibid in fin.* doch der Geißen ꝛc.

(d) *Ibid. Cap.* 13. Vom Abschrecken/ Lauschen/ ꝛc. ubi in fine generalis sanctio subjungitur, qua omnes omnino inordinati venationum modi vetantur. Item Mecklenburgische Lands-Ordnung. de a. 1562. tit. 26. Wir wollen auch/ daß alles Wild ibi: und soll hiemit alles Kuren/ Lappen und Lauschen ganz und gar verbotten und aufgehoben seyn/ dadurch das Wild verderbt/ und verödet wird. Item Fürstl. Jenaisches Jagd-*Mandat* de

an. 1674. An Prælaten / Ritterschafftl. §. Es sollen zum dritten alle Drath- und Haarschlingen ꝛc. Ubi quoque §. 8vo. Alle Nacht- und Streich-Garn improbantur.

(c) *cit. Ord. Bavar. Cap.* 12. Zu was Zeit die Fuchs-Jagd zu treiben. ubi peculiares hujus constitutionis rationes vide.

§. XXIX. Nec minus inde in aprico constituitur, quare femellis majoris aucupii, quales sunt attagenum, urogallorum & similium, parcendum (a); cur perdicum & coturnicum pullos capere, aut ova destruere nefas (b); cur volatilibus, nobilioris præsertim generis, rarioribus effectis, certi easdem aucupandi modi, mit Leimstangen / mit dem Hengel / Stecknetzlen/ prorsus cohibendi (c): eoquod scilicet his, atque aliis modis totalis fere avium nobiliorum destructio consequeretur.

(a) *d. Ordin. Bavarica Cap.* 21. *§.* 1. ibi: aber dennoch der Hennen / wie und was Orts die seyen / zur selben Zeit auch verschont werden. *Item in fin.*

(b) *Ibidem Cap. eod. §.* und dieweil oftmals an dem Schritt oder Mehen ꝛc. Id quod omnes fere ordinat. venatoriæ apud FRITSCHIUM P. III. quoque edicunt.

(c) *Ibid. Cap.* 22. *§.* 1. soll auch das schädliche Weydwerck/ so mit dem Hengel / mit den Kerschen gericht wird/ wie auch die Stecknetzlen / dadurch die Wachteln in der Brut Hauffenweis aufgefangen/ und den Leuten das Getreyd vertretten wird/ gäntzlich verbotten / und mit Ernst abgestellt seyn. Fürstl. Jenaische Forst- Jagd- und Weydwercks-Ordnung *Cap. II. §.* 8. Es sollen in dem Vogelschneiten / und anderswo gantz keine Fallen / oder Tritt-Schlingen vor Auer- und Birckhahnen zu stellen verstattet werden.

§. XXX. Ex eodem denique fonte intelligimus, cur Princeps recte caveat, ne pisces, qua moriantur, esca, aut præparatis eum in finem globulis, ut ad natandnm inepti efficiantur, sive etiam vertigine agantur, capere quispiam

præ-

præsumat (a); cur hamis, retibus, & nassis certam mensuram præfigat (b), ut ne omnis generis pisciculi minores, præsertim populandis aquis & stagnis apti, die Setzling / simul in prædam cedant (c); cur instrumenta, quæ Leg-Scheffslen / verbundene / und verdeckte Reussen / item die Holz-Reussen / und Gleiter-Körb / item Kräuter-Bürden und Wathen vocant, aliaque his similia, quibus semina quoque piscium simul extrahuntur, & disperduntur, haud permittenda (d); cur piscium & cancrorum certa mensura servanda (e); piscationes nocturnæ inhibendæ (f), & in genere, quidquid ad destruendos sine necessitate pisces comparatum est, salutaribus eum in finem sancitis legibus a Principe jure prohibeatur.

(a) Conf. constitut. de piscatione in elector. Bavar. *Art. IX.* ad eandemque KHRAYSSERUS apud FRITSCHIUM *P. I. p. 181.* apud eundem *P. III. p. 525.* Herzogs August. Administrat. zu Magdeburg Verbott/zur Frühlings-Zeit weder die Vögel wegzufangen/ noch durch die gantze Fisch-zeuge die Wasser zu verwüsten.
(b) *d. const. Bavar. Art. V.* de modo, seu forma des Brüttelmaß; quo loco die Schmelch-Reussen und Spreu-Garn plane prohibentur.
(c) *Ibid. Art. III.*
(d) *Art. II.* ubi plura ejusmodi instrumenta recensita videbis.
(e) *Art. III.* Vom Fischmaß.
(f) *Ibid. Art. VIII.* item SEBAST. MEDICES *P. I. Q. IV.*

§. XXXI. *Vigore juris circa venationes majestatici princeps, qualiscunque venationum in republica status fuerit* (§. XI.), *quibusdam in locis venandi facultatem jure restringit.*

Demonstratio propositionis iisdem, quibus præcedentes, principiis innititur. Pone enim feras, pisces aut aves conservari, aut damna imminentia averti aliter, nisi quibus-

dam in locis venandi facultate legibus adenita, non posse. Quoniam principis majestaticum id officium postulat, ut venationum jura cum bono civitatis communi, & salute subditorum concordare faciat (§. XVI.): quin hocce casu venandi facultatem quibusdam in locis jure restringat, dubio caret. Q. E. D.

SCHOLION. I. Quid obstat e. g. quo minus in pratis agrisve consitis venationes, præsertim strepitosas atque noxias exercere nefas habeatur? quo minus feræ in sylvis, ubi coire atque parturire consueverunt, lata lege, aut perpetua, aut ad stata anni tempora restricta zur Brunft- und Setz-Zeit, securitate fruantur? Id quod itidem de aquis piscosis, & areis aucupatoriis dicendum, consentientibus eam in rem ordinationibus venatoriis locorum fere omnium (a).

SCHOLION. II. Porro sua, ut patet, adhuc propositioni constat veritas, licet venandi jus omnibus liberum esse ponas (§. XI.): multo igitur magis, quando ad quosdam, vel proprietatis vel concessionis a principe jure restrictum esse dignoscitur. Quibus vero ex causis princeps a venandi jure subditos prorsus excludere, idque sibi privative asserere valeat: ejus disquisitio hujus loci non est.

(a) Confer. inter alias Fürstl. Sächs. Jenaische Jagd- und Forst-Ordnung *Cap. II. §. 5.* Der Forstmeister 2c. ibi. und damit unsere Unterthanen. item Gräfl. Hohenloische Jagd- und Forst-Ordnung *Tit. IV.* Zu was Zeiten die Wälde in denen Wildfuhren verbotten, und wie die behegt werden sollen.

§. XXXII. *Periculosus atque noxius armorum & instrumentorum in venationibus usus a principe nulla ratione tolerandus, sed omni modo cohibendus.*

Etenim princeps venationes aliter in republica tolerare non debet, quam ut ne reipubl. ac subditis inde damnum

eve-

eveniat (§. XVI.). Quapropter ſi arma, & inſtrumenta venatoria talia eſſe deprehendat, ex quibus tum homines, tum animalia & res ipſorum facile lædi, atque damnum ſentire queant; quin ipſis venationibus multis modis noceatur: eorundem uſum recte cohibere principem, nemo ibit inficias. Q. E. D.

SCHOLION. Trahenda huc omnia illa, feras piſces & aves capiendi, media, de quibus §§. XXVIII. ſub fin. & XXX. pr. dictum fuit (a). Sunt præterea alia inſtrumentorum venatoriorum genera, queis circa manifeſtum diſcrimen uti vix licet, veluti ſunt ſclopeta, aut arcobuſia automata, Selb-Geſchoß/ Leg-Büchſen/ legibus & ordinationibus venatoriis paſſim prohibita (b). Eundem in cenſum referendæ decipulæ, atque foveæ, capiendis urſis, lupis, apris, vulpibus &c. prope vias effoſſæ (c), quæ & ſimilia alia in republica minime toleranda.

(a) Confer. quoque Herzog. Würtembergiſche Jagd- und Forſt-Ordnung *Art. 150.* ibi: Nachdem ſich auch vor Zeit ereignet hat/ daß dem Wildprät in denen Wäldern vergifte Kugeln gelegt worden/ welches gantz gefährlich und abſcheulich ꝛc.

(b) Vid. Churfürſtl. Brandenburgiſche Hinter - Pommeriſche Jagd- und Holtz Ordnung Tit. 22. Demnach auch die Selb-Geſchoß/ und das Büchſenlegen nicht allein der Wild - Bahn ſchädlich/ ſondern auch für Menſchen und Vieh ſehr gefährlich ſcheint: Als ſoll keiner bey Vermeydung 20. Rthlr. Straff einig Selbgeſchoß und Büchſen zu legen ſich unterfangen ꝛc. Concordat all. Würtembergiſche Jagd-Ordnung Tit. Von Haſen und Füchſen §. dergleichen nicht zu geben / & aliæ paſſim apud FRITSHIUM.

(c) SEBAST. MEDICES *P. I. Q. XIII.* ubi recte docet, ex L. aquilia teneri eum, qui foveam fodiendo damnum dedit, ex L. *qui foveas & ſequ. π. ad L. Aquil.*

§. XXXIII. *Certas ferarum, piſcium atque avium ſpecies venando inſectari aut capere princeps jure ſubin meritoque vel ad tempus, vel perpetuo prohibet.*

Quod

Quod si aut casu, aut ex immoderato venationum abusu ferarum, piscium & avium nobiliorum penuria rempublicam premat: principis circa venationes majestaticum officium (§. VIII.) postulat, ut de augendis, & propagandis earundem speciebus sollicitus sit (§. XVI.). Quapropter, cum efficacissimum hoc casu medium prostet, nimirum ut a venatione animalium, de quibus propagandis atque augendis princeps laborat, abstinere ad tempus jubeat: certas animalium ferarum species ne ad tempus venari fas sit, quocunque in venationis statu (§. XI.) lege eundem efficere posse, evidens est. *Quod erat primum.*

Quin, si aut utilitas aut jucunditas publica, ubivis locorum in repub. promovenda, perpetuam animalis innocui conservationem flagitet: principem perennem eidem securitatem atque immunitatem a venatorum manibus lege tribuere posse, quis dubitet? *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Exemplum hujusmodi prohibitionis nobis suppeditat mandatum Sereniss. Elect. Brandenburgici de a. 1657. (a) quo alcium, atque urorum, noviter tum e vivariis emissorum, multiplicationem procuraturus, eorundem venationem severe inhibuit. Quin plura ejusmodi exempla occurrere possint, dubium non est. Quid si enim inundationibus piscibus denudati rivi aut stagna? An principem hoc casu piscationes ad certum tempus cohibere posse dubitas? Vicissim publici oblectamenti causa multis in locis luscinias capere, & domi tenere lege inhibitum est, claro rursum eam in rem mandato Sereniss. Electoris Brandenburgici de a. 1693. quo perpetuam lusciniis securitatem publica lege tribuit (b).

(a) Apud FRITSCH. *P. III. v. 26. p. 520.*
(b) *Ibidem p. 527.*

§. XXXIV.

§. XXXIV. *Feræ, pisces, & aves feroces, nec nisi rapto viventes ut penitus deleantur, atque extirpentur, princeps justissima lege præcipit.*

Ferocia ejusmodi, & rapacia animalia eo prorsus, quo hostes generis humani, loco habenda sunt. Hos igitur pellendi, atque extinguendi sicut communis omnes obligatio stringit: ita non possunt non saluberrimæ dici leges, queis bestias feroces, aliasque non nisi rapto viventes feras omnibus modis persequi atque extirpare jubentur subditi. Q. E. D.

SCHOLION I. Huc referas leones, tygrides, ursos, lupos, lynces, vulpes, feles sylvestres, lutras, martes, castores, fibros, ex avium genere aquilas, milvos, accipitres &c. Nec inter pisces desunt, quos rapacium classe collocare posses, quod vel lupi aquatici exemplo patescit. In his igitur animalibus extirpandis semper solers fuit summorum imperantium cura & sollicitudo, uti ordinationes & instituta locorum plurium comprobant (a). Ita de Angliæ Regibus constat, eosdem tributi nomine ab incolis Walliæ certum capitum lupinorum numerum exegisse, eoque effecisse, ut nocivum hocce animal penitus tandem extinctum fuerit. In Electoratu Brandenburgico, Marchia præsertim, iis, qui lutras & martes capiunt, præmia constituta (b). In Elector. Bavar. aves rapaces, excepto accipitre, nisi graviter noceat, & falcone, occidere cuilibet integrum (c).

(a) Vid. *Ordin. venat. Bavar. Cap. 16.* von schädlichen Thieren. De venatione luporum in specie videnda Fürstl. Sächs. Gothaische Jagd- und Forst-Ordnung *de a. 1656. p. 56* Item Brandenburgische Verordnung von der Wolffs-Jagd *d. a. 1680. &c. a. 1689.* apud FRITSCH. *P. III. append. n. 19. & 20.*

(b) Chur Brandenburg. Forst-Ordnung in der Marck Tit. 23. von Ottern und Mardern.

(c) Chur-Bayerische Jagd-Ordnung *Cap. 23.* apud eundem FRITSCH. *cit. locis.*

§. XXXV. Quoniam porro has ipsas venationes bestiarum ferocium, atque rapto viventium *necessarias* dicimus: *subditos ad venationes necessarias virtute superioritatis territorialis a principe cogi posse evidens est* (§. *XXXIV.*)

SCHOLION. Quatenus constituto penes principem regali venandi jure hæc aliter sese habeant, atque hæ etiam venationes a principe, aut ejus nomine exerceantur: sequentia (Cap. II.) dabunt. Loquimur hic in genere, sine respectu ad certum aliquem venationis statum in republica.

§. XXXVI. *Ejusdem vigore summi imperii, atque superioritatis territorialis princeps in venationibus necessariis operas subditorum exquirit, atque imperat.*

Princeps ad extirpanda animalia ferocia & raptu viventia vigore majestatici, quod gerit, officii obstrictus est (§. XXXIV.), plane, ut subditos ad ejusmodi venationes cogere jure queat (§. XXXV.). Quod cum sine subditorum operis, atque unione virium executioni mandari nequeat, uti per se liquet: subditos ad operas, in ejusmodi venationibus præstandas, non minus, quam ad ipsas venationes cogi posse, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Non mirum proin, si, quotquot fere prostant ordinationes venatoriæ, harum operarum mentionem faciant. Vide sis allegatam supra §. XXXIV. Fürstl. Sachs. Gothaische Jagd- und Forst-Ordnug de a. 1656. Item Verordnung wegen der Wolffs-Jagd x. apud FRITSCHIUM *cit. locis*, queis junge *eod. loco p. 204. & 215. Ordonnances des forets du Comtè de Montbeliard. Tit. De La chasse du Loup.* ibi: nos dits sujets toutes & quantes fois qu'ils seront commande a la chasse du Loup (attendu, qu'en cette chasse il n'y a aucun terme ni certitude) devront diligemment, & en toute obeyssance comparoitre avec leurs armes &c.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Operæ, quas subditi in venationibus necessariis præstant, periculo, quantitati & ferocitati bestiarum, nec non innumeris aliis circumstantiis loci & temporis attemperandæ, neque per se determinatæ sunt. *Unde subditos in venationibus necessariis ad operas indeterminatas obstrictos esse, patescit.*

SCHOLION. Consentiunt ordinationes venatoriæ de lupis persequendis, quas supra (§. XXXIV.) allegavimus. Vide modo inter alias Churfürstl. Brandenb. *Mandat* wegen der Wolffs-Jagd im Herzogth. Magdeburg de a. 1680. ibi: auch ein jeder seine anbefohlene Amts-Closter- und andere Unterthanen / soviel derselben jedesmal darzu nöthig/ Mann vor Mann/entweder selbst oder durch eine andere tüchtige Person/ mit bey sich habenden Beil oder Axt / zu jederzeit / wann / und wie oft / und an welche Ort oberwehnter unser Ober-Forstmeister sie erfordern wird / rc. quæ formulæ in aliis quoque similibus ordinationibus passim occurrunt.

§. XXXVIII. Cumque in necessariis hisce venationibus de vita, corpore & rebus subditorum conservandis, defendendisque agatur (§. XXXIII.): licet unam alteramve personam immunitatem ab his operis præstandis privilegio Principis impetrare posse, non abnuamus; *eam tamen ad integras præfecturas, urbes & pagos extendendam non esse, facile cognoscitur.*

SCHOLION. Sit igitur, landsassiorum subditos a præstandis domino territoriali operis immunes esse: id tamen ne quicquam obstabit, quo minus ad operas venatorias, in venationibus necessariis præstandas, a Principe recte evocentur. Publici boni ratio, qua nulla potior esse debet, hujus generis exemtiones minime patitur. Quas in exercitio regalis venandi juris dominis territoriorum operas præstare subditi obstricti sint: de eo dispiciemus infra *Cap. II. & III.*

§. XXXIX. *Quid circa diversos, feras, pisces & aves acquirendi modos inter cives reip. privatos, nec non landsassios, venationis jura a Principe tenentes, juris sit, Princeps, vigore juris circa venationes majestatici, legibus salutariter conditis recte determinat.*

Pone liberum venandi jus in republica receptum, plenamque feras occupandi potestatem patere omnibus: pone a prædiorum dominis idem jus ex consuetudine exerceri, aut ex concessione & beneficio Principis possideri. Quodcunque sumseris, multa tum in ipsis venationis actibus, & feras occupandi, atque apprehendendi modis occurrent, quæ, sicut dominii acquirendi modi rerum aliarum, legali sanctione a Principe definienda erunt, si certa dominia, nec litibus impleri rempublicam velis. Patet igitur asserti veritas, & qualicunque ratione venationis jura a subditis & landsassiis exerceri ponas, legislatoria circa acquirendi & apprehendendi modos potestas Principi semper salva esse intelligitur. Q. E. D.

SCHOLION. Pertinent huc pleraque, quæ de feris animalibus tum acquirendis, tum amittendis jure civili constituta sunt: e. g. cujus sit fera vulnerata? an occupantis? an primo vulnerantis (a)? Quousque fera, fuga elapsa, nostra sit? Quid de feris, sylva & vivariis, piscibus vero stagnis & piscina inclusis, jure obtineat (b)? Aliæque hujus generis quæstiones, de quibus vide sis commentatores ad *Institut. & Pandectas*: item qui de venationibus ex professo scripsere, passim. Nos impræsens ad publica magis animum intendimus: quæ vero speciatim inter landsassios obtineant, Capiti V. reservamus.

(a) Conf. omnino *supra opusc. VIII.* §§. 85. & 86. Item §. 94. *seq.*
(b) Ibid. §§. 91. & 92. *seq.*

§. XL. *Damna venando data, ut ex æquo resarciantur, Princeps justissima lege prospicit.*

Quæ-

Quæcunque civibus jura competunt, ea ita exercenda, ut ne aliis inde damnum inferatur. Quare, si aut liberam vigere venationem, aut prædiorum dominis & landsassiis privative eandem competere ponas; usum ejus, & exercitium aliis innocuum esse convenit: & siquod inde damnum in homines, animalia, sata atque fruges dimanarit; id omne resarciendum esse ipso rectæ rationis dictamine edocemur. Cui robur legale, & vim obligandi civilem addendo, Princeps legibus merito cavet, ut, quod subditis per venationes damni datum est, ex æquo resarciatur. Q. E. D.

SCHOLION. Exempla habuimus supra §. *28. in fin.* §. 30. *pr.* & præsertim §. 32. in iis, qui foveas capiendis feris in locis, per quæ transitus patet, parant. Tu adde: siqui venando in satis & frugibus subditorum grassentur. Nequit enim, nec debet exerceri venatio, si agriculturæ insigniter noceatur (a), secusque facientes ad resarcitionem damni ex lege Aquilia recte conveniuntur (b).

(a) Vid. *Edict.* JOH. GEORG. I. Elect. Saxon. *de a.* 1613. die Wildprät-Schützen betreffend. ꝛc.

(b) Vid. cit. supra (§. 32 lit. c.) π. *Ad L. Aquiliam.* GAIL. *L. II. Obs. 68. n. 10.* MOHR *tract. de J. Venat. P. II. C. 10. n. 6.*

§. XLI. *In transgressores ordinationum venatoriarum, quas Princeps vigore supremæ circa venationes potestatis condidit, pœnis atque mulctis recte animadvertit.*

Latis a Principe circa venationes salutaribus legibus sua ut constet auctoritas, & robur legale, maximopere interest; uti ex demonstrata hactenus earundem tum æquitate, tum necessitate abunde elucescit. Fortius itaque cum vinculum & obligatio civilis evadat, si leges sanctione pænali muniantur, & in transgressores condignis pœnis animadvertatur: recte Principem in ordinationum venatoriarum violatores pœnis tum corporis afflictivis, tum pecuniariis,

pro qualitate personarum & circumstantiis animadvertere, nullo negotio patescit. Q. E. D.

SCHOLION. Hinc vix ullam erit reperire ordinationem venatoriam, quæ si non speciali, generali saltem sanctione pœnali munita haud sit. Quoniam tamen excessus admodum inter se differunt: ipsas quoque pœnas & mulctas varias, valdeque inter se diversas esse, mirum non est.

§. XLII. Cumque leges & ordinationes venatoriæ landsassios non minus, quam reliquos subditos obligationis vinculo constringant (§§. XVIII. & XIX.): *sanctiones pœnales, queis ordinationes venatoriæ muniuntur, ad landsassios æque ac subditos alios pertinere liquet.*

SCHOLION. Iis scilicet casibus, quibus vel ut prædiorum possessores, sive beneficio principis venandi jus exercent, infinitis idem ordinationibus, & a territoriorum dominis emanatis rescriptis ac mandatis venatoriis comprobantibus. Peræque siquidem interest, ut hoc venationum in republica statu venationes sartæ, & integræ serventur. Conferantur modo Churfürstl Bayerische Jagd-Ordnung *Cap. II.* von der Prälaten/ vom Adel und Landsassen Erb-Gejägder ibi: Demnach sollen diejenige/ denen die Gejagds-Verwaltung von Uns anbefohlen/ hierauf ihre Obacht haben/ und da sie dergleichen ungewöhnlich und ungebührlich Jagen erfahren/ solches denen Innhabern derselben Gejägder zu erkennen geben/ und davon gütlich/ es seye schrifftlich oder mündlich abweisen. Im Fall aber dasselbe bey einem oder dem andern nicht statt haben würde: Sollen sie solches an Uns/ um gebührend Einsehens willen/ gelangen lassen. Item *Cap. VI.* Von denen Straffen in denen Gejagden ibi: wann eine Person/ so Uns ohne Mittel unterwürffig . . . wieder dise Gejagds-Ordnung verbrechen würde: Soll alsdann solchen Herrn die Jagens-Gerechtigkeit/ doch allein an dem Thier/ in welchem er verbrochen/ und allein in dem Fall/ wenn das Verbrechen kündlich beygebracht ist/ aufgehoben werden. Fürstl. Heßische Jagd- und Forst-Ordnung/ apud FRITSCH *d. l. P. III. n.* 14. §. imgleichen solle allen von Adel und Landsassen unseres Fürstenthums/ daß sie in ihrem Gehöltze/ oder

Jagden

Jagden kein Saltze/ oder Lecke offentlich oder heimlich anrichten/ mit Ernst/ bey 100. Gold-Gulden unnachläßlicher Straffe verbotten seyn. Item §. zudem soll auch keiner unser Unterthanen und Landsassen ibi: Soll solche Büchsen dem Förster nicht allein verfallen/ sondern auch der Verbrecher in die Straff erkennt seyn/ & alibi passim. Sereniss. Ducis Brunsvicensis August. Erwiedertes Edict, Jagen und Kuren betreffend *de a. 1645.* apud FRITSCH. *d. l. p. 135.* An Prælaten/ Grafen/ und Freyherren/ Ober-Inspectorn/ Pröbsten/ denen von der Ritterschafft/ Amtleuten ꝛc. §. Wann Wir aber solches fürterhin weiters zugedulten keinesweges gemeint seyn: So gebieten/ und befehlen Wir allen und jeden/ wie obstehet/ sie haben hohe/ oder niedrige Jagd-Gerechtigkeit/ wie sie wollen . . . . hinführo bey Vermeydung unserer hohen Ungnade / und willkürlichen Straffe/ auch Verlust ihrer Jagds-Gerechtigkeiten ꝛc. Plura infra Cap. V. suppeditabimus, ubi de jure venationis landsassico ex instituto acturi sumus.

§. XLIII. *Mulctæ pecuniariæ, quas transgressores ordinationum venatoriarum, edictorum, nec non mandatorum jus principis circa venationes majestaticum, sive territoriale pro fonte agnoscentium, pendere coguntur, fisco principis jure cedunt.*

Ejus sunt mulctæ, cujus est jurisdictio, sive mulctas indicendi, exigendique potestas (a). Enimvero mulctas in legum venatoriarum transgressores, tanquam juris circa venationes majestatici & territorialis violatores, solus princeps atque territorii dominus recte statuit (§§. XLI. & XLII.). Ergo solus quoque mulctas illas percipiendi, atque fisco addicendi jure gaudet. Q. E. D.

SCHOLION. Diversæ sunt ab his mulctæ, quæ in violatores venationum, quatenus regalia eximia & utilitates fundorum sunt, statuuntur. Has enim illos etiam percipere, qui jurisdictione bassa & venatione subordinata gaudent, notorium est: sicut nec illud abnuo, posse mulctandi jus territoriale subordinate subdito aut landsassio concedi. De regula hic sermo est, cui scilicet, quando de concessione principis subordinata & dependen-

ti

ti (§. XV.) non constat, mulctæ illæ tribuendæ sint? Et vel ideo etiam principi adjudicandæ, quod landsassiis & aliis privativis venationum possessoribus non minus, quam reliquis subditis imponantur (§ XLII.); testibus ordinationum verbis, quæ (§. eod. in Schol.) in extenso adduximus.

(a) GOEDD. *in Resp. Juris de restitut. Baron. Valendar n. 325. in fin.* REINKING. *Reg. Sacul.& Eccles. Lib. I. class. V. Cap. 4. n. 84.* BESOLD. *de jurisdict. Q. 18. in fin.* GEORG. AND. MAJER *de jurisdict. Sect. II. Membro 4. posit. 8. lit. q.* KNIP CHILD. *de Nobil. Lib. III. Cap. II. n. 66.* ubi inter effectus superioritatis & jurisdictionis territorialis idem connumerat. ZAHN *Ichnograph. municip. Lib. II. Cap. 38. n. 23.* recte concludens, quod in iis, de quibus solus superior cognoscit, mulctarum pœnarumque compendia soli principi inferenda sint. MARBURG. *consil. 27. n. 57. vol. 2.*

§. XLIV. *Vigore denique majestatici hujus, & territorialis circa venationes juris princeps officiales constituit, qui in omnibus territorii partibus, landsassiorum non minus, quam aliorum subditorum terris, ne quid in territorii leges venatorias universales peccetur, solliciti prospiciant.*

Ordinationes, mandata, & edicta venatoria universalia in omnibus territorii partibus sancte ac illibate custodienda esse, ex demonstratis hucusque, eorundem fine, atque necessitate liquido patescit. Enimvero principalis officii ratio, & multitudo negotiorum non patitur, ut in curas hasce sigillatim princeps seu territorii dominus ipse descendat. Ministerio igitur aliorum opus habet, qui in hoc eundem officii genere sublevent, & in concreditis sibi partibus, ut venationes non nisi juxta leges venatorias, exerceantur, procurent. Hos itaque officiales, quin vigore superioritatis territorialis princeps recte constituat, dubio caret. *Quod erat primum.*

Porro

Porro legum venatoriarum, quas princeps vigore ſummi imperii, ſeu ſuperioritatis territorialis, condit, obligatio per univerſum ſeſe territorium diffundit, & ad landſaſſios non minus, quam ſubditos alios pertinet (§§. XVIII. & XIX.). Officialium igitur, a principe conſtitutorum, adminiſtratoria hæc poteſtas in landſaſſiorum æque ac aliorum ſubditorum terris ſeſe exerit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION I. Hancque principum imperii poteſtatem leges & ordinationes venatoriæ paſſim probant (a); neque citra abſurditatem in dubium vocari poterit. Aut enim, quod tamen hactenus invictis argumentis probavimus, principis in condendis legibus venatoriis majeſtaticum & territorale jus nullum: aut officiales & venationi Præfectos conſtituendi facultatem cum ratione nemo negaturus eſt.

SCHOLION II. Quænam in ſpecie præfectorum venationis ſint officii partes, ex dictis hucusque abunde colligitur, nec minutim perſequi opus eſt. Primum inter eos locum tenet ſupremus venationum præfectus, der Obriſt Jäger-Meiſter/ cui præfecti ſubalterni ſubſunt. Quoniam vero regali venandi jure penes principem conſtituto alia multa principis jura conſequuntur; nec non in ipſis venationibus recte inſtituendis adornandisque potiſſimæ ſupremi venationum præfecti partes ſunt: plenariam hujus officii ideam tum demum animo concipiemus, quando, quæ ad venationes quavis ratione pertinent, perſolverimus. Tu interim adi *illuſtris* SECKENDORFFII Teutſchen Fürſten-Staat (b), ubi, ſicut exaſciata omnia, ita abſolutiſſimam Præfecti venationum ideam nitide adumbratam offendes. Ceterum quæ ex majeſtatico & territoriali circa venationes jure ulterius deduci poterant; ea commodius ſequentibus reſervamus capitibus, in quibus regalis venandi juris indolem curatius ſumus expoſituri.

(a) Vid. Chur-Bayeriſche Jagd-Ordnung *Cap. II.* verbis: Demnach ſollen diejenigen ꝛc. & aliæ ordin. venatoriæ ſupra (§. XLII.) citatæ.

(b) *P. III. Tit.* 3. *Regal.* 5. §. 8. *p.* 448. *ſeq.*

CAPUT II.

De regali venationis jure, & quidem in fundis civitatis publicis.

§. I. IN infinitum cum civitas nulla protendatur, neque indeterminatos, vagosque reipublicæ limites relinquere publici boni ratio ferat: tanquam demonstratum, seu potius axiomatis hic loco sumere licet: *Quod, sicut numerus subditorum & civium, ita vicissim ditionum & provinciarum, sub uno regimine civili constitutarum, amplitudo, id est, fines ac limites fixi determinatique sint, quos ultra nulla imperii vis, nulli se se civilis potestatis effectus exerant.*

SCHOLION I. Eadem sane ratio, quæ suasit, ut privati limitibus agros discernerent, ne scilicet dominia in perpetua incertitudine hærerent, infinitis altercationibus ansam datura, inter populos quoque & gentes diversas militavit, ut regionum & territoriorum fines certos figerent, atque ita cruentissimis bellis fomitem præcluderent. Ex quo patet, omnes respublicas atque territoria suo modo *clausa* esse; & qui territoria *non clausa* admittunt, complexum terrarum, non sub uno, sed sub pluribus, civili potestate sigillatim præditis, constitutarum, intelligunt; sive, ut clarius loquar, certum terrarum tractum non unum, sed plura territoria esse, prætendunt. Quas logomachias utinam! dudum e publici juris prudentia proscripsissent Doctores.

SCHOLION. II. Fines hos plerumque flumina, montes, littora maris, sylvæ &c. constituunt. Ita de Germania testatur TACITUS *de moribus Germanorum*, quod suo tempore a Galliis, Rhætiisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis, Dacisque mutuo metu, aut montibus separata fuerit.

§. II.

§. II. *Quidquid limitibus, seu finibus reipublicæ comprehenditur, nec alium dominum sequentem agnoscit: id ad populum, seu rempublicam, occupationis per universitatem nomine, & proprietatis jure, pertinet.*

Populus, sive respublica, ceu persona moralis composita (a), dum certum terrarum tractum suis circumscriptum limitibus occupat, sive expresse, sive tacite per coalitionem sub imperio civili idem fiat, id agit, ut isthac apprehensione, sive, ut GROTIUS loquitur (b), occupatione per universitatem a rebus, intra fines territorii conclusis, populos alios excludat, solusque de iis tum proprietatis, tum imperii jure disponat. Neque enim aliam ob causam fines & limites regni determinat. Enimvero hoc in rebus occupari, & privative possideri aptis absurdi nihil involvit (c). Quidquid igitur intra fines reipublicæ consistit, occupationis per universitatem jure in reipublicæ qua talis proprietatem transiisse dignoscitur. Q. E. D.

SCHOLION. Res igitur occupabiles, & propriæ fieri aptæ sint, necesse est, idem monente HUG. GROTIO *de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 4. pr.* verbis: *Quæ propria fieri possunt; quædam enim ita nullius sunt, ut propria fieri nequeant.* Ceterum propositionem hanc egregie confirmant GROTII verba *d. §. 4.* quando ait: *Quod siquid universim occupatum in singulos dominos descriptum non est, non ideo vacuum censeri debeat; manet enim in dominio primi occupatoris, puta populi aut regis: talia solent esse flumina, lacus, stagna, sylvæ, montes asperi &c.* GOTTLIEB GERH. TITIUS *in Jure Publ. Lib. II. Cap. III. §. 16.* cujus verba digna sunt, quæ referantur: *Enimvero (inquit) quod dominium originarium illarum rerum, quas jam retulimus, statibus imperii merito tribuatur, nunc generaliter ostendi debet. Nimirum omnes res sub initium generis humani fuere nullius; i. e. res a Deo hominibus destinatæ, nondum vero ab aliquo vel facto, vel minimum consensu apprehensæ. Postquam vero homines sibi illas asserere*

serere sensim cœperunt: res hactenus nullius, facta sunt alicujus, & pro diversitate acceptantis v. g. vel communes, vel singulorum, vel publicæ. Cum igitur homines nexu civili conjuncti certos terræ tractus possideant: non illæ tantum res statum primævæ concessionis divinæ mutasse censendæ sunt, quæ a singulis actu tenentur, sed potius existimandum, totum illum tractum, omniaque ibi contenta, dominiique privati expertia generaliter sibi asseruisse universam civitatem, adeoque dominium illarum rerum huic, ob istam assertionem, esse tribuendum. Vid. GROT. *de J. B. & P. Lib. II. Cap. III. §. 19. & C. VIII. §. 9.* THOMAS. *Dissert. de Præscript. Regalium ad jura subditorum non pertinente* ibi: *occupationem regnorum jure accessionis sequitur illud, quod ibidem reperitur, exceptis rebus, quæ privatorum usibus patent &c.*

(a) *Supra opusc. I. Cap. II. §. 30.*
(b) *De J. B. & P.*
(c) *Opusc. VIII. §§. 42. & 43.*

§. III. Quoniam status Imp. Rom. Germ. summo imperio potestate analoga instructi (Cap. I. §. VI.), & tam ipsi imperantium, quam territoria societatum civilium classe recte collocantur (ibid. §. VII. Schol.): patet, de statibus quoque imperii, eorumque territoriis recte dici: *Quod, quidquid territorii finibus concluditur, neque alii cuipiam extra territorium jure quæsitum est, id omne occupationis per universitatem jure ad Principem sive territorii dominum, qua talem, pertineat.*

SCHOLION. Occupationem per universitatem intellige totius imperii, cujus dein effectus una cum reliquis summi imperii juribus in status dimanarunt, consentiente denuo GOTTLIEB GERHARD. TITIO *cit. l.* ubi ita pergit: *Ex quo consequitur, idem obtinere in distinctis Germ. territoriis, postquam eadem superioritate territoriali animari cœperunt, adeo ut omnes res, quæ actu a privatis non tenentur, non sint dicendæ amplius nullius, nec privatorum, sed potius ob acceptationem generalem, publicæ.* Confer. quoque AUCT. *deductionis solidæ*, des Seiner Königl. Majestät von Groß-Brittanien / auch Churfürstl. Durchl. zu Braunschweig und Lüneburg in dem Herzogthum Lüneburg zustehen.

zustehenden Jagd-Regals *Cap. II. §. 5. Item Cap. III. §. 1.* ubi iisdem fere cum TITIO verbis loquitur.

§. IV. Dominium rei habere dicitur, qui re aliqua sic utendi atque abutendi facultate gaudet, ut alius perinde eadem uti, aut abuti nequeat: idque, quando cœtui civili qua tali competit, publicum audit (a). Quapropter cum quilibet populus seu respublica, juxta demonstrata (§. II.), in rebus, intra fines territorii sui sitis, tali jure instructus sit: *dominium publicum, Principi seu reipublicæ, quæ tali, in rebus omnibus, intra territorii fines conclusis, competens concipimus.*

SCHOLION. Consentientem rursus habemus magnum GROTIUM *Lib. II. Cap. III.* §. 19. *n.* 2. ubi ita inquit: *Interdum primas acquisitiones a populo, aut populi capite ita factas, ut non tantum imperium, in quo inest jus illud eminens, de quo alibi egimus, sed privatum plerumque dominum generaliter primum populo aut ejus capiti quæreretur.* Item PUFFENDORFFIUM *J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI.* §. 4. ubi notanter ait: *Occupatione per universitatem constitui dominium toti cœtui, ut tali, in omnia eo tractu comprehensa, non immobilia solum, sed & mobilia, aut saltem isthac posteriora exclusis ceteris adprehendendi.*

(a) *Opusc. VIII.* §. 10.

§. V. Cur consequens est, *nulla esse in republica stagna, nullos lacus, montes, sylvas, loca deserta &c., quæ non publico civitatis nomine occupata, atque in dominio existere dicenda sint.*

SCHOLION. Putat equidem celeberr. D. LEYSERUS *Dissert. de jure privatorum circa occupationem Cap. I. pos. 4. & Cap. II. posit.* 3. quod reipublicæ in locis desertis imperium tantum, non dominium quæsitum sit. Verum, uti hoc occupationis per universitatem a populo factæ notioni repugnat: dominium reipublicæ in ejusmodi loca satis inde in aprico constituitur, quod sine Principis expresso aut tacito consensu nemo quidpiam in iisdem juris sibi arrogare ausit; aut si fecerit, recte a Principe arceatur.

Neque, quæ vir celeberrimus obmovet, tanti sunt, ut ex stabilitis hactenus principiis solvi non possint; modo advertas in occupatione locorum desertorum tacitum Principis consensum pro incolis haud difficulter præsumendum esse.

§. VI. Enimvero, quoniam fundi, atque prædia intra fines reipubl. seu territorii comprehensa, & in quæ toti cœtui civili qua tali dominium adscripsimus, vel inter cives privatos, tum singulos, tum universitates, divisa sunt, atque ab his pleno, reipublicæ in casu tantum necessitatis reservato (a), proprietatis jure possidentur; vel in Principis, ac reipublicæ vero, proprio & efficaci dominio constituta sunt: dominium reipublicæ, qua tali, competens in universum duplex concipimus, *eminens* scilicet & *proprium*, sive *efficax*. *Illud* dicimus, quod Principi, seu reipubl. in rebus privatorum in casu necessitatis competit (b): *posterius* vero, quod Princeps, sive respubl. in rebus, extra dominium privatorum constitutis, cum pleno proprietatis jure exercere dignoscitur.

SCHOLION. Dominium reipublicæ proprium & efficax, privatum dicit H. GROTIUS (c), ea haud dubie ratione motus, quod quoad effectus, constantemque usum, a dominio, quod privatis in res suas competit, parum, aut nihil differat. Verum, cum a subjecto publicum dicamus dominium: quodcunque a principe, seu repub. qua tali habetur, *proprii* sive *efficacis* vocabulo hujus dominii publici indolem indigitare maluimus.

(a) Vid. infra *opusc. de majest. dominii eminent. jure Cap. I. §. 8. sequ.*
(b) Ibid. §. 13.
(c) *de J. B. & P. Lib. II. Cap. III.* §. 19. *n.* 2.

§. VII. *Montes, sylvæ, lacus, stagna, prata & similia, extra privatorum dominium constituta, in vero, proprio & efficaci principis ac reipub. dominio existunt.*

Mon-

Montes, sylvæ, stagna &c., territorii finibus comprehensa, in dominio sunt (§. V.). Quod cum eminens non sit, utpote in rebus privatorum competens (§. VI.): proprium utique & efficax dicendum erit (§. eod.) Q. E. D.

SCHOLION. Nec facile erit civilis aliqua societas, in qua non vasta ejusmodi bonorum publicorum copia prostet, cujus rei haud dubie inde petenda ratio, quod in primæva reipublicæ coalitione civium numerus excolendis prædiis ac fundis non sufficerit, aut belli, pestisve calamitatibus prædia deserta occupationi, atque dominio principis proprio & efficaci locum fecerint; quin quod locorum etiam rerumque qualitas privatorum dominia hinc inde aspernata fuerint; suffragante optima boni publici ratione, ut quædam res dominio privatorum exemta sustentationi principis, aulæ, & Ministrorum applicarentur (a).

(a) PUFFENDORFF. *J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI.* §. 4.

§. VIII. *Princeps sive respub. in prædia & fundos publicos pro arbitrio dominium aut latius, aut remissius introducendi jure gaudet.*

Qui fundos & prædia occupant, sibique propria faciunt, aut plura, immo omnia, aut pauciora proprietatis jura ad dominii complexum referunt, prout aut pluribus aut paucioribus usibus fundos destinant, aut prædii natura, situs & locus patitur (a). Idem ergo principi quoque, & reipublicæ in fundis publicis integrum erit. Enimvero, quando ita in fundos & prædia dominium introducitur, ut eorum, quæ usum hominibus præstare apta sunt, parum aut nihil inoccupatum relinquatur; *dominium latius*, vel *amplius*: sin secus, ita nimirum, ut multa in iisdem inoccupata, & adespota remaneant; *dominium remissius*, seu *laxius* dicimus (b). Principem igitur seu rempublicam in fundos civitatis publicos, dominium sive remissius, sive latius pro arbitrio introducere posse, evidens est. Q. E. D.

SCHO

tuitu territoriorum adjacentium habenda. Verum ut ut sit, sufficit, quod hocce casu in feras, pisces & aves quidpiam sibi juris recte nemo asserat. Nec capio sane, cur omnem usque adeo lapidem moveant alii, qui in umbra magis sapiunt, ut a dominio principis & reipublicæ publico omnia indistinctim animalia fera excludant; nisi forsan timeant, minus tum furtivis ferculis culinam fumaturam. Sed si hæc valet ratio, quidni etiam fructus vinearum communes faciunt, quo gratuito juxta se se Lyæo recreent? Quidquid sit, possibilitatem dominii hujus in feras dudum agnovere magni nominis JCti HUGO GROTIUS, SCHILTERUS, MENCKENIUS, TITIUS aliique, priori opusculo sub finem ingenti numero allegati; quibus junge SCHROETERUM *de banno ferino Cap. III.* §. 4. ubi ex eodem dominio publico, in fundis publicis principi competente, jus hocce regali venandi principum derivat.

(a) *Opusc. VIII.* §. 143.
(b) *Ibidem* §. 144. *& multis sequentibus.*
(c) *ibid. sub finem.*

§. X. *Multo magis princeps, sive respublica, lege lata titulum, feras, pisces & aves in fundis publicis privative occupandi, sola sibi vindicare, & a venandi jure alios quoscunque excludere poterit.*

Etenim hoc casu feræ, pisces & aves non in completo, sed remoto saltem dominio existunt (a), atque titulo tenus solum propriæ sunt, a nemine scilicet alio occupabiles, & si occupentur, in dominium ejus, qui jus occupandi privativum habet, hoc ipso perventuræ (b). Quod cum paulo minus sit, quam dominium completum; hoc vero princeps sibi in feras &c. recte adscribat (§. IX.): a fortiori eundem feras, pisces & aves in fundis publicis cum exclusione aliorum occupandi titulum privative sibi adserere patescit. Q. E. D.

SCHOLION. Tale jus occupandi privativum principi ac reipublicæ plerique tribuunt, testibus Doctoribus, quos in alleg. sæpe opusculo VIII. §. 107. Schol. laudavimus. Tu adde magni nominis JCtum GRIBNERUM *opusc. Tom. V. Sect. III. Cap.* 3. *§.* 21. §. 1. ibi: *omnis fere facultas occupandi feras, quæ naturaliter cuivis competit, ac civibus Romanis relinquebatur, hodie privatis denegari, ac dominis territoriorum adscribi solet. Nec injuria. Neque enim si Romanorum principes jus, quod ipsis competebat, exercere noluerunt, nostri ideo id sibi vindicare prohibentur. Scilicet constituta republica imperantibus plenissima licentia competit, de rebus communibus, quatenus salus reipubl. id permittit, disponendi, ut eas aut sibi vindicare, aut certis civibus concedere, si velint, possint. Potestas ergo venandi eodem modo a principe aut restringi, aut plane privatis adimi potest, si ita ipsi visum fuit; quod jus in imperio nostro plerosque imperantes usurpasse constat;* nec non omnes illos, qui cum ZOESIO *ad π. tit. de A. R. D. n.* 14. acquisitionem dominii ferarum lege a principe lata impediri posse statuunt.

(a) *d. opusc.* §. 105.
(b) *Ibid. §.* 70. *sequ.*

§. XI. Quoniam tamen res ab uno vel paucis occupabiles non sunt res nullius (Opusc. VIII. §. LXXI.), nec occupari ab alio, quam qui eas occupandi jure gaudet, queunt (ibid. §. LXXII.); quin, occupatæ a quocunque alio, non in occupantis, sed privativi tituli possessoris dominio existunt (ibid. *§.* LXXIII.), ac proin omnes qualitates rerum, in dominio pleno existentium, induunt (ibid. §. LXXIV. seq.): patet, *eosdem circa jus principis in feras consequi effectus, sive sub dominii easdem complexum referat* (*§. IX.*), *& pro fundorum publicorum fructibus habeat, sive solus easdem occupandi titulum sibi vindicet* (§. *X.*);

§. XII. Unde consit, *principem seu rempubl. pro lubitu dominium fundorum publicorum ad feras quoque, pisces & aves extendere*

tendere (§. IX.), aut easdem occupandi titulum ſoli ſibi adſcribere (§. X.), pari utroque caſu ſecuturo effectu (§. XI.).

SCHOLION. Eligant igitur, qui dominium principis in feras faſtidiunt, poſterius, dicantque, non niſi privativum & excluſivum illas occupandi titulum principi ac reipub. competere, in effectu & conſectariis neceſſario nobiſcum conſenſuri (§. XI.), nec aliud conſecuturi, quam quod per ambages eo tendant, quo per dominium via patet breviſſima.

§. XIII. *Poſito principem ſeu rempublicam in montes, ſylvas, prata, campos, flumina, lacus, ſtagna, aliosque fundos publicos ita introducere dominium, ut non niſi fructus, ex ipſa fundorum ſubſtantia progerminantes, & perpetuo iisdem cohærentia acceſſoria proprietatis jure ſibi vindicet: hoc caſu feræ, piſces & aves, in fundis publicis vagantes, erunt res nullius.*

Feræ, piſces & aves ſunt acceſſoria fundorum, non perpetuo fundo cohærentia, aut ex ipſa fundi ſubſtantia progerminantia, ſed tranſitoria (Opuſc. VIII. §. CXL.). Enimvero illa, non hæc princeps & respubl. ex hypotheſi proprietatis jure ſibi vindicat. Feras itaque, piſces & aves in fundis reipub. publicis hoc caſu in ſtatu rerum nullius relinqui, evidens eſt. Q. E. D.

§. XIV. *Venatio libera*, die freye Bürſch/ dicitur jus, ſive facultas, feras, &c. in nullius exiſtentes dominio, quasque occupandi nemo privative jure gaudet, pro lubitu occupandi, atque ſuas faciendi.

SCHOLION. De venatione libera videndus JACOBUS OTTO freyer Bürſch-Beſchreibung. apud FRITSCH. *P. I.* ubi *Cap. III.* §. 2. eandem definit: Daß ſie ſeye ein freyer Gewalt an ſolchem Ort/ da das Wildprät nicht gebannt/ deßwegen einem jeden zu jagen frey ſtehet. Item BESOLDUS *Theſaur. pract.* voce freye

Bürsch *p. m.* 267. VITRIAR. *Jur. Publ. Lib. III. tit.* 18. §. 9. *ibique* PFEFFINGER. *in notis.*

§. XV. *In hypothesi* §. *XIII. libera in fundis civitatis publicis venatio viget.*

In hypothesi *d.* §. feræ, pisces & aves sunt res nullius, nec magis, dominii easdem capaces esse, dubium est. Enimvero, cum res nullius, dominii capaces, occupandi, suasque faciendi libera cuivis facultas competat (Opusc VIII. §. XL.): nec a ferarum occupatione hocce casu quemquam excludi, consequenter liberam venandi facultatem patere omnibus (§. XIV.), evidens est. Q. E. D.

SCHOLION I. Supponendum tamen, Principem non etiam alia de causa lege prohibitoria venandi facultatem cohibere: forsan, ne sylvæ & nemora sub venationum prætextu devastentur, aut ut a periculoso armorum usu subditi arceantur. Quo casu feræ, pisces & aves statum rerum nullius non mutant, sed modi tantum, quibus actu in dominium rediguntur, per accidens impediuntur. Cave tamen omnes leges venationum prohibitorias hujus indolis esse existimes, etiam illas, quibus summus Imperans venationes eo fine prohibet, ut sibi soli & in fisci commodum feras habeat. Tam elumbia sunt eorum, qui ita sentiunt, argumenta, ut ne refutari quidem mereantur.

SCHOLION II. Notandum porro, liberum venandi jus aut illimitatum prorsus, aut ad certa tantummodo loca & sylvas restrictum esse, prout Princeps & respubl. aut in pluribus, aut in paucioribus locis feras &c. inoccupatas relinquit. Multa ejusmodi loca in Suevia recenset, eorumque limites designat allegatus JACOB OTTO freyer Bürsch-Beschreibung *Cap. VII.*

§. XVI. Cum apud Romanos venandi, & feras occupandi facultatem nulla lege restrictam fuisse, neque rempublicam in animalia fera dominium sibi asseruisse appareat: *apud Romanos liberum venandi jus viguisse constat.*

SCHO-

SCHOLION. Viden igitur, qualis apud Romanos venationum status fuerit, & cur leges civiles in venationum juribus a jure naturali parum aut nihil recedant? Liquet inde, leges civiles, pro statu reipubl. Romanæ saluberrimas, ac legislatoria Romanorum prudentia dignissimas, perperam ad statum venationum modernum trahi, unde nonnisi sinistram applicationem oriri necesse est. Vid. GRIBNER. *cit. l.* nec non *Tom. I. Opusc. Sect. I.* §. 5. recte inquiens, nihil ineptius esse, quam ad alienas, & exoticas leges reipublicæ nostræ instituta exigere. Quibus junge plenam bono sale *Dissertat.* D. LAUTENSACK *de inepta ratione decidendi controversias juris publ. ex LL. Roman.* per tot. & §§. 50. 57. Quodsi bellicis plerumque expeditionibus implicita respublica, aut qualescunque ob causas, feras libere cuivis occupandas reliquit, nec de jure suo cogitavit: an tu eandem necessitatem statibus imperii obtrudes? Apage sis cum hisce ineptiis, & in Germania germanice sapere disce.

§. XVII. Ex eo tamen, quod qualicunque in venationis statu (Cap. I. §. XI.) jus circa venationes majestaticum penes summum imperantem seu Principem semper in salvo subsistat (Cap. I. §. XII.), liquet, *quod libera venandi facultate, aut patente omnibus, aut ad certa loca restricta, venationes nihilominus legibus salutaribus ordinare, & liberæ venationis sociis*, der freyen Bürsch-Genossenen/ *certas regulas ac normas præscribere summæ in repub. potestati semper integrum sit.*

SCHOLION. Idque jam Cap. I. §. 19. in Scholio prænotavimus; quæ autem sint illæ ordinationes ac regulæ, ad quas hoc casu subditos suos Princeps adstringat, repetendum ex eodem Cap. I. Confer interim laud. JACOB. OTTO *d. l.* passim.

§. XVIII. *Bannum ferinum*, sive potius *jus banni ferini*, Wildbann/ Wildbanns-Gerechtigkeit/ definio, quod sit jus, seu facultas, Principi qua tali competens, publico edicto declarandi, quod feras, pisces & aves in proprietate & dominio publico (§. VIII.), vel saltem a summo imperante,

ejusque nomine occupabiles esse velit; quam banni ferini notionem, si ad prædia & fundos publicos restringas, hoc ipso, quod sit *bannum ferinum in fundis civitatis publicis*, intelligis.

SCHOLION I. Differt bannum ferinum a jure Foresti, quod secundum plurimorum sententiam latius longe patet, & Wildbannum, ceu partem, complectitur. vid. PFEFFING. *Vitriar. illustr. Lib. III. Tit. XVIII.* §. *8. lit. a.* verbis: *pro synonimis vulgo habentur*, item *lit. b. p. 1388.* item HUNNIUS *Disp. de J. venandi Thes. V.* SCHROETER *de banno ferino. Cap. I.* §. *1. & 4.* Neque jus ferendi leges prohibitorias, ne in certis locis venatio exerceatur, de quo *Cap. I.* §. *31. seq.* diximus, ad bannum ferinum pertinet, sed ex jure circa venationes majestatico profluit.

SCHOLION II. De Etymo vocis Wildbann non est, quod valdopere simus solliciti. Germanicæ eandem originis esse nemo dubitat, scilicet a voce Wild / quod feram, & prisco bannen / quod *edicere*, item *interdicere*, & *prohibere* significat, descendit, indeque Bann-Wasser / Bann-Forst / *Heribannum &c.* aliaque plura derivanda. Vide inter alios celeberr. WACHTERI Glossarium Tom. I. voce bannen / item voce Wildbann. Vetustissimum esse, loca infinita probant, occurritque jam in charta Frisingensi de a. 1074. Walckenriedensi de a. 1132. Corbeiensi de a. 1198. Francofurtensi de a. 1234. quas refert PFEFFINGERUS *Vitriar. illust. Lib. III. Tit. XVIII.* §. *8. lit. b.* pari fere sensu in *jure prov. Alem. C. 232.* §. 7. legitur. Suber durch den bann-vorst ritet / sin bogen und siniu armbrost sullen ungespannen sin. Licet ante ea tempora sub nomine *banni super feras*, *potestatis legitimi banni &c.* in diplomatibus passim occurrat; vide apud eundem PFEFFINGER. *cit. l. lit. b.* Diplom. Coloniensi. de a. 973. ibi: *Confirmamus præcepti nostri auctoritate D. Petro, ad Ecclesiam supra memoratam omnes bestias inter hæc loca, quæ subtus tenentur descripta, & bannum, & potestatem banni, quæ super eas ad regiam pertinuit potestatem.* Charta Leodiensi de a. 1008. Wirceburgensi de a. 1013. ibi: *Bannum nostrum super feras &c.* & aliis pluribus *cit. l. jus* quoque *forestrandi, forestandi*, nihil aliud quam potestatem banni, sive jus excludendi alios a feris denotasse, auctor est SCHILTERUS *Exercit.*

ercit. ad π. XLV. §. 6. STRYCKIUS *in præfatione ad corpus venatorio-forestale* §. 34. & 36. PFEFFINGERUS *cit. l. p.* 1388. chartis ante ex LUNIGIO aliisque AA. excerptis idem luculenter confirmans.

SCHOLION. III. Ceterum licet non abnuamus, *banni ferini* nomen in chartis antiquis ad feras terrestres & sylvas potissimum restrictum fuisse: idem tamen latius hic accipere libuit, ita ut jus quoque principis, pisces in fluminibus & aquis publicis sibi vindicandi, comprehenderet; quam extensionem ipsa Imperatorum diplomata passim probant. Sic in charta Coloniensi de a. 973. apud PFEFFINGERUM *cit. l.* Imp. Otto II. *Bannum, & potestatem Banni* confirmat super omnes bestias, *in sylvis & in piscationibus.* Idem Imper. in charta Frisingensi a. eod. sub *Banno imperiali* jubet, ut, quidquid deinceps in locis concessis, bannitisque nascatur *in venationibus, sive piscationibus*, in id nullus absque licentia Episcopi sese intromittere audeat.

§. XIX. *Bannum ferinum* quoque dicitur ipsum edictum, sive lex, qua princeps feras, pisces & aves nobiliores dominio suo publico transscribit, vel saltem, reservato sibi soli occupandi titulo, ab iisdem, quacunque ratione acquirendis, subditos excludit.

SCHOLION. Hoc significatu in chartis antiquis frequenter occurrit, & vel *banni* simpliciter, vel *banni regalis*, aut etiam *banni imperialis* nomine effertur. Confer. PFEFFINGER. *Vitriar. illustr. cit. l. lit. b.* Sic in diplomate erectionis ducatus Lucemburgensis Caroli IV. de a. 1354. inter alia conceduntur *banna*, sive *inhibitiones venationum*, quæ vulgo, *Wildbane* nominant, cum pœnis inde sequentibus. Item in diplomate confirmationis privilegiorum ecclesiæ Osnabrugensis de a. 1002. ibi: *omnique venatione, quæ sub banno usuali more ad forestam deputatur in perpetuum proprietatis usum donavimus, ea videlicet ratione, ut nullus contumaciæ deditus nemus prælibatum, nostro scilicet banno munitum sine prædictæ sedis, episcopi - - - - licentia, studio venandi - - - - præsumat intrare.*

§. XX.

§. XX. *Bannum ferinum*, Wildbann/ tertio sumitur pro ipso loco, in quo principi, seu reipublicæ venationes privative competunt.

SCHOLION. Locus scilicet bannitus, sive via tuta ferarum SCHROETER *de Banno ferino Cap. I. §. 2.* PFEFFINGER *cit. l.* §. *10.* Germanice Jagd-Bezirk/ Jagd-District.

§. XXI. Denique *bannum ferinum* appellamus quoque ipsum jus principi, ac reipub. competens, feras, pisces & aves privative occupandi, omnesque vigore dominii publici ex venationibus provenientes utilitates percipiendi.

SCHOLION. In concessionibus imperatoriis frequentissima banni in isthac significatione acceptio occurrit. Vide modo apud PFEFFINGER *cit. loco.* Item apud auctorem vor das Jagd-Regal (§. III. Schol.) *Cap. III. §. 8.* in charta Walckenriedensi d. a. 1132. ibi in fine: *sed & jus nostrum, quod Wildbann dicitur, eidem loco permittentes, regia nostra potestate amplificavimus & auximus.* SCHROETER. *de banno ferino, Cap. I. §. 4.* Bannum ferinum definiens, quod sit jus, particularem, vel universalem venationem exercendi; vulgo Hagen/ Jagen/ daß groß und kleine Weydwerk zu treiben.

§. XXII. *Jus, sive potestas banni ferini* (§. *XVIII.*) *in fundis civitatis publicis ex dominio principis & summi magistratus publico profluit.*

Bannum ferinum in primo significatu potestatem denotat, principi, ac reipublicæ competentem, feras pisces & aves dominio publico transscribendi, vel saltem titulum eas occupandi privative sibi asserendi (§. XVIII.). Enimvero hæc potestas ex dominio principis ac reipubl. publico intelligitur (§§. VIII. IX. & X.). Unde bannum ferinum, seu jus banniendi dominii publici fructum esse evidens est. Q. E. D.

§. XXIII.

§. XXIII. Quoniam ſumma reipublicæ poteſtas vigore juris conſtituendi regalia res quasdam & jura e commercio privatorum recte eximit, & ad fiſci proprietates, atque utilitates refert (Cap. I. §. IV.); feras autem piſces & aves nobiliores regalium & fiſci jurium idoneum objectum conſtituere, tum per ſe liqueat, tum vero infra (§. XXXI. ſeq.) a nobis pluribus demonſtratum detur: *jus quoque banni ferini ex majeſtatico, regalia conſtituendi, jure derivari poſſe pateſcit.*

SCHOLION. Sunt præterea aliæ rationes non minus prægnantes, ex quibus neceſſitas, a venationum uſu ſubditos arcendi, & provenientes inde utilitates fiſco vindicandi intelligitur; uti in ſequentibus, præſertim Cap. III. manifeſtum faciemus. Verum enim vero ex dominio principis in fundos civitatis publicos bannum ferinum vel ideo deducere maluimus, quod hæcce demonſtrandi via & minimum habeat odii, atque jus principis circa venationes citra ambages ob oculos ponat. Queis porro ex fontibus jus principis venationum utilitates etiam in privatorum agris ſibi vindicandi deſcendat, de eo Cap. III. disquirimus pluribus.

§. XXIV. *Bannum ferinum, quatenus jus denotat, feras, piſces & aves in fundis publicis dominio publico adiiciendi, vel efficiendi ſaltem, ut non niſi a ſummo magiſtratu occupabiles exiſtant* (§. *XVIII.*), *ſoli ſummæ in republica poteſtati competit.*

Etenim dominium in fundos civitatis publicum, uti ex ipſa ejusdem notione intelligitur, ejus eſt naturæ, ut non niſi principi ac reipublicæ tribui recte valeat (§. IV. ſequ.). Quapropter, cum in dominio hocce publico banni ferini in fundis publicis ratio quærenda ſit (§. XXII.): non niſi principi ac reipublicæ idem competere poſſe, pateſcit, Q. E. D.

SCHOLION. Procedit a fortiori demonſtratio, ſi ex majeſtatico regalia conſtituendi jure aliisve a bono communi deſumtis

 cauſis

causis bannum ferinum demonstres (§. XXIII.). Hæc interim non obstant, quo minus banni potestas subordinate in subditos atque landsassios transferatur; uti suo loco scilicet Cap. V. & rationibus, & exemplis plenius evictum dabimus.

§. XXV. *Bannum ferinum in significatu altero (§. XIX.), quatenus ipsam banni legem, sive edictum venationis assertorium innuit, feras, pisces & aves in dominium sive completum (§. IX.), sive incompletum (§. X.) redigendi modus recte audit.*

Apprehensis fundis ipsi equidem insimul fructus & accessoria apprehensa esse intelliguntur (Opusc. VIII. §§. LV. LIX. & CXIV.). Enimvero, quoniam mox plura, mox pauciora ex accessoriis ad dominii complexum referuntur (§. VIII.): quæ, & qualia quis sua esse velit, aut ipso facto, aut expressis animi signis declaret, necesse est; eaque declaratio pro modo acquirendi accessoria eo potiori jure reputanda, quod in illis peculiari apprehensione opus haud sit (d. §. LV. & LIX.). Quapropter cum per bannum ferinum declaret summa potestas, quod accessoria fundorum publicorum, feras, pisces & aves, aut plene, aut titulotenus (§§. IX. & X.) in dominio, & privative occupabiles esse velit: bannum ferinum in hoc significatu (§. XIX.) ad modos dominii acquisitivos recte referri, indubie constat. Q. E. D.

SCHOLION. I. Hac animi declaratione, licet in fructibus, & accessoriis, quorum gratia fundi regulariter in proprietatem rediguntur, opus haud sit: iis tamen in rebus, seu accessoriis, quæ communiter extra dominii, complexum, & inoccupata relinquuntur, haud supervacanea, immo necessaria habenda est, ut in universum constet, a quibus rebus in fundis publicis abstinendum sit. Quod autem ad acquirendum dominium sola principis publico edicto declarata voluntas sufficiat, ex supra (§. IV. Schol.) allegatis PUFFENDORFFII verbis, item ab HUGONE GROTIO de *J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 5. Cap. III. §. 5.*

edo-

edocemur, recte, & ex natura dominii, hac lege exteros quoque teneri, ſtatuente.

SCHOLION. II. Quod ſi per legem edictalem banni ferini dominium plenum in feras &c. principi ac reipublicæ acquiri, capere quispiam aut nolit, aut non poſſit: illi idem, quod ſupra (§. XII. Schol.) jam innuimus, hic denuo inculcatum volumus.

§. XXVI. Porro cum legum, quibus venationes nude prohibentur, non is præcipue ſcopus ſit, ut feræ piſces & aves, aliæque venationum utilitates dominio principis atque reipublicæ ſubjiciantur; ſed ut alias ob cauſas ſubditi ab intempeſtivo & nocuo venationum uſu arceantur (§. XV. Schol.): patet, *bannum ferinum non eſſe legem venationis nude, mereque prohibitoriam, ſed ferarum, atque utilitatum, ex venationibus provenientium, inſuper acquiſitoriam* (§. XXV.).

SCHOLION. Colligitur id rurſum ex omnibus fere chartis & diplomatibus, quæ ex LUNIGIO, aliisque excerpta ſiſtit PFEFFINGERUS dicto ſæpius loco §. 8. *lit. b.* vide ſis chartam Leodienſ. de a. 1008. ibi: *bannum noſtrum beſtiarum Baldrico S. Leodienſis eccleſiæ præſuli ------- concedimus; atque largimur, & de noſtro jure in eorum jus ac dominium transfundimus, ea videlicet ratione, ut præſcripti Baldrici de prænominato banno, ejusque utilitate, dehinc liberam habeant, quidquid ſibi placuerit, poteſtatem faciendi omnium hominum contradictione remota;* quas, aut ſimiles formulas, in reliquis quoque conceſſionum chartis obſervare licet.

§. XXVII. *Bannum ferinum in ſignificatu, quo idem §. XXI. accepimus, eſt ipſum regale venationis jus, quod principi in fundis civitatis publicis competit.*

Etenim in ſenſu, quo idem *d.* §. ſumitur, jus audit, principi ac reipublicæ competens, omnes ex venatione provenientes utilitates proprietatis ac dominii jure percipiendi.

 Quod,

Quod, cum ipsum regale principis jus circa venationes absolvat (§. IX.): bannum ferinum in dicto sensu regale venationis jus in fundis civitatis publicis absolvere, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Adverte tamen regale venationis jus in fundis publicis partem tantum regalis venandi juris in universa republica constituere: integrum tum demum intelligemus, quando venationum utilitates in fundis quoque subditorum principi ejusque fisco vindicaverimus.

§. XXVIII. Porro, quoniam bannum ferinum in sensu §. XXI. potestatis, sylvas & loca publica banno muniendi, remote (§. XVIII.), proxime vero banni, qua legem denotat (§. XIX.), effectus est (a), uti consideranti obvium esse debet; tam vero jus banniendi, quam ipsa banni ferini lex, quatenus ad fundos civitatis publicos restringitur (§. XVIII. in fin.), ex dominio publico profluit (§§. XXII. & XXV.): *bannum quoque ferinum (§. XXI.), seu, quod idem est, (§. XXVII.) regale venationis jus in fundis civitatis publicis ex dominio principis publico recte derivari constat.*

SCHOLION Sed potest id ipsum quoque ex jure majestatico constituendi regalia (§. XXIII.), atque aliis prægnantibus publici boni causis deduci. Cur autem dominii magis, quam alia via incedere voluerimus: ejus rei rationem in antecedentibus (§. eod.) jam adsignavimus.

(a) Confer. & applica, quæ *opusc. VIII §. 32. & sequ.* dicuntur.

§. XXIX. Eadem prorsus ratione *regale venandi jus in fundis civitatis publicis non nisi principi ac summo reipublicæ capiti recte tribui, neque alii competere posse constat* (§. XXIV.).

SCHOLION. Mutat igitur indolem, ac naturam suam, quam primum, misso banno ferino, princeps subditis in fundis publicis libe-

liberam venandi facultatem indulget; aut quando venandi jus ab alio, quam a principe recognoscitur, atque ut simplex fundorum accessio consideratur.

§. XXX. *Regale venandi jus in fundis civitatis publicis non est servitus.*

Fluit enim ex dominio civitatis publico (§. XXVIII.), atque in re principis ac reipublicæ propria proprietatis jure exercetur. Enimvero res propria, i. e. sua, nemini servit (a). Regale itaque venandi jus, principi in fundis civitatis publicis competens, minime ad servitutes, sed ad dominii potius publici effectus (§. XXVIII.) referendum est. Q. E. D.

SCHOLION. Quare, cum capite sequenti venandi jus ne in fundis quidem privatorum a principe sub nomine servitutis, sed tanquam regale eximium, & partem hujus, quod in fundis publicis possidet, exerceri, luce meridiana clarius evicturi simus: patet, quam inconcinna sit illorum sententia, qui ad servitutes idem sive personales, sive reales referunt (b). Venandi jus in in territorio alieno, nec non inter subditos & landsassios, si non in proprio, sed in vicini fundo exerceatur, servitutis speciem inducere, non eo inficias: ast aliter plane sentiendum, quando princeps, sive territorii dominus virtute summi imperii, & ex dominio publico (§. XXIX.) idem sibi vendicat.

(a) *L. 5. pr. π. Si usufr. pet.*
(b) Vid. SCHROETER *de banno ferino. Cap. II.* KLOCK *de Ærario Lib. II. Cap. V. n. 30.* ibique PELLERUS in notis; quibus locis tam servitutis personalis, quam realis patronos magno numero allegatos offendes.

§. XXXI. *Libero venandi jure (§. XIV.) in fundis civitatis publicis, promiscue cunctis patente, insignis Principi, ejusque fisco, ex fundis publicis alias percipienda utilitas decedit.*

Fundi civitatis publici maximam partem in sylvis, montibus, fluminibus, lacubus, stagnis, locis desertis &c. consistunt (§. VII.). Enimvero, si arbores, ligna, pascua, & hinc inde metalla, mineras, gemmas, atque lapides pretiosiores excipias, præcipui horum omnium fructus in feris, piscibus & avibus nobilioribus consistunt, vel ipsa experientia teste; queis cum Princeps, atque respublica, animalibus feris in statu rerum nullius, consequenter libere a quocunque occupandis (§. XIV.), relictis, carere cogatur: libero venandi jure in fundis civitatis publicis subditis indistinctim indulto, insignem Principi, ejusque fisco, ex iisdem alias percipiendam, utilitatem decedere evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Unde Commissarii cæsarei, queis a. 1650. in netium datum fuerat, ut in statum redituum cameralium Principatus & Comitatus Hohenzollerani inquirerent, in relatione sua ad Imperatorem inter imminutorum cameræ & fisci redituum causas recte referunt: Daß mit denen Waldungen so nachläßig umgegangen worden / daß es bereits offentlich und ohne Scheu dahin kommen / daß man aus dem Forst eine freye Bürsch gemacht. Vid. celeberr. MOSERI Reichs Fama *Tom. III. Cap. 12.* von denen Differentien zwischen dem Herrn Fürsten zu Hohenzollern Hechingen und seinen Unterthanen / sonderlich wegen der freyen Bürsch §. 10. *p.* 191.

§. XXXII. *Plena venandi libertate in fundis publicis vigente, aulam, mensam, atque culinam Principis omni meliori ferarum genere destitui necesse est.*

Experientia docet, quod in locis, ubi promiscua venandi licentia viget, continuis ac crebris venationibus, queis præ aliis Germanos deditos fuisse, suis jam temporibus JULIUS CÆSAR (a), nec non TACITUS *de moribus Germanorum* (b) testatus est, omnia pene ferarum, piscium, & avium nobi-

nobiliorum genera rareſcant, imo prorſus extirpentur (c). Quod cum in fundis civitatis publicis, feras &c. occupandi facultate nullo modo reſtricta, haud dubie quoque eventurum ſit; ex his vero proviſio ferarum, piſcium & avium pro menſa & culina Principis peti præcipue debeat: in plena hacce venandi libertate aulam & menſam Principis, feris, piſcibus & avibus nobilioribus, niſi aliunde cum diſpendio ærarii publici magno pretio coemantur, deſtitutum iri, liquido pateſcit. Q. E. D.

SCHOLION. At vero, feras piſces & aves in uſus principis, & aulæ in vivariis, piſcinis, atque ornithotrophiis æque, immo magis commode ali poſſe regeris. Enimvero, ut de immenſis ſumptibus in erectione, ac conſervatione vivariorum, piſcinarum & ornithotrophiorum erogandis nihil dicam, quis neſcit? omnis generis feras, quam primum e naturali ſua libertate arctæ cuſtodiæ mancipantur, multum de bonitate, ac ſapore ſuo genuino amittere. Vivaria plerumque jucunditatis gratia comparata ſunt, raro in culinæ uſus; cui, ut præter innocentem animi recreationem proſpicerent Imperatores, circa palatia præſertim & villas ſuas regias venationum omne genus banno ſuo imperiali muniverunt, uti teſtatur, & exemplo palatii regii ad Salam Franconiæ illuſtrat JOH. GEORG. ab EKHART in der gründlichen Nachricht von der alten Salzburg und dem Pallaſt in Francken. §. 1. *p. 5.*

(a) *De bello Gallico Lib. IV.* ibi: *vita omnis in venationibus, atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit;* idem *Lib. IV.* de Suevis teſtatur.

(b) *Cap. 15.*

(c) FESCHIUS, *de re venatoria P. poſter. Theſ. I. lit. e;* ubi, quod in Helvetia feræ rariores ſint, ipſe aliam rationem non reddit, niſi nimiam venandi licentiam, quam præfectorum lenitate ſibi ſumunt ſubditi, allegans eam in rem STUMPFII *Chron. Lib. IX. Cap. 16.*

§. XXXIII.

§. XXXIII. *Eodem hoc venationis statu in fundis civitatis publicis relicto, omnis principi, lassatas animi vires innocenti exercitio venatorio refocillandi, via præscinditur.*

Etenim ferarum nihil aut parum, quod princeps indaget, hoc casu præsto futurum ex demonstratis (§. præced.) liquet. Quam jucunda autem sine feris venatio sit, & quam parum ea recreando animo conducat, quilibet facile intelligit. Atque inde patet asserti veritas. Q. E. D.

SCHOLION. Dignissima viris principibus voluptas exercitatio venatoria nullo non tempore habita fuit; ut in apophtegmate Imperatorem ALBERTUM II. habuisse dicant (a): *venatio exercitatio virilis, saltatio muliebris, seque voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.* De Francorum Regibus idem testantur & exemplis probant CAROL. du FRESNE *in Gloss.* voc. *Forest. dom. Tom. II. p.* 484. AIMON. *Lib. II. Cap.* 37. GEST. DAGOB. *Reg. Cap.* 2. EGINHARDUS *in vita & gestis* CAROLI M. apud REUBERUM *Script. rerum German p.* 20. ubi testatur, quod equitando se se ac venando, quod illi gentilitium erat, crebro exercuerit, idque ingravescente eundem etiam ætate continuasse, ex ANNALISTA SAXON. ad a. 814. apud LEIBNIZ. *Tom. I. rerum Brunsvic. p.* 164. discimus. Potissimum vero Imperatores & Reges circa autumni tempora venationibus vacare solebant, uti ex REGINONE & *Annalib. Regum Francorum* passim videre licet; idque adeo in morem abierat, ut venationes autumnales *solennes* nuncuparentur *d. annal.* ad a. 819. apud REUBER. *p.* 68. *Imperator conventu dimisso primo Cruciniacum, deinde Bingam veniens secunda aqua Confluentem usque per Rhenum navigavit, inde Arduennam venandi gratia proficiscitur; venatorio quoque exercitio more solenni ibidem exacto Aquasgrani ad hyemandum revertitur.* Ad a. 820. *Imperator post actum Carisiaci conventum, autumnalemque venationem ex more completam Aquas reversus est;* ad a. 839. *His rite peractis Imperator eo loco divertit, & venationi autumnali pro more operam dedit &c.* atque ita per singulos fere annos eundo. Conferatur viri solida & pragmatica juris scientia excellentissimi D. JO. ADAMI KOPPII *deductio venationis Ysenburgica P. I. §.* 4. Ipse Augustiss. Imperat. CAROLUS VI. In der

In der neu verfaßten Jäger-Ordnung in Steyer/ de a. 1716. *art.* 4. *art.* 9 *& sequ.* venationes & bannum ferinum vocat. Unsere Landsfürstliche Wildbanns Lust/ und Jagens Gerechtigkeit; Lust-Gejägder; Lands-Fürstl. Wildbanns Hoheit und Lust ꝛc. Satis indicans, summis præcipue principibus regiam hanc voluptatem reservandam esse.

§. XXXIV. Quin, cum hocce venationis statu liber in fundos publicos accessus pateat: (neque enim in sylvas & publica loca alia ingredi, prohibitum esse supponimus) *subditis, variis modis sylvas, nemora, ac prædia publica devastandi, nec non stagnis & aquis piscosis nocendi, in hac hypothesi amplum campum relinqui constat.*

SCHOLION. E. g. Quod arbores exciderentur; ligna furtim exportarentur; gramina resecarentur; glandes & fructus alii clandestine colligerentur &c.: ut jam de noxio armorum usu, neglectu agriculturæ, cædibus, rapinis &c. nihil dicam. Ex quibus, uti in genere jus Principis venationes prohibendi indubitato profluit: ita *Cap. seq.* in specie ex hisce fontibus, subditos a venationibus, etiam in fundis propriis, arcessendos esse inconcusse probabimus.

§. XXXV. *In fundos civitatis publicos ita introducenda dominia, ut sub eorundem complexu feræ quoque, pisces & aves nobiliores comprehendantur* (§. *IX.*), *aut a titulo saltem, easdem occupandi* (§. *X.*) *alii quicunque excludantur.*

Dum in fundum seu prædium aliquod dominium introducitur, ipsa sana ratio & finis introductæ proprietatis rerum suadet, ut ad dominii complexum referatur, ex quo insignis in proprietarium utilitas redundare possit, ea præsertim accessoria, quorum quotidianus in vita usus est, & queis sine nec commode, nec jucunde vivimus, aut inoccupatis relictis prædia modis miris devastationis periculum subeunt.

subeunt. Quapropter, cum feræ, pisces & aves nobiliores ita sint comparatæ, ut magna quotannis Principi & cameræ, seu fisco, ejusdem inde utilitas, atque emolumentum accedere possit (XXXI.), neque etiam Princeps citra aulæ & mensæ principalis (§. XXXII.), nec non recreationis, quam corpori debet, certissimum dispendium (§. XXXIII.) sufficienti animalium ferorum, quæ in fundis publicis alat, copia carere queat; ac præterea his fundorum publicorum accessoriis inoccupatis relictis bona Principis & reipub. variis devastationibus obnoxia maneant (§. XXXIV.): patet, quod in fundos civitatis publicos ita introducenda sint dominia, ut sub eorundem complexu feræ quoque, pisces & aves comprehendantur, aut titulum saltem, easdem occupandi, Princeps soli sibi ita asserere debeat, ut alios quoscunque ab acquirendo in eas per viam occupationis dominio excludat (§. XI.). Q. E. D.

SCHOLION I. Enimvero suspecta tibi fors videbitur haecce, jus Principis in feras, pisces & aves demonstrandi via, ad fundos quippe publicos tantum restricta, atque a venationibus in prædiis privatorum Principem vel ideo exclusura, quod hi eodem dominii jure hæc sibi accessoria vindicare posse videantur. At enim, uti absolute loquendo latius hocce dominium in fundis etiam privatorum absurdi nihil involvit (a), ita in civili societate, & præsenti rerum statu tot, tamque prægnantes pro exclusione subditorum ab hisce accessoriis rationes militant, ut vanus omnino eorundem conatus evadat, qui sub hac umbra regale venandi jus Principi per universum territorium competens impugnatum eunt. Vide modo *Cap. seq. III.*

SCHOLION II. Porro ex eadem hacce propositione patescit, quod Princeps sive respubl. absolute loquendo carere quidem hoc in feras &c. dominio queat, sed non sine multis incommodis; ex quibus, hypotheticæ idem quodammodo necessitatis esse, atque partem jurium summæ potestati cohærentium (b) absolvere conficimus.

(a) *Opusc.*

(a) *Opusc. VIII.* §. 150. *Schol.*
(b) *Opusc. X.* §. 107.

§. XXXVI. *Venationes liberæ*, freye Bürsch / *in fundis civitatis publicis cum recte ordinato regimine civili neutiquam consistunt; sed eliminandæ potius atque profligandæ sunt.*

Etenim venationes liberæ in fundis civitatis publicis non possunt non esse conjunctæ cum insigni Principis & publici boni dispendio (§§. XXXI. seq.) At vero, quod communi reipublicæ bono & juribus Principis refragatur, id in recte ordinata republica ferendum neutiquam, uti per se liquet. Venationes igitur liberas e republica bene ordinata proscribendas, eliminandasque esse, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Mirari proin subit, quod suos adhuc patronos inveniat libera ejusmodi, cunctisque patens venandi licentia, utpote ex qua non potest non lernæa malorum in rempublicam redundare, queis Princeps, ut obicem ponat, vi majestatici sui officii obstringitur. Argumenta certe, quibus subditi Hohenzollerani, lineæ Hechingensis, liberum suum venandi jus contra Principem dominum suum territorialem defendere conantur, nescio quid rectam rationem feriens, & jejunum in se continent, quod epuratæ menti primo sese statim obtutu cum nausea offert (a); sicut ex adverso fortissimis contra sereniss. Princeps argumentis pugnat. Quid? quod, uti eadem deductione fundamentorum Hohenzolleranorum videre licet, ipse augustissimus Imp. LEOPOLDUS a. 1687. ad directores circuli Suevici literas direxerit, queis de tollendis abusibus atque excessibus liberæ venationis coercendis omnes Circuli status admonet: worauf dann (sunt verba deductionis apud MOSERUM *cit. l.*) a. 1697. auf dem Schwäbischen Creyß-Tag per majora beschlossen worden / daß die freye Bürsch gänzlich abolirt / und derowegen ein Repræsentations-Schreiben an den Kayser abgelassen / im übrigen aber die Sache dergestalt eingerichtet werden solle / daß denenjenigen Ständen / in deren Territorio solche freye Bürsch bis-

bisshero gewesen / an ihren juribus kein Eintrag geschehe / sondern soweit eines jeden territorium gehe / der gewesste freye Bürsch-district in Forst verwandelt / und nach des domini territorii Belieben administrirt werden solle rc.

SCHOLION II. Quodsi tamen communitas aliqua aut beneficio Principis expresso, aut tacito, scilicet immemorialis temporis lapsu liberum venandi jus acquisierit: in eo utique manutenenda erit (a), modo per constitutos venatores, aut quosdam e communitate idem exerceat; promiscuam enim venandi licentiam, juxta demonstrata, nunquam feret Princeps, aut si fors temporum injuria invaluit, justa semper lege inhibebit.

(a) *Opusc. X. &c.* §§. 79. & 87.

§. XXXVII. *Regali venationis jure, seu banno ferino (§. XXI.) in fundis civitatis publicis Princeps, atque recte constituta respublica carere nequit.*

Dominium in feras, pisces & aves, seu privativum eas occupandi titulum Princeps, sive respublica optimo jure, & ex boni publici necessitate sibi vindicat (§. XXXV.). Quare, cum hoc ipso omnes ex venatione provenientes utilitates percipiendi, sibique ac fisco asserendi, jus consequatur (§§. IV. VIII. IX. & X.); in hoc autem bannum ferinum (§. XXI.), i. e. regale venandi jus (Cap. I. §. IX.), consistat: regale quoque venandi jus ex necessitate quadam Principi ac fisco vindicari, nec eodem rempublicam facile carere posse constat. Q. E. D.

SCHOLION. Unde judicare licet, quinam venationis status alteri præferendus? An Romanorum, qui omnia animalia fera in statu rerum nullius a quocunque occupabilia reliquerunt (§. XVI.); an Germanorum, qui juxta mox demonstranda, eadem in principis ac reipublicæ emolumenta transcripserunt? Regulis sane rectioris politices posteriorem convenientiorem esse, nemo non

per-

perſpicit: ut ut fortean legislatoribus Romanis inſtituti ſui rationes non defuerint; quod ſuo loco relinquimus.

§. XXXVIII. *Regale venandi jus, ſeu bannum ferinum in fundis civitatis publicis Germaniæ populi, & in ſpecie Francorum Reges atque Impp. ſtirpis Carolingicæ tum ſibi, tum imperio conſtanter aſſeruerunt.*

Propoſitionis hujus veritas cum in certitudine facti conſiſtat, alia re opus non habemus, quam ut ejusdem fidem faciamus. Quodcum citra difficultatem a nobis præſtari queat (vid. Schol. ſeq.): patet aſſerti veritas. Q. E. D.

SCHOLION. De Regibus Francorum conſtat, quod habuerint ſuas *foreſtas dominicas*, *foreſta regia*, *ſylvas regales*, quæ qua ratione conſtitutæ fuerint, docet CAROLUS du FRESNE, *Gloſſar* voc. *inforeſtare Tom. II. p.* 487. ibi: *conſtituuntur regio diplomate viri aliquot graves, & prudentes, qui locum foreſtæ deſignatum intuentur, luſtrant, & terminis manifeſtis circumſcribunt. Perimpleto hoc, & in cancellariæ monumentis (de more) inſcripto, rex præconis voce ipſum locum, ſeu regiunculam per totum comitatum, ubi ſita eſt, foreſtam edicit, foreſtæque legibus communitam. Prohibet inſuper, ut nemo ea turgeat audacia, quod ſine majeſtatis venia aliquam illic exerceat venationem, diciturque jam locus afforeſtari* (§. 18. Schol. II. in fin.), *& ut ceteræ foreſtæ in omnibus valere.* Quæ afforeſtatio, licet privatos quoque fundos eandem ambitu ſuo comprehendiſſe, Cap. ſequ. demonſtraturi ſimus: ad loca tamen publica potiſſimum pertinuit, & ad piſcationes æque, ac venationes, in ſpecie ita dictas, extenſa fuit: uti patet conceſſione piſcationis in flumine Sequanæ, facta abbati S. Germani *in pratis* (St. Germain des pres) a CHILDEBERTO CHLODOVÆI M. Filio; in qua ſub jure foreſti piſcationes manifeſto comprehenduntur, verba ipſius conceſſionis referente AIMON. MONACH. in *annal. Franc. Lib. II. Cap.* 20. *Has omnes piſcationes, quæ ſunt, & quæ fieri poſſunt, in utraque parte fluminis Sequanæ, ſicuti nos tenemus, & noſtra foreſtis eſt, tradimus.* Similiter LUDOVICUS PIUS piscatio-

cationem in fluvio Wiseræ in pago, Wimodia nuncupato, concessit WARINO abbati Corbeiensi teste diplomate, quod ex LUNIGIO *P. III Spicil. eccles. Cap V. Tit. 2. Corvey. §. 4. p. 61.* excerptum sistit PFEFFINGER *cit. loc. Tit. 18. §. 8. p. 1365.* De GUNTHRAMO porro rege refert GREGOR. TURON. *lib. X., C. 10.* quod, cum in sylva Vosaco venationem exerceret, & vestigia occisi bubali deprehendisset, atque a custode requisivisset, quis in ea regali sylva venari præsumsisset: ab hoc proditus cubicularius Chundo jussu regis apprehensus, vinctusque ad stipitem lapidibus fuerit obrutus. Expressius denique de forestibus & locis publicis, quod banno munita, & regalibus adscripta fuerint, capitularia Regum & Imperatorum edicunt. Sic in *Capitul. Regum Francorum Lib. IV. Cap. 2. Tit. de forest. novit. instit.* apud BALUZ. *Tom. I. p. 785.* de forestibus dicitur: *Quicunque illas habet, dimittat, nisi forte indicio veraci ostendere possit, quod per jussionem, sive per permissionem Domini Karoli, Genitoris nostri eas instituisset, præter illas, quæ ad nostrum opus pertinent, unde nos decernere volumus, quidquid nobis placuerit.* Ibidem *Cap. LXV. p. 788. De forestibus nostris, ut, ubicunque fuerint, diligentissime inquirant, quomodo salvæ sint, & defensæ, & ut comitibus denuncient, ne ullam forestam noviter instituant, & ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant.* In his itaque sylvis & locis publicis, ne quispiam temeraria manu feram, aut aliud animal sub foresta comprehensum occuparet, sub severa banni lege prohibuerunt. *Capitul. Caroli M.* ad ann. 802. *Cap. 39. ut in forestes nostras nemo furari audeat, quod jam multis vicibus fieri contradiximus, & nunc iterum bannimus firmiter.* Idem constituit CAROL. M. in *L. I. leg. Longob. tit. 23. ut nemo pedicas in foresto dominico, neque in quolibet regali loco tendere præsumat: & si ingennus hoc perpetraverit, bannum dominicum solvat, & si servus est, dominus illius emendet, sicut lex est.* Huc quoque pertinet CAROLI SIMPLICIS Regis Franc. donatio facta Canonicis S. Lamberti Leodii de an. 905. apud LUNIG. Reichs-Archiv *Spicil. ecclesiast. Part. II. Cap. IV. Tit. 11.* Lüttig §. 10. *p. 485.* in qua forestam terminis suis inibi descriptam donat: *Jure perpetuo in propria tenendam, & totam, undecunque ad integram, velut dudum in regum manibus constiterat;* eandem firmans, *omni tempore possidendam; in tantum, ut neque a quoquam venatio ullatenus fiat per illam,*

nisi

niſi Prelati illius Eccleſiæ licentiam omnino habuerit indeptam; cujusmodi loca centum alia in medium proferre poſſemus, niſi terminis diſſertationis academicæ coanguſtatis filum abrumpendum foret.

§. XXXIX. *Idem regale venandi jus, & bannum ferinum in fundis publicis non minus jure ſuo ſibi vindicarunt Imperatores Germani.*

Nititur aſſerti veritas eadem prorſus ratione, qua propoſitionis præcedentis (§. XXXVIII.), certitudine facti. Quam, cum diplomata, & conceſſiones Imperatorum, quibus juxta cum ſylvis aliisque bonis publicis, bannum quoque ferinum & regale venandi jus in epiſcopos, principes, abbates, aliosque imperii proceres contulere, liquido ob oculos ponant (Schol. ſequ.): ſuum rurſus propoſitioni robur conſtat. Q. E. D.

SCHOLION. Facit huc diploma OTTONIS M. de a. 940. confirmatum a. 950. apud LUNIG. Reichs-Archiv *Spicileg. eccleſ. P. III. Cap. VI. Tit. 13.* St. Emmeram *ſ. 19. p.* 649. quo præfato monaſterio in proprietatem dedit locum Helphindorff, cum *Foreſto* & *Foreſtariis*, atque *venatione* nec non & *regio banno &c.* De a. 952. apud MADERUM *in antiquitat. Brunsvic.* §. 3. diplomatum *p. m.* 108. quo monaſterio Poledano in Principatu Grubenhagenſi tradit tertiam partem curiæ ſuæ Palithi *cum ſylvis*, *piſcationibus*, *venationibus* molendiins &c. De a. 970. apud LUNIG. *d. l. P. III. Cap. VII. Tit.* Elten §. 2. *p.* 356. quo Abbatiæ Eltenenſi nominatas ibi curtes cum *piſcationibus* & *venationibus* tradit, atque confirmat. Imperator OTTO II. in diplom. de a. 973. apud LUNIG. *cit. l. Spicil. eccleſ. P. II. Tit.* Freyſingen *n.* 10. *p.* 217. Loca quædam ab anteceſſoribus ſuis in Epiſcopos Friſingenſes collata, nunc dictæ Eccleſiæ de novo confirmat, atque regali *venationis* jure, nec non *banno ferino* auget. Conferatur quoque allegata ſupra (§. 18. Schol. II.) charta Colonienſis de a. eod. Idem Imp. in privilegio des Bann-Pennigs apud LUNIG. in der Fortſetzung des erſten Theils *Spicil. eccleſ. Cap. II.*

Tit.

Tit Mayntz *§. 7. p.* 16. WILLEGISO Præsuli Moguntino circa Bingam *sylvas*, *venatum*, *omnemque sylvaticam utilitatem* una cum *piscationibus*, *quæ antea imperatorii juris fuerant*, *in proprietatem tradit.* Memorabile est, quod de OTTONE III. apud ALBERTUM CRANZIUM, *Metropol. Lib. III. ad a.* 985. *Cap. 36. p. m.* 80. legitur; hunc scilicet ipsum Imperatorem contulisse eidem Episcopo (Verdensi ERPONI) & successoribus *venationem cervorum*, *atque cervarum*, *sublimium ferarum*, *qui fuerit ab olim servatus honor summis Principibus*, literis desuper extantibus. Quocum coincidit ejusdem Imperatoris similis fere tenoris diploma de a. 997. quo cœnobio Eltenensi *jus venandi cervum vel cervam in forestis Steenvvalt*, *Offet*, *Wichmoet & Subort*, *cum facultate easdem extra territorium persequendi largitur.* PFEFEINGER. *in Vitriar. illust. Lib. III. Tit. XVIII. §. 8. p. 1369. in fin.* An. 991. Idem Imperator teste diplomate apud LUNIG. *d. l. P. II. Spicileg. ecclesiast Cap. 4.* im Anhang *Tit.* Minden *§. 5. p. 104.* Episcopo Mindensi forestos suos Huculinhago & Stioringevvald, item sylvam Santel cum pleno *banni ferini* jure in perpetuum tradidit. Confer. quoque Charta Passaviensis de a. 993. apud LUNIG. *cit. l P. II. Cap. 4 Tit.* Passau. Frisingensis d. an. eod. apud GEWOLDUM *l. c. in catalogo Episcoporum Frisingensium p. m.* 93. (*edit. vet. p.* 138). Moguntinensis de a. 994. qua Præsuli Moguntino concessit *Forenstein* cum *Banno*, ita ut sine Archiepiscopi licentia nemo ibi venari, vel feras inquietare audeat. Imp. HENRICUS S. in diplom. de an. 1007. quod extat apud FABRUM *Tom. XXXI.* der Staats-Canzley *Cap. III. §. 1. lit.* a. *p.* 133. Ecclesiæ Imperialis Bambergensis Canonicis proprietatis suæ locum, Fürth dictum, in proprietatem tradit cum *sylvis*, *forestibus*, saginis, *venationibus*, *aquis*, *piscationibus &c* Anno 1008. Ecclesiæ Leodiensi vigore diplomatis apud LUNIG. *cit. l. P. II. Cap. IV. Tit.* Lüttig *§. 19 p. 491.* ex imperatoria largitate quandam *juris regni forestim cum banno*, & omnibus ejus utilitatibus confert. Videatur quoque ejusd. charta de an. eodem supra (§. 26. Schol.); charta Laurisheimensis de a. 1012. sub dato Baverb. apud FREHFRUM *Origin. Palatin. P. I. p. m.* 156. & TOLNER. *Cod diplom Palat* §. 26. *p.* 21. Charta Paderbornensis de a. 1019. apud LUNIG. *l. c. Cap. IV Tit.* Paderborn §. 15. Althahensis de an. eodem. apud GEWOLDUM *Tom. II. addit.* HUNDII *Metropol. Tit. Altha inferior*

rior §. 24. in quibus fere omnibus bona quædam & loca antea juris imperatorii cum banno ferino, venationibus & piscationibus in dominium ac proprietatem dictarum ecclesiarum transfunduntur. In diplomate de an. 1023. cujus excerptum sistit PFEFFINGERUS *cit. l. p. m.* 1374. idem HENRICUS Imper. Episcopo Wirceburgensi bannum super feras in vastissimo inibi nominato districto ex imperiali traditione donat, proprietat, & (uti verba habent) de suo jure *in legitimum forestum* indissolubiliter stabilit ejusdem ecclesiæ possessoribus. Ex quibus & aliis pluribus imperatoriarum concessionum tabulis, quarum vastum numerum adducit PFEFFINGER. *cit. sæpius loco*, nos vero brevitatis studio hic prætermittimus, affatim elucescit, regale venandi jus & bannum ferinum in fundis præsertim publicis, juribus imperatoriis constanter fuisse annumeratum; sane ut de theseos nostræ veritate nequicquam dubii supersit.

§. XL. *Bannum ferinum (§. XVIII.) cum ipso regali venationis jure in fundis territoriorum publicis hodie penes status Imperii eodem, quo olim apud Imperatores, jure residet.*

Status Imperii superioritate territoriali, tanquam analoga summo imperio potestate (Cap. I. §. VI.), instructos esse, tum ipsa rerum momenta, tum leges imperii fundamentales indubium sinunt (a); proin omnia ea in territoriis vi superioritatis territorialis, salvo ceteroquin nexu cum imperio, peragunt, quæ alias in rebuspublicis prorsus independentibus summis imperantibus integra sunt (Cap. I. §. VII.). Quare, cum non minus statibus Imperii dominium publicum in rebus intra territorii fines conclusis tribuendum esse, expeditum sit (§. III. seq. item Schol. seq.), sicut, juxta demonstrata, Principi ac reipublicæ jus banni ferini (§. XVIII.) ex dominio publico (§. XXII.), sive ex jure majestatico constituendi regalia (§. XXIII.) adscribendum est: ita bannum ferinum in sensu, quo idem cit. §. XVIII. sumitur, iisdem prorsus ex fontibus statibus quoque imperii tribuendum esse, patescit. *Quod erat primum.*

Jus venandi regale in fundis civitatis publicis, seu bannum ferinum juxta sensum §. XXI., banni ferini in priori significatu effectus est (§. XXVIII.). Quare, sicut illud statibus Imperii, qua territoriorum dominis, juxta modo demonstrata, competit: eadem ratione regale venandi jus in fundis territorii publicis iisdem quoque competat necesse est. *Quod erat secundum.*

Denique quoniam bannum ferinum & regale venandi jus Imperatoribus olim in bonis Imperii publicis, curtibus dominicis, sylvis regalibus &c. iisdem ex fontibus, quos modo innuimus, competiit (§§. XXII. XXIII. XXXIX.): status Imperii bannum ferinum & regale venandi jus in fundis territorii publicis eodem hodie, quo Imperatores olim per totum imperium idem exercuerunt, jure possidere, atque actu exercere, (Schol. sequ.), evidens est. *Quod erat tertium.*

SCHOLION. I. De dominio statuum Imperii publico in omnibus iis, quæ territorii finibus comprehenduntur, quin de ipso banno ferino & regali venationis jure literæ investiturarum satis manifesto edicunt; investiri siquidem solent: Mit Gebieten/ Gerichten/ Wildbannen/ Zöllen/ Geleyten/ Städten/ Märkten/ Schlössern/ Dörffern/ Aeckern/ Wiesen/ Höltzern/ Wassern/ Wunnen/ Weyden/ Landen/ Zinsen/ Gülten/ Renten/ Nutzen/ Gütern/ Würdigkeiten und Zugehörungen/ uti sonat investit. Ducatus & Electoratus Saxon. a. 1425. apud PETRUM ALBINUM in der Meißnischen Chronik *Tit. 16. p. 214.* Item investitura Landgraviorum Hassiæ de a. 1495. apud LUNIG. Reichs-Archiv in der Fortsetzung der 2ten *Continuation p. 768.* ibi: Daß wir ihnen ihre regalia, nemlich der Landgrafschafft und Fürstenthum Hessen/ mit ihren Landen/ Leuten/ Schlössern/ Städten/ Märckten/ Zöllen/ Bannen/ Creysen/ Wäldern/ Höltzern/ Büschen/ Feldern/ Weyden/ Wasserläufften/ Jagden/ Wild-Bahnen/ Weydnereyen/ Ertzten/ Bergwercken ꝛc. bestätigt; cum quibus omnium fere statuum literæ investitu-

veſtiturarum recentiores, atque ordinationes, mandata, & edicta venatoria, quibus regale hocce jus ſibi adſcribunt, & venationes prohibent, conſentiunt, aut ſaltem in effectu non discrepant. Confer. AUCTOR deductionis vor das Jagd-Regal (§. 3. Schol.) *Cap. III. §. 9. ſub finem. p.* 68. Ut adeo in luce meridiana cæcutire oporteat eum, qui hocce jus ſtatibus Imperii in dubium vocaverit. Confer. HEIG. *Quaſt. Illuſt. 15. num.* 33.

SCHOLION II. Quoad fundos itaque publicos recte omnino ſe ſe habent quæ laudatus modo AUCTOR *d. loco Cap. I. §.* 9. cum HORNIO *Tr. de Jure Civitatis Lib. II. Cap. III. n. 5.* 3. EVERHARD *Vol. I. Conſ. 10. n. 28.* ſtatuit: quod principes Imperii alio titulo non egeant, cum per ſolam occupationem, & translatam in ipſos poteſtatem libere de rebus publicis diſponendi ſatis ſecuri, nec alium titulum edere obſtricti ſint. Conſentientem quoque quoad fundos publicos habemus illuſtrem D. de LUDWIG *in Diſſertat. de differentiis Juris Romani & Germanici in venatu, ejusque regali*. Item celeberr. D. FLEISCHERUM *Inſtit. J. Feudal. Cap. IX. §.* 48. & 49. Quousque vero his etiam principiis, ad demonſtrandum jus regale venationis in fundis privatorum, uti poſſimus; nec non, an præcitat. D. de LUDWIG, atque FLEISCHERI ſententia, jus venandi in fundis originariæ nobilitatis, aliisque, qui publici juris nunquam fuerunt, regale eſſe negantium, jure ſubſiſtat: Cap. ſequ. excutiemus.

(a) *Inſt. Pac. Osn. Art. VIII. §. 1. Item Capitul. cæſareæ paſſim.*

§. XLI. *Principes & ſtatus Imperii hodiedum ſylvas, aliaque loca publica banniendi, ferasque piſces & aves tanquam acceſſoria fundorum dominio ſuo transſcribendi jure gaudent.*

Sunt hi ipſi effectus, qui dominium principum publicum (§. III.), jus territoriale conſtituendi regalia (Cap I. §§. V. VI. & VII.), nec non bannum ferinum (§. XVIII) prone conſequuntur. Queis cum principes & ſtatus Imperii

 vel

vel maxime hodie instructi sint (§. XL.): eosdem feras pisces & aves hodiedum optimo sibi jure vindicare constat. Q. E. D.

SCHOLION. Ac proin consensu hic nullius, neque Imperatoris (secus ac olim, vid. Cap seq.) neque subditorum opus est. Jure hæc omnia suo, & vigore superioritatis territorialis domini territoriales peragunt; recte ita sentiente prælaudat. D. AUCTORE deductionis vor das Jagd-Regal *Cap. III. §. 20. p. 132.* Item SCHNEIDERO. *De Jure præventionis circa venationem §. 10.*

§. XLII. Cui consequens est: *principes & status imperii hodiedum vigore superioritatis territorialis, atque banni ferini, abolitis venationibus liberis,* denen freyen Bürschen (§. *XXXVI.*), *siquæ in territoriis vigent, regale venandi jus sibi ac fisco suo optimo jure vindicare* (§. *XXXVII.*).

SCHOLION. Ne tamen insuper habeas, quæ cit. §. 36. in Scholio II. monuimus. Neque enim cujuspiam legitime quæsitis juribus præjudicare animo sedet. Hinc vero simul intelligimus, cur S. Rom. Imp. Principes ac status in omnibus ordinationibus, edictis & mandatis venatoriis ad regale suum venationis, & bannum ferinum tanquam superioritati territoriali, Der Lands-Herrschaftlichen Hoheit, cohærens jus provocent. Vid. neu-verfaste Jäger-Ordnung in Steyer. §. 7. 9. *& seq.*

§. XLIII. Easdem porro conclusiones, quas alio loco (Opusc. X. §. CLII. seq.) ad regale venandi jus trahendas esse ex ipsa regalium indole demonstravimus; quod scilicet regale venandi jus sit pars superioritatis territorialis, adventitia saltem; quod inviolabile sanctumque haberi, nec quispiam citra læsæ quodammodo superioritatis crimen audaculas in idem manus ingerere debeat; quod subditus eodem, nisi principis concessione idem impetraverit, peculiari

liari ratione abstinere obligetur &c. *huc quoque trahendas, & ad regale principum venationis jus in fundis territorii publicis applicandas esse, constat.*

§. XLIV. *Feræ, pisces & aves nobiliores, sub banni ferini lege (§. XIX.) comprehensæ, in fundis publicis Principum ac statuum imperii, in dominio existunt, vel saltem domini territoriorum soli easdem occupandi jure gaudent.*

Potuit (§. IX. & X.), debuit (§. XXXV.), atque actu in fundos territoriorum publicos ita introductum fuit dominium (§. XL. Schol. I.), ut sub ejusdem complexu feræ quoque pisces & aves nobiliores comprehenderentur (§. IX.), aut saltem soli territorii domino cum exclusione subditorum eas occupandi titulus competeret (§. X.). Easdem igitur in dominio Principis, vel ab hoc saltem privative occupabiles esse evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Idque de bestiis etiam ferocibus, leonibus, ursis, lupis &c. intelligendum, eo saltem sensu, quod nonnisi a Principe occupari debeant, adversus harum bestiarum invasiones se se defendendi jure subditis solum relicto. Unde celeberr. LEYSERUS *de assentationibus JCtorum Cap. III. Sect. 2. §. 24.* postquam aliud olim obtinuisse asseruisset, subjungit: *At hodie hac omnia secus sunt, & non solum venatio majorum, sed & minorum ferarum, & occisio luporum, ursorum, & vulpium regalibus accensetur, & sub gravi pœna prohibetur.*

§. XLV. Quoniam res nullius dicimus, quæ in nullius dominio (Opusc. VIII. §. XX.), neque privative a quopiam occupabiles sunt (§. XI.): *feras, pisces & aves in fundis territorii publicis banni ferini lege (§. XIX.) comprehensas, perperam ad res nullius referri constat (§. XLIV.).*

§. XLIV. *Feræ, pisces & aves nobiliores, donec in fundis publicis existunt, pro fructibus & accessoriis eorundem recte reputantur.*

Fructuum nomine in genere venit, quidquid ex re nostra utilitatis, salva ejusdem substantia, percipitur. Enimvero Princeps, seu territorii dominus, feras, pisces & aves alicujus pretii tanquam fundorum publicorum accessoria, interimistica saltem, & utilitatem, ex fundis salva earundem substantia provenientem, sibi vindicat (§. XLIV.). Easdem igitur ad fructus fundorum publicorum referendas esse, liquido patescit. Q. E. D.

SCHOLION I. Negat hoc celeberr. AUCTOR deductionis sæpius allegatæ vor das Jagd-Regal/ *Cap. II. §.* 1. ibique cum ZOANNETO *de ferarum venatione Germ.* apud FRITSCH. *p. m.* 496. CHRISTOPH FESCHIO. *De re venatoria Thes. XVI* SCHNEIDER. *de jure præventionis circa venationem §.* 25. aliisque operose contrarium adstruere satagit; haud dubie, quod argumentis alias Nobilitatis landsassicæ ac Prælatorum, venationum utilitates inter fructus prædiorum suorum pari jure reputandas esse existimantium, condigne & ex asse satisfactum iri desperent. Sed salva res est. Non meliorem inde eorundem causam evasuram, sequentia (Cap. III.) manifestabunt. Feræ, pisces & aves fructus fundorum sunt, sed quos alterius, quam Principis & reipublicæ, in agris etiam privatorum, esse, nec dominium publicum, nec defæcatioris politices ratio, atque utilitas publica patitur.

SCHOLION. II. Adverte tamen, quod, licet fructus hi absurdi nihil involvant (*§.* 9. *Schol.*). & ex dominii natura prone concipiantur (§. 8. seq. sequ.): nihilominus transitorii, atque eo usque tantum nostri esse intelligantur, donec in fundis existunt; quibus pensiculatius discussis adversariorum, fructus esse negantium, argumenta citra pulveris jactum in fumum abibunt. In erronea, & restricti nimis fructuum notione plerique hærent, unde aliter sensisse mirum non est. Cumque juxta Romanorum instituta feræ pisces & aves in fundis vagantes inoccupatæ, ac domi-

dominio vacuæ haberentur (§. 15.): huic venationum statui admodum cohærenter *L. 26. π. de usuris & fruct.* venationes fructus fundi esse negarunt.

§. XLVII. *Feram, piscem aut avem, sub banni ferini lege contentam, in fundis publicis occupans, eandem suam haud facit.*

Etenim non sunt res nullius (§. XLV.). Quare, cum non nisi rem nullius, dominii capacem occupando nostram faciamus (Opusc. VIII. §. 36.): qui feram, piscem aut avem banni lege munitam in fundis territorii publicis occupat, eandem suam haud facere, indubie constat. Q. E. D.

SCHOLION. Trahendi huc omnino SCHILTERUS *Exercit. ad π. XLV. §. 5.* HUBERUS *Digress. Lib. IV. cap. 20. §. 4.* PUFFENDORFFIUS *J. N. G. & G. Lib. IV. §. 7.* qui, licet privative solum occupabiles, neutiquam vero in dominio completo feras esse supponant (§. 10. Schol.), in effectu tamen, & hac in specie conclusione nobiscum consentiunt.

§. XLVIII. Quoniam feræ &c. casu fors transfixæ palis, laqueis irretitæ, aut a bestiis ferocibus, aliave ratione occisæ, vel maxime jam occupatæ reputari debent, & in principis ac fisci potestate constitutæ; quippe quæ jam fundo constanter, i. e. ita ut evadere amplius nequeant, cohærent; nec minus cornua, quæ cervi atque dorcades quotannis deponere consueverunt, tanquam ferarum partes, principi acquisita esse intelliguntur: *nec feras, nec cornua ferarum, in sylvis & venationum districtibus inventa, inventorum, sed principis, atque domini territorialis esse apparet.*

SCHOLION. Consentit Stollbergische Jagd- und Forst-Ordnung *Tit. 21.* von Hirsch und Rehe-Gehörn apud FRITSHIUM *cit. p. 3.* Schwarzenburg-Sonderhausische Jagd- und Forst-Ordnung §. 16. wann die Hirten oder andere Wald-Leute ꝛc. Ibid. Erz-Herz. Oesterr. neu verfaste Jäger-Ordnung in Steyer

Steyer de a. 1716. §. 14. sollen alle diejenige/ so die abgeworffene Hirsch-Gewayde in unsern Forst finden. Item §. 13. da von gefallenen Wildpradt/ so sich selbst reist/ spießt oder in unseren Wild-Bahnen umkommt/ etwas gefunden wird/ soll dasselbe niemand aufheben/ weniger gar verschweigen/ sondern ꝛc. FRIDERICI ducis Wurtemb. *ordonance, touchant les bois, & forests en les comté de Montbeliard & souveraines seigneuries y jointes. Tit. comme on se devra contenir lorsque les cerfs, & chevreux, muënt & jettent leurs têtes, ou cornes. Apud* FRITSCH *cit. l. P. 3. p. 214.* ibi: *Nos dits subjets. - - - - seront tenus d'apporter a nos dits forestiers toutes les cornes, tant de cerfs, que de chevreux, qu'ils trouveront &c.* Quibusdam tamen in locis præmii loco inventoribus aliquid dari suevit: sic in electoratu Brandenb. pro pari cornuum cervinorum inventori duo oboli, zwey Pfenning/ solvuntur. Chur-Brandenb. Verbott die Hirsch-Gehörne und Stangen nicht zu verpartiren. d. a. 1638. apud FRITSCH. *cit. l. P. 3. App. num. 25.*

§. XLIX. *Feram, piscem, aut avem, banno ferino comprehensam, in fundis territorii publicis absque permissu principis occupans, eandem aut in principis proprietatem redigit, aut in eadem relinquit.*

Etenim feræ, pisces & aves nobiliores in fundis territorii publicis in dominio principis completo (§. XXV.), interimistico licet (§. IX.), existunt (§. XLIV.); aut territorii saltem dominus privative easdem occupandi titulo instructus est (§. eod.). Si primum sumas, easdem, tanquam res alienas, quæ citra domini voluntatem, aut, quod in accessoriis hisce transitoriis peculiare est, citra egressum e fundis publicis, alterius fieri nequeant, a quocunque licet occupatas, in principis nihilominus ac reipublicæ proprietate relinqui, ex natura hujus dominii liquet *Quod erat unum.*

Quodsi a principe solum, cum exclusione quorumcunque, occupabiles esse ponas, alia, quam titulo & jure principis,

cipis, easdem in proprietatem redigendi via non superest (Opusc. VIII. §. LXXII & LXXIII.). Quapropter, cum factum occupatorium ejus, qui sine permissu principis feram sclopeto, aliove instrumento in potestatem suam redigit, sine effectu esse, utilitas principis, & peculiares hic occurrentes rationes non ferant (Ib. §. CVII.): occupatas hoc casu feras &c. in dominium principis redigi, liquido patescit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Idem agnovit, &, sine demonstratione licet, jam dudum asseruit PUFFENDORFFIUS *J. N. & G. Lib. IV. C. VI. §. 7. Istum venatorem principi, ultroneam, licet parum gratam, operam praestitisse, adeoque non secus atque alium venatorem a principe auctoratum capiendo feras principis fecisse,* recto omnino statuens. Quodsi post occupationem feram nihilominus nullius esse supposueris: tunc occupantem aut rem nullius consumere, donare, vendere &c, aut culpa ejusdem, & facto doloso rem, quoad titulum principi jam quaesitam, capi, atque destrui posse, admittas necesse est; quod utique ceu absurdum cum recta ratione non consistit. Magis itaque est, ut feras facto ejusmodi venatoris naturam accessoriorum constantium, atque in dominio Principis completo existentium, induisse dicamus, quae invito Principe occupans aut tradere, aut actu occupata esse denuntiare obstrictus sit.

§. L. *Princeps, sive territorii dominus feras &c. sub banni ferini lege contentas, in fundis territorii publicis ipso invito occupatas, a quocunque possessore jure vindicat.*

Etenim in dominio existunt Principis (§§. XLIV. & XLIX.). Cujus, cum effectus sit, quod res invito domino ablata a quocunque possessore repetatur (a): feras quoque, pisces & aves, ad bannum ferinum pertinentes, invito Principe seu territorii domino occupatas, a quocunque possessore jure avocari constat. Q. E. D.

SCHOLION. Idque etiam tum, si bona fide venditæ ad tertium pervenerint, si scilicet constet, cujus fuerint, sive in cujus solo aut territorio venatorio captæ fuerint; sunt verba SCHILTERI *exercit.* ad π. XLV. §. 5.

(a) *L. 9. L. 27. §. 1. L. 36. π. de rei vind.* Idem SCHILTERUS *cit. l. exer. XVI. §. 1.*

§. LI. *Feris &c. in fundis publicis invito territorii domino occupatis, non amplius extantibus, & vel ab occupante, vel alio quocunque, sive dolo malo, sive culpa lata consumtis, occupans, vel consumens ad earundem pretium Principi ac fisco restituendum obstringitur.*

Possessor rei alienæ rem dolo malo, idem est de culpa lata (a), possidere desinens, de jure civili actione plane reali eo effectu conveniri potest, ut actori juramento in litem rei pretium definire integrum sit (b). Quare cum feram, piscem aut avem banni lege comprehensam, dolo malo, &, quæ eidem comparatur, culpa lata occupans, aut consumens rei alienæ possessor sit (§. XLIX.); consequenter feram consumendo dolo vel culpa lata possidere desinat: hoc casu occupantem, aut consumentem multo magis ad simplicem feræ æstimationem, atque refundendas expensas teneri evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Idque in ordinationibus venatoriis, præter pœnas ferarum quoque solutionem injungentibus, passim cautum: vid. Hochfürstl. Würzb. Verordnung wider die Wildpres Diebe de a. 1720. §. Soviel zweytens :c. ibi: Als verordnen Wir hiermit ausdrücklich / daß / wer sich künfftighin in Unsern Wildfuhren auf obige verbottene Weise wird betretten lassen / mit Wildpret-Schiessen vergreiffen / und ein oder anderes Stuck fällen: Ein solcher das erstemal / nebst Bezahlung des Wildprets und der Haut auch andern Unkösten / in Fußschellen . . . . . verurtheilet / und angehalten werden solle. Item §. 16. Das unzu-

lässige

läßige Fiſchen / ubi de furibus piſcium idem ſtatuitur verbis: Auch nach befinden / und oft wiederhohlten Verbrechen denen Wildprets-Dieben gleich nebens Erſtattung des Diebſtahls und allen Unkoſten abgeſtrafft werden ſollen. Item Chur-Pfälziſ. *Mandat*, wornach die Wildprets-Diebe zu beſtraffen de dato 21. Februar. 1709. §. Viertens. ibi: Ein ſolcher das erſtemal nebſt Bezahlung des Wildprets und der Haut / auch anderer Unkoſten ꝛc. Chur-Bayeriſche Verordnung in eadem materia de a. 1663. §. Die jenige *Delinquenten* aber ꝛc. ibi: neben Gutmachung des gefällten Wildprets und Abtrag der Unkoſten / da es einer in Vermögen hat ꝛc. quod de conſciis quoque ferarum furtivarum emtoribus dicendum eſſe, tum illæ ipſæ ordinationes ſatis indicant, & ex iis apparebit luculentius, quæ de receptatoribus ac fautoribus furum ferarum infra dicturi ſumus.

(a) *L. 2. Cod. de in litem jurando L. 32. π. Depoſiti.*
(b) *L. 27. §. 3. π. de rei vind. L. 7. π. de in lit. jurand.*

§. LII. *Qui feras, piſces & aves in fundis publicis, intraque banni ferini diſtrictum clam, inſcio, ac invito Principe, ſeu territorii domino, animo easdem ſuas faciendi capit, aufert, atque conſumit, furti; ſin violente rapiat, rapinæ ſe ſe criminis reum facit.*

Feræ, piſces & aves, donec in banni ferini diſtrictu vagantur, ſunt res principis propriæ (§. XLIV), aut occupatæ ſaltem a quocunque alio, non in occupantis, ſed in principis dominium tranſeunt (§ XLIX.), intuitu illius omnino pro rebus alienis habendæ. Quapropter, cum rem alienam, animo eandem ſuam faciendi, inſcio ac invito domino auferens furtum, conſcio quidem, ſed reluctante & invito domino eam ſibi aſſerens, rapinam admittat (a): feras &c. clam, & invito principe occupantem, furti, vi aperta easdem ſibi aſſerentem, rapinæ reum fieri manifeſto patet. Q. E. D.

SCHOLION. Neque adeo est, cur scrupulum nobis moveant, qui feripetas, Wildpret-Schützen Wilderer dici malunt; in clandestina siquidem aut violenta ferarum invito principe occupatione verum furtum atque rapinam admitti, ordinationes venatoriæ & mandata adversus fures ferarum palam pronunciant. vid. Hochfürstl. Würtzburg. *Mandat* wider die Wildprets-Diebe *de a. 1720. pr. ibi:* Nachdeme von vielen Jahren her die leydige Erfahrung zeiget/ wieweit die Boßheit deren in unserem Hochstifft durchgehends über Hand nehmenden Wildprets-Dieben gestiegen ꝛc. *ibidem in fine:* Unser Mandat wider Wildprets-Diebe ꝛc. *Item §.* so viel zweytens die Straffen deren Wilprets-Dieben betrifft ꝛc. & ita in seqq. passim. Fürstl. Braunschw. *Edict* wegen deren Wild-Schützen und Fisch-Dieben de a. 1598. apud FRITSCH. P. III. p. 129. ibi: Das Wildpret zu schiessen auch Forellen/ und andere Fische in unsern Heg-Wassern zu fangen / und diebischer Weiße zu entwenden/ und andern zu verkauffen/ sich freventlich unterstanden ꝛc. Stollbergische Jagd- und Forst-Ordnung Tit. 17. von den Wildprets-Dieben/ so in der That betretten werden. apud FRITSCH. *cit. l. P. III. p. 202.* Hertzog Joh. Casimirs zu Sachsen-Coburg *Mandat* wider die Wildprets-Diebe de a. 1595. apud eundem. Gräfl. Schwartzenburgisch-Frankenhausis. Jagd- und Forst-Ordnung *Art.* 33. Weilen auch unser ibi: Sondern auch auf die Feder- und andere Wildprets-Diebe Art. 24. auf alle Fisch-Diebe ein fleißiges Aufsehen zu haben ꝛc. Gräfl. Schwartzb. Sondershaus. Jagd- und Forst-Ordnung §. Nachdem uns auch ꝛc. ubi iteratis vicibus vocantur raptores, fures ferarum, Raub-Schützen/ und Wildprets-Diebe; Chur-Maynz-Erfurtisch-Jagd-*Mandat* wider die Wildprets-Diebe de a. 1717. ubi hoc nomen sæpius occurrit. Nec te moveant, qui aliud ex J. Romano evincere conantur; *in eo enim* (uti SCHILTERUS ait *cit. sæpius l.* §. 8.) *recedunt mores nostri a jure Romano, quod utrobique* id est, sive e Parcis Thier-Garten/ sive e forestis feræ auferantur) *furtum committatur. Feræ enim in foresto meo commorantes meæ sunt, & possideri animo intelliguntur, & mediante solo nostro. Nec sequitur necessario: feræ in foresto naturali libertati relictæ sunt; h. e. habent liberum accessum & recessum: igitur quam diu in foresto nostro morantur, tam diu non possidentur a nobis &c.* allegant

gans in hanc suam sententiam HUGONEM GROT. *J. B. & P.* GRENWEG. *de LL. Abrogatis* & NOE MEUERER vom Forst Recht Confer. quoque *Capit.* CAROL. M. ad a. 802. *c.* 39. ibi: *ut in forestas nostras furari nemo audeat &c.* supra (§. 38. Schol.).

§. LIII. Quoniam jus venandi in fundis territorii publicis ad regalia principis, & sacra reipublicæ jura pertinet (§. XL.); hæc vero citra læsæ quodammodo superioritatis crimen, despectum, vilipendentiam, & contemtum summæ potestatis attentare nemo audeat (§. XLIII.): *fures atque raptores ferarum (§. L.) respectus, quem principi, ac summæ potestati debent, violatores, atque contemtores, nec non jurium superioritatis temerarios invasores recte audire, nemo dubitat.*

SCHOLION. In ordinationibus & mandatis venatoriis vocantur ideo Freveler; vid. Schwarzb. Sondershaus. Jagd- und Forst-Ordnung (§. Præced.) Braunschweig-Lüneburg. Edict wegen der Wild-Schützen / und Fisch-Diebe / de a. 1598. apud FRITSCH. *P. III. p.* 130. ibi: über / und wider unser beschehene vorige Verbott uns zu einem sonderbahren hohen Veracht / und Troz geschiehet. Chur-Sachs. *Mandat* wider die Wild-Diebe / und Schützen de a. 1603. apud PFEFFING. *Vitriar. illustr. Lib. III. tit. 18. §. 18. p.* 1437. ibi: Und uns als der ordentlichen vorgesezten Obrigkeit zu Troz / und Verachtung in unsern Wild-Bahnen schiessen ꝛc.

§. LIV. *Princeps, sive territorii dominus, omnia ea, quæ ad conservationem ferarum suarum, rectum usum, integritatem atque inviolabilitatem regalis sui venandi juris in fundis publicis quavis ratione spectant, jure ordinat, atque constituit.*

SCHOLION. Propositio per se clara demonstratione non eget, utpote quæ ex necessitate regalis hujus juris (§. 37.) luculenter intelligitur. Vide sis inter infinitas alias Kayserl. neu-verfaßte Jäger-Ordnung in Steyer. §. *fin.* Welchenmach ibi: wel-

ches alles wie es Unser unvermeydentliche Nothdurfft und Erhaltung des Landsf. Regals/ auch alte Gewohnheit und Gebrauch neben der Gerechtsamkeit erfordert 2c. 2c. Item Chur-Maynz Erfurtisches *Mandat* wider die Wildprets-Diebe de a. 1717. pr. ibi: Was für Mandata und Verordnungen öfters vorhin schon zu conservation des hohen und niedern Jagd-Regals heraus gangen.

§. LV. *In Fures atque raptores ferarum princeps vigore superioritatis territorialis pœnas justissima lege decernit.*

Etenim princeps vigore superioritatis territorialis omnia ea recte ordinat, quæ ad conservationem regalis venandi juris, atque ferarum suarum pertinent (§. LIV.). Quoniam igitur, quod tanquam exploratum & experientia comprobatum sumo, furum atque raptorum ferarum temerarii ausus, atque pervicax malitia (§. LIII.) non nisi constitutis pœnis, quarum amaritudine a delinquendo, & male agendi proposito absterreantur, retundi valet: ferarum quoque, quæ principis esse dignoscuntur (§§. XL & XLIV.), fures atque raptores constitutis a principe seu territorii Domino pœnis optimo jure coerceri, nemo in dubium vocaturus est. Q. E. D.

SCHOLION. Eodem sane jure, quo olim Francorum Reges (§. 38. Schol.) (a) atque Imperatores (§ eod. & sequ. 39. Schol.) sub imperiali banno, & gravioribus etiam, immo mortis pœna (§. eod. 38. Schol. verbis: de GUNTHRAMO &c.) venationes prohibuerunt, & in ferarum fures animadverterunt, status Imperii vigore superioritatis territorialis, aus Landsfürstlicher Macht und Hoheit/ in dæprædatores, atque violatores regalium suorum condignas pœnas statuunt. Vid. AUGUSTI Elect. Saxon. *Mandat* wider die Wilgprets-Diebe/ de a. 1584. in excerpto apud PFEFFINGERUM *cit. l. Tit. XVIII p. 1437.* ibi: Als ordnen und setzen Wir aus Landsfürstl. Obrigkeit/ und Macht 2c. FERDINANDI MARIÆ Elect. Bavar. Verordnung wider

wider die Wildprets-Diebe *de a. 1663. pr. p. m. 2.* Dieweilen Wir aber solche hochstraffliche Ubelthaten keineswegs zuzusehen/ oder zu gedulten gemeint; sondern dieselbe ernstlich/ wohl auch/ nach gestaltsame der Umstände/ an Leib und Leben abzustraffen gedacht/ gleichwie Wirs/ als regierender Landes-Fürst/ zu Erhaltung des schuldigen Gehorsams und Respects wohl zu thun befugt ꝛc. Haud alio certe ex fonte tot principum ac statutuum Imperii sanctiones pœnales in fures ferarum derivari poterunt.

(a) Conf. SCHILTERUS *Exercit. ad π. XLV. § 5. ibique ex lege Salica Tit. 36. §. pen. & ult.*

§. LVI. *Pœnæ in fures atque raptores ferarum &c. delinquentium tum malitiæ, tum incorrigibilitati; delicti tum gravitati, tum frequentiæ; qualitati tum personarum, tum ferarum; nec non occurrentibus aliis alicujus momenti circumstantiis proportionandæ, atque attemperandæ sunt.*

Pœnæ in republica in genere id spectant, ut coercito malevolorum aliis nocendi pruritu pacate quilibet in civitate vivat, & imperturbate suo fruatur. Tales igitur sanciendæ, quæ procurando tranquillo rerum nostrarum usui, & cohibendæ facinorosorum audaciæ sufficiant, frustraneo alias futuro omni principis in promovenda securitate publica conatu. In malitia exuberantiori, & perseverante delinquentium maligno aliis nocendi proposito, majora quoque rebus ac bonis nostris discrimina imminere, nemo non perspicit. Quæ quoniam non nisi gravioribus in delicta constitutis pœnis retundi, aut averti queunt (a): sicut in delinquentes in genere, ita furum quoque ac raptorum ferarum majori existente malitia, lenioribus pœnis corrigi nescia, severius in hosce animadvertendum esse, nemo ibit inficias. *Quod erat in primum.*

Porro

Porro, cum delicta graviora, quibus vel princeps, vel respublica, immo privati etiam cives insigniter læduntur, gravius quoque coerceri conveniat, impunitate vel lenitate majorum alioquin malorum causa futura; nec non crescente delinquentium numero, pœnas quoque crescere debere, ipsa sana ratio dictitet (b): in determinandis quoque furti & rapinæ ferarum &c. pœnis ad gravitatem hujus delicti (§. XLIII.) haud secus, quam ad furum atque raptorum hujusmodi pervicacium, nulla mandatorum principis & legum ante latarum ratione habita, increscentem numerum, malitiamque legislatori attendendum esse liquet. *Quod erat alterum.*

Ulterius, personas conditionis vilioris ad delinquendum, furti præsertim & rapinæ crimina, multo, quam honestioris ordinis homines, proniores esse; neque easdem numero pœnas pares prorsus in utrisque effectus producere, sed potius, quas pœnas personæ viliores spernunt, atque contemnunt, easdem in personis honoratioribus optatos fines, emendationem nimirum & correctionem consequi, *cum in aprico jaceat* & quotidiana experientia comprobet: neque hancce personarum, in regale hocce principis furtivas & rapaces manus ingerentium, diversam qualitatem a legislatore insuper habendam esse constat. *Quod erat tertium.*

Denique, cum ad rei furto, raptove ablatæ pretium in sanciendis furtorum atque rapinarum pœnis vel maxime respicere legislatorem conveniat (c): princeps quoque in determinandis furti & rapinæ ferarum pœnis diligenter cavebit, ne, ceteris paribus, easdem, quas majorum ferarum furibus infligit, illis quoque, qui fera animalia levioris pretii auferunt, pœnas dictitet. Immo quoniam in genere in sanciendis, augendis, minuendisque pœnis ad circumstantias,

quæ

quæ in re præsenti aliquod momentum trahunt, probe advertendum (b): ad has quoque princeps legislator in puniendis furtis ferarum oculos ut convertat, necesse est. *Quod erat quartum, & quintum.*

SCHOLION. Singula quoque principes & status Imperii in ordinationibus, mandatis & sanctionibus pœnalibus adversus fures & raptores ferarum ex asse custodivisse, observare licet; & exemplis omnium fere territoriorum principum ac statuum probari posset, nisi omnem prolixitatem studio declinare instituti rationes cogerent. Confer interim PFEFFING. *Vitr. illustr. Tom. III. Tit. 18. §. 18. p.* 1438. Kluger Beamte *P. I. Tit.* 34. §. 15. EVERHART, *Vol. I. Cons. 10.*, & Criminalistas passim.

(a) Perill. WOLFFIUS *Polit.* §. 343. *seq.*
(b) *L.* 16. §. 20. π. *de pœnis: Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus est.*
(c) *Ord. Crimin. Carolin. Art.* 157.
(d) *L.* 11. *pr. L. pen.* π. *de pœn. L.* 155. §. *ult.* π. *de R. J.*

§. XXXVII. Unde consit: *quod in fures atque raptores ferarum &c. qui præmeditato & in despectum Principis manifestum, tempore nocturno, larvati, aut, ne a venatoribus agnoscantur, nigro colore inducentes faciem, horridum aspectum præseferentibus induti vestibus, periculoso & severa lege subditis inhibito armorum genere instructi, cohibituris aut apprehensuris eosdem venatoribus violentas etiam manus inferre parati, sylvas, & districtus venationum Principis ingrediuntur; nec non eos, qui correcti resipiscere nolunt, pœnæ exasperandæ, atque augendæ sint* (§. præced.).

SCHOLION. Has exacerbationis pœnarum causas omnia rursus adversus fures & raptores ferarum emanata edicta & constitutiones Principum, ac statuum Imp. loquuntur. Vid. (§. LI.) FERDINANDI MARIÆ Electoris Bav. Mandat wider die Wild-

prets Dieb *de a. 1663. pr.* Nachdem die tägliche Erfahrung gibt 2c. . . . daß solchemnach die hohe unumgängliche Nothdurft erfordert / disem Ungehorsam / und Widersetzigkeit mit ergiebe- rigerem Ernst / und mehr verfänglichern Mittel vorzubeugen 2c. Chur-Pfälzisches Mandat contra eosdem (supra §. LI.) in pr. Hochfürstl. Würzb. *Mandat* (§. LII.) ejusdem generis *pr. Item* §. sovil zweytens ibi: Alldieweilen sich mehr als zuviel geäussert / daß die bishero / sonderlich auf das erstemal gesezte gelinde Straffen / von ihnen gar nicht geachtet / sondern bis zur ersten Betrettung desto kecker drauf gefrevelt worden 2c. Item §. demnach / siebendens ibi: Da aber die Wildprets-Dieb / wie öfters zu geschehen pflegt / gefährlicher Weiß / damit man sie nicht kennen / und sie also ihre Bosheit desto kühner vollbringen mögen / sich im Gesicht geschwärzt / mit Nebel-Kappen / grossen Bärten / langen / zu Verbergung ihrer Rohren / tragenden ungewöhnlichen Röcken / und sonsten auf andere Art sich verstellt hätten 2c. Idem quoque in aliis mandatis & edictis Principum adversus ferarum fures, quæ magno numero ad manus habemus, sancitum, atque has ipsas ob causas pœnas adauctas reperies.

§. LVIII. Ulterius inde consequitur, *quod fures atque raptores ferarum hoc ipso, quod regalium Principis temeratores sint* (§. LIII.), *ac præterquam, quod in suo Principem turbent, in reipublicæ quoque sacra jura injurios se præbeant* (§§. *XLIII. & LIII.*), *severius propterea plectendi veniant: id quod tum vel maxime obtinere debebit, si latius serpens malum, & furum ferarum augescens numerus efficaciorem medelam efflagitet* (§. *LVI.*).

SCHOLION. Confer Chur-Pfälzis. *Mandat de a.* 1709. (§. LI.) §. Als Uns achtens 2c. Item Herzoglich-Würtembergische *Constitution*, welchergestalten die Wildpret-Schützen fürohin gestraft werden sollen. *de a.* 1588. apud FRITSCH. *cit. l. P. III. p.* 173. Wir verspühren aber mehr dann zuviel im Werck / daß . . . zu keiner Verbesserung erspriessen / noch gereichen mag / sondern das gefährlich unleydentlich Ubel legt täglich zu 2c.

§. LIX.

§. LIX. Liquet inde porro, *cur ob furta, & rapinas ferarum, piscium & avium in personas notæ vilioris, ceteris paribus, graviores, quam in personas honoratiores pœnæ sanciendæ sint* (§. LVI.).

SCHOLION I. Personarum honoratiorum pœnæ ut plurimum pecuniariæ esse solent, mulcta pro ferarum qualitate & raritate constituta; ad carceris tamen, immo, si malitia, incorrigibilitas, aliæque circumstantiæ accedant, ad duriores etiam pœnas quo minus deveniatur, nil obstat. Personæ viliores primis regulariter vicibus, nisi & hoc casu pœnas augeri circumstantiæ jubeant, ad operas publicas cum gestatione cornuum cervinorum, &, si præsertim frequentius in hoc delicti genere deprehendantur, ad fustigationem quoque cum relegatione, immo graviores etiam pœnas condemnantur; qui tamen pænarum gradus, uti testibus ordinationibus & edictis adversus ferarum fures diversis, diversimode sese habent, ita determinatione enucleatiori nunc supersedebimus. Vid. interim Hochfürstl Würzburg. allegatum sæpius mandatum (§. LI.) §. Soviel zweytens &c. *cum seq.*, & PFEFFINGERUM *Tom. III. cit. Tit. 18. §. 18. p.* 1439.

SCHOLION II. Accedit & illa in personis vilioribus ratio, quod plerumque pessimæ frugis audiant, & rerum domesticarum liberorumque omnem curam deponentes, juxta cum feris, hominibus quoque tanquam publici grassatores in viis regiis insidientur, cædibus & latrociniis rempublicam nefarie implentes; id quod tum in notorietate consistit, tum omnes omnino ordinationes, & edicta Principum loquuntur. Horum itaque effrenem licentiam Principes & status imperii, ex summi magistratus, quod gerunt, officio nullis non pœnis contundunt. Vid. *alleg.* Hochfürstl. Würzb. *Mandat*, *princ.* daß solchemnach Unsere Wildfuhren nicht allein gäntzlich verheret, sondern auch durch gedachte Bößwichte vielfältige höchst straffbare Missethaten ausgeübt werden; und noch ärgere in künftig zu besorgen stehen. Würtembergische erstere Vergleichung der Wildprets-Schützen halben *de a.* 1551. §. dieweil apud ERITSCH. *P. III. p.* 165. ibi: Dieweil dann dieß gemeiniglich, arg, böse, und

und leichtfertige Buben. Hohenlohische Jagd-und Forst-Ordnung *de a.* 1579. apud FRITSCH. *d. l. P. III. p.* 224. *Tit. VI.* Von Wilderen und Wildpret-Schützen / §. dieweil männiglichen bewust ꝛc. Chur-Bayerisch. Mandat supra (§. LI.) *pr.* ibi: sondern auch von denen nichts als alles Ubel und Gefahr auf denen Strassen . . . zu gewarten / und dannenhero man sich gegegen ihnen vielmehr als gegen andere gemeine Land-Stürtzern und Müßiggängern der Mörderey / Rauberey / und anderer Unthaten zu besorgen hat ꝛc. Chur-Pfälzische Verordnung in eadem materia (§. LI.) *pr.* verbis: gleichwie sonst gegen andere betrohliche Landschädliche Leuthe / von denen man sich alles Ubels zu besorgen hat ꝛc. Plures passus concernentes ex aliorum statuum Imp. edictis & ordinationibus in eadem materia vide apud PFEFFINGERUM *cit. l. Tit. XVIII. §. 18. p.* 1436.

§. LX. Ex eo vero, quod ad ferarum qualitatem attendendum sit (§. eod. LVI.), colligimus ulterius, *mitius omnino puniendos esse, qui feram, piscem aut avem ad venationem bassam,* zur niedern oder kleinen Jagd/ *quam qui pertinentem ad venationem majorem,* zur hohen Jagdbarkeit / *clam capiunt, atque furtiva, aut rapaci manu contrectant.*

SCHOLION. Quænam feræ ad venationem majorem, quæ ad minorem pertineant? Cap. V. uberius exponemus; de propositionis interim veritate edicta & ordinationes venatoriæ, in quibus hæc differentia ex asse custoditur, dubitare haud sinunt. Vid. Würzb. *Mandat §.* Was aber / sechstens / diejenige angehet / welche nur an solchen Stücken sich vergreiffen / die zur niedern Jagd gehören ꝛc. ubi leviores in harum, quam in priorum pœnas sancitas offendes.

§. LXI. Denique, nec illud in determinatione pœnarum insuper habendum esse, constat (§. LVI.): *An in sylva forestata, ubi pro recreatione & usu principis feræ majori in copia aluntur? an temporibus vetitis (Cap. I. §. sequ.)? an ex iracundia & animi fervore? an in horto & fundo suo? an in loco publico &c, feram, piscem aut avem banno ferino comprehensam*

quis

quis ceperit. Prout enim hæc aliter, aliterque ſe habent, aut ſub graviori, aut ſub leviori pœna, furta ferarum cohibenda eſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Determinatius omnes circumſtantias, ad quas legislatori aut judici attendendum, enumerare ſtudio nunc omittimus. Prudens legislatoris arbitrium cuncta ita moderabitur, ut obveniente caſu nec in juſtitiæ nec in æquitatis regulas impingat.

§. LXII. *Fures atque raptores, furti aut rapinæ ferarum rei deprehenſi, prima vice regulariter mortis pœna haud afficiendi.*

Feræ, piſces & aves pleræque minuti pretii ſunt. Quapropter, cum furta, multo minus rapinæ ferarum, utpote quæ raro ſine ſtrepitu perpetrari ſueverunt, ſi modo debitam venatores & ſaltuarii principis in ſylvis & venationum diſtrictibus cuſtodiam agant, diu latere nequeant: quando prima vice ejusmodi fures & raptores deprehenduntur, vix adhucdum notabile principi, ejusque fiſco damnum intulere, vix tale ſaltem, quod ſummam, ſanctione criminali Carolina (a) definitam, adæquet. Dein, licet ſtricte loquendo, præſertim quod reſtituendi obligationem attinet (§§. L. & LI.), inter ferarum &c. & rerum aliarum furta nulla, aut modica differentia ſubſit (§§. XLIX. & LIII.) (Opuſc. VIII. §. CXIII. Schol. I.); quoniam tamen dominium, quod ante actualem ferarum occupationem principi & reipublicæ in easdem, tanquam fructus & acceſſoria fundorum (§. XLVI.), competit (§. XLIV.), ratione continuationis & durationis multum adhuc incerti habet (§. XLVI. Schol. II.): ut in irrogandis ferarum furibus & raptoribus pœnis ad hanc incertitudinem princeps attendat, eosque ceteris paribus, præ aliis mitius puniendos ducat,

& æquitatis, & clementiæ ratio postulat. Neque etiam, quæ hisce furtis & rapinis, eoquod in regalia principis & reipublicæ jura peccetur (§. XLIII.), major malitia & delicti gravitas inest (§. LIII. & LVIII.), tanti est, ut hanc solam ob causam delinquentes morte multari valeant. Cui accedit, quod, cum nec furta reiterata, nec alias circumstantias aggravantes supponamus, in prima vice deprehensis hisce furibus spes adhuc emendationis supersit. Quapropter cum non nisi in furto & rapina rerum in perpetuo & durabili dominio existentium, nec, nisi rei ablatæ pretio ad summam usque quinque aureorum ascendente (b), aut peculiaribus circumstantiis aggravantibus, effractione, vi majori, & indurata malitia accedentibus, pœna mortis locum inveniat: prima vice in furto & rapina ferarum, regulariter ad mortis pœnam deveniendum haud esse, liquido patescit. Q. E. D.]

SCHOLION. Rapinam tamen præ furto ferarum graviori pœna compescendam esse, tum ex ipsa rapinæ indole (§. LII.), tum ex iis, quæ supra (§§. LVI. & LVII.) diximus, abunde colligitur. Consentiunt interim, & veritatem theseos probant omnes fere ordinationes, & edicta pœnalia a principibus & statibus Imperii adversus fures & raptores ferarum emanata, in quibus nullibi, nisi peculares circumstantiæ eam legislatoris severitatem provocarint (§. LXIII. sequ.), prima vice mortis pœnam irrogatam fuisse apparet.

(a) Art. CLX.

(b) d. Art. CLX.

§. LXIII. *Concurrentibus tamen circumstantiis aggravantibus, quo minus furibus & raptoribus ferarum prima, multo magis secunda, tertia, & ulterioribus vicibus in furto aut rapina ferarum*

rarum

rarum deprehenſis mortis pœna irrogetur, nulla, nec naturalis, nec civilis ratio obſtat.

Pone, fures & raptores ferarum nulla ſanctionum pœnalium, in temeratores regalis hujuſce juris conſtitutarum, ratione habita in deſpectum, & contemtum principis manifeſtum peccare fortius, nullis nec fuſtigationum, nec relegationum, aliisve gravioribus pœnis eorundem malitiam compeſcere valentibus; pone, a viliſſimis hiſce mortalium vias publicas cædibus & latrociniis infeſtari, nulla ut amplius in republica ſecuritas, & tranquillitas interna vigeat; quin inaudita eosdem audacia officialibus & ſaltuariis principis necem certam minitari, ſi aut apprehendere, aut denuntiare eos attemptaſſent; pone, licet princeps per omnes hucusque pœnarum gradus iverit, in tantum nihilominus furum & raptorum ferarum numerum excreſcere, ut, niſi extrema remedia adhibeantur, ferarum omnium excidium, & regalis venandi juris ruina certo certius conſecutura ſit: quis, obſecro! ſub his circumſtantiis tam publici boni oſor, tam ſceleſtiſſimorum hominum fautor fuerit, ut non prima etiam vice in furto, aut rapina ferarum deprehenſos mortis pœna affici poſſe, ambabus manibus largiatur? Sane ſi delictis, iis præſertim, queis pacatus rerum noſtrarum uſus, tranquillitas & pax publica concutitur, invaleſcentibus, eorundem auctores, partim, ut exemplo ſint aliis, partim, ut hac fæce respublica purgetur, neci tradere, ipſa divina lex, & rerumpublicarum finis jubeat: idem quoque de hiſce regalium principis, & publicæ ſecuritatis turbatoribus dicendum erit. *Quod erat primum.*

Quodſi iteratis vicibus correcti, & cum juramento *Urphedæ* relegati ad idem ferarum furtum redeant, & regale venan-

venandi jus violare pergant, nullam ab iisdem emendationem sperandam esse, ipsis suis nefariis factis declarant; quare, cum fures & raptores induratæ malitiæ, perjuros, sœpius correctos, & in quibus emendationis spes omnis evanuit, mortis pœna afficere, neque naturalis, neque civilis ratio refragetur, quod apud omnes in confesso esse reor: non magis etiam hoc casu in fures & raptores ferarum mortis pœnam constituere, æquitati aut naturali, aut civili repugnabit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. I. His igitur casibus vita hominis non cum vili fera, sed cum malitia, & delinquentium incorrigibilitate, nec non cum publicæ tranquillitatis, & pacati rerum nostrarum usus necessitate comparanda; illam ut coerceat, hanc ut conservet, legislator mediis sufficientibus utitur, extinctis plane, si opus *est*, scelerum & delictorum authoribus, uti jam alibi monuimus (Opusc. VIII. §. CIX. Schol.).

SCHOLION. II. Hancque theseos nostræ veritatem praxis abunde comprobat. Sic prima vice deprehensos ferarum fures ob causas, a nobis recensitas, morte puniri jubet Chur-Bayerisch. *Mandat* wider die Wildprets-Diebe (§. LI. Schol.) §. Wir wollen es aber die Straff halber rc. ibi: sie seyen gleich vorher dieses Verbrechens halber innen gelegen und gestrafft worden/ oder nicht/ solche sollen ohne alles ferneres Recht auf offener Straß/ da sie grassirt/ und Wildpret geschossen/ aufgehenckt werden. JOH. FRIEDRICI *Marchionis Anspacens. Mandatum* in eadem materia de 1. Nov. 1680. §. Als ordnen und setzen wir (scilicet ex rationibus a nobis adductis) aus Lands-Fürstlicher Obrigkeit und Macht/ daß nun hinführo die Straff der Wildprets-Dieb/ und Schützen/ auch deren/ so dieselbige in Häusern hegen/ oder ihnen wissentlich einigerley Weiß Unterschleiff geben/ in Unsern Landen der Galgen seyn solle rc. Item §. Würde sich aber jemand rc. ubi unicum ferarum furtum, propter ejusdem frequentiam ad pœnam mortis sufficere statuitur. Chur Pfälzische Verordnung in eadem materia (§. LI. supr.) §. 1, So viel diejenige rc. ibi: Sie seyen gleich vorhe-

ro dieses Verbrechens halber in Verhafft gelegen oder nicht/ solche sollen ohn alles ferneres Recht an dem Leben gestrafft werden. AUGUST. Elect. Saxon. *Mandat* in mat. eadem de a. 1684. apud PFEFFINGERUM *cit. l. Tit.* 18. §. 18. *p.* 1437. §. Als ordnen ꝛc. Daß nun hinführo ꝛ. iisdem plane verbis: cum alleg. Mandato March. Anspac. Item §. Würde sich aber ꝛc. verbis: wo er nichts mehr verbrechen/ dann das Wildpret geschossen/ oder niedergeschlagen/ als ein offentlicher Dieb unsers gehegten und befriedigten Wildprets mit dem Strang vom Leben zum Tod gerichtet werden; similia mandata plura vide apud PFEFFING. *cit. l.* Quæ post reiterata demum ferarum furta mortis pœnam irrogant, non pauciores numero sunt Principum Imperii ordinationes venatoriæ, quorsum quoque Wirceburgensis pertinet, qua post tertiam denique correctionem mortis pœnæ locus conceditur, Vid. §. wäre es dann fünfftens ꝛc.

SCHOLION. III. A crudelitatis tamen nota immunes pronunciare non ausim, qui exquisitis suppliciorum generibus ferarum fures præ aliis, necei tradi jubent. Christiano certe principe indigna vindicta, & feram in ipso legislatore naturam sapiens. Tales sunt, qui cervina pelle insutos reos a canibus lacerari præcipiunt; qui ferreis ligamentis ferarum fures cervo illigatos in sylvas dimittunt; lepores una cum pelle crudos devorandos præbent &c. qualia exempla ex BERNHARDINO CORIO Vol. VI. *rerum Mediolanens.* ZEILER. *Cent. I. Epist. p.* 424. & ex HERMAN HOFFMANNO *Lycurg. Rom. German.* refert PFEFFINGER. *cit. l. p.* 1438. *p. m. b.*

§. LXIV. *In dolosos furum & raptorum ferarum receptatores, atque celatores eædem, quæ in ipsos fures & raptores, pœnæ sanciendæ.*

Nisi essent receptatores, celatores, ac fautores, neque fures ferarum forent; siquidem absque horum adjumento fures vix latere, aut furtivas feras in locum securum transportare, atque divendere possent, uti facile quivis intelligit.

prrehensi &c., confer (§. LVIII.); consentientibus denuo ordinat. venatoriis passim, interque illas Mandato Onoldino d. 22. Julii 1716. §. Als ergehet ꝛc. ibi: Wann selbige auf dreymaliges zum stehen / oder haltmachen beschehenes Zuruffen sich nicht arrestiren lassen / noch still stehen ꝛc. ubi simul motiva observa. Mandatum Wirceburgense sæpius allegatum §. Demnach sieben- dens ꝛc. ibi: Solten nun diese darauf den Ausreiß nehmen und flüchtig gehen / solle solchenfalls denen Jägern auf dieselbe Feur zu geben zugelassen seyn.

SCHOLION II. Ne tamen hæ leges in abusum vergant, sedulo dispiciendum; hancque ob causam tum probitas saltuariorum & venatorum probe ponderanda, tum cautelæ aliæ necessariæ inculcandæ. Pluribus ordinationibus, speciatim Wirceburgensi, *eod. §. sub fin.*, in casu occisi furis salutariter cautum, quod saltuarius aut venator juramento præstito sese purgare debeat.

§. LXVII. Eadem de causa, quod scilicet ferarum furta puniri intersit (§. LXVI.), potissimum vero, cum ferarum fures in locis plerumque solitariis, ubi testium nulla copia præsto est, deprehendantur, Princeps jure optimo prospicit, & publica lege edicit: *Quod simplex venatoris, aut saltuarii, integræ alioquin vitæ, & enixiori juramenti formula ad fidelitatem, & dicendam, aut confirmandam veritatem adacti, de fure, aut raptore ferarum facta denuntiatio, siquidem ad mulctam pecuniariam aut aliam pœnam non capitalem agatur*, plenam; *sin de capitis pœna eidem irroganda quæstio vertatur*, semiplenam *probationem efficere debeat.*

SCHOLION. Consentit allegatum sæpius mandatum Wirceburgense §. Erstlichen wollen wir ꝛc. Neque hactenus pervidere licuit, quid aut æquitati, aut rectæ rationi repugnans salutaris ejusmodi constitutio in se contineat; præsertim, ubi in pœnis capitalibus ordini procedendi ordinario locus relinquitur. Si indistinctim duobus minimum testibus ferarum furta probanda essent: in plerisque casibus notorii ferarum fures impunes dimittendi forent; quod an æquum sit? tu judica.

§. LXVIII.

§. LXVIII. Quoniam in delictis capitalibus probatio semiplena ad torturam sufficit (a): *posteriori casu denuntiationem, a venatore aut saltuario factam, ad torturam sufficere evidens est* (§. LXVII.).

(a) *L jurejurandi 9. C. de testib. L. 1. in fin. quemadmodum test. aper. Cap. veniens. Cap. licet 47.* ☧ *de testib.* CARPZ. *Pract. Crim. Quæst. 114. n. 54.*

§. LXIX. Porro, cum regali venandi jure penes Principem & rempublicam constituto, summa potestas nihilosecius, quæ ad ferarum conservationem, nec non rectum venationis usum pertinent, jure ordinet (Cap. I §§. XI. XII. & XVI.): *Principem quoque, ut omnia, quæ de temporibus recte in venatu observandis (Cap. I. §. XV. sequ.) deque recte, aut minus recte institutis venationum modis*, weydmännischen / und unweydmännischen Jagen / *præcipiendis, vel prohibendis dicta, demonstrataque fuere (Cap. eod. §. XXIV. sequ.), a saltuariis suis & venatoribus in fundis non minus publicis, & banni sui ferini districtibus sancte & illibate custodiantur, optimo jure præcipere patescit* (§. LIV.).

§. LXX. Ulterius inde intelligimus, *cur pecudes, & armenta definitis anni spatiis e forestis publicis, iis potissimum locis, ubi coire feræ, & parere solent, arcenda; cur rusticis & pastoribus in plerisque locis, ut canibus suis fustes alligent, publica lege, indictaque mulcta injungatur.*

SCHOLION. Rustici quippe & pastores canes sæpius alunt feris admodum infestos, ad quas persequendas alligati e collo baculi duarum circiter ulnarum eosdem ineptos efficiunt. Conferantur, quos hanc in rem ex ordinationibus venatoriis variis passus excerptos sistit PFEFFINGER. *Vitriar. illust. Tom. III. Tit. 18. §. 11. p. 1410. n. 18.*

§. LXXI. Cumque ex promiscuo armorum, & instrumentorum venatoriorum subditis concesso usu venationibus principis non minus damni immineat: *princeps, sive territorii dominus, jure quoque prohibet, ne quis cum sclopeto aut bombarda* (idem *de zonis, plagis, retibus &c.* dicito) *in sylvis, & forestis bannitis, aliisque venationum, piscationum & aucupiorum districtibus comparere præsumat, deprehenso alias statuta legibus pœna plectendo.*

SCHOLION. Plerumque tamen ordinationes venatoriæ excipiunt viatores, peregrinos præsertim, & qui longa itinera susceptum eunt. Quæ impunitas iis quoque indulgeri solet, qui intra vias regias se se continent. PFEFFINGERUS *cit. l. p. 1408. n. 15.*

§. LXXII. *Princeps, sive territorii dominus regale suum venandi jus, quantum pote est, cum minimo subditorum suorum damno exercere obstrictus est.*

Inter majestatica summorum Imperantium officia primum haud dubie locum sibi vindicat, subditorum salutem quavis ratione promovendi, omneque ab iisdem damnum avertendi cura, uti ex ipso societatum civilium fine intelligitur. Hæc itaque uti omni loco & tempore comitari principem debet: ita nec eandem in moderando, &, quantum licet, cum minimo subditorum incommodo instituendo regalis venandi juris usu atque exercitio seponendam esse, liquido constat. Q. E. D.

SCHOLION. Nimirum *quantum pote est*, cum minimo subditorum damno regale venandi jus exercendum esse diximus; neque enim omnia & singula in subditos inde redundatura incommoda ad apicem usque resecari queunt, ni plane regali hocce jure principem exuere, aut inutile idem efficere cogites. Siquid inde oneris sentiunt subditi, illud haud secus, ac alia plura, pub-

liçi

lici boni amore ferendum ; utpote quod protectione, defensione & pace interna, qua sub regimine civili fruuntur, sat superque compensatur.

§. LXXIII. Quoniam leones, ursi, lupi, vulpes &c. ad regale quoque venationis jus pertinent, & sub banno ferino comprehenduntur (§. XLIV. Schol.) (a); hæ autem bestiæ feroces tam hominibus, quam animalibus, ac rebus nostris infestæ sunt: *easdem a principe in sylvis & locis publicis nulla ratione alendas, aut fovendas, sed delendas potius, atque extirpandas esse liquet* (*Cap. I. §. XXXIV.*).

SCHOLION. Providam statuum Imperii in animalibus hisce noxiis eradicandis curam omnium fere locorum saluberrima instituta loquuntur (§. cit. XXXIV. Schol.); in quarundam tamen, veluti vulpium, fibrorum, & castorum venationibus certa tempora observari leges volunt (Cap. I. §. XXII.), ea scilicet, quibus pelles earundem usibus hominum aptissima esse dignoscuntur.

(a) JOH. JODOC. BECK. *de jurisdict. forest. Cap. XIV. §. 1. p. 221. sequ.* Subinde tamen bestiarum ferocium venatio omnibus permittitur. Confer. *II. feud. 27. §. nemo retia.*

§. LXXIV. *Feræ &c. sata atque fruges depapulantes, aliave ratione agris infestæ in districtibus venationum principis ita alendæ, atque conservandæ, ne prædiorum domini, cum insigni fisci & cameræ principis non minus, quam subditorum damno, attritis, aut depastis frugibus omni colligendæ messis spe excidant.*

Ferarum, piscium atque avium species nobiliores tum in usus publicos, & recreationem principis (§§. XXXI. XXXII. & XXXIII.); tum, quod quotidie experientia docet, in communem quoque utilitatem civium & privatorum vel maxime alendæ & conservandæ sunt (Cap. I. §.

XVI.

XVI, & §§. cit.). Enimvero, cum sata & fruges in præsentissimum fisci & cameræ principis emolumentum non tantum, verum etiam ad necessariam vitæ subditorum sustentationem sartas, &, quantum licet, ab omni noxa externa immunes servandi enixior longe obligatio stringat, uti per se patet: in hocce officiorum conflictu conservatio frugum eatenus utique præferenda erit, ut earum species nobiliores æquo servato medio alantur quidem, & conserventur, ita tamen, ne notabile inde agrorum dominis damnum immineat, & depapulatis aut attritis agrorum fructibus subditi cum fame & miseria conflictari necessum habeant. Q. E. D.

SCHOLION. Sublato nimirum abusu, usus servandus, & utrique obligationi ita satisfaciendum, ut ne princeps jure suo excidat, neque justis subditorum querelis ansa relinquatur.

§. LXXV. Quoniam nihilominus tum pro venationibus autumnalibus, & recreatione Principis (§. XXXIII. Schol.), tum in aulæ & culinæ usus modica ferarum copia haud sufficit: optimum erit, *si certi in territoriis districtus*, Wild-Fuhren/ Bann und Hege-Först rc. *banno ferino enixiori muniantur, & alendis in majori copia feris &c. destinentur, vicinis agrorum dominis partim indemnibus præstitis, partim adversus ferarum invasiones agros munire permissis.*

SCHOLION. Atque hoc ita in omnibus statuum Imperii territoriis observari videmus; neque aliæ ab his fuisse videntur sylvæ forestatæ & regales, de quibus §§. XLVIII. *& seq* in scholiis dictum fuit. Plerumque etiam non habent, quod querantur subditi, si aut in custodiis agendis negligentes sint, aut nullis vel modicis pro qualitate locorum oneribus propterea subjaceant.

§. LXXVI. Ex eo porro, quod cum conservatione frugum & satorum conservatio quoque ferarum subsistere

debeat

debeat (§. LXXIV.), nec princeps ad omnes omnino feras extirpandas obstrictus sit (§. eod.); his vero libere in sylvis & campis vagantibus omnis ad unguem depastio devitari nequeat: *Principem ad omnes a feris suis imminentes agrorum depapulationes avertendas, aut præcavendas haud teneri, evidens est.*

SCHOLION. Ni scilicet subditi, modis infra indicandis satis & agris suis ipsi prospiciant: quod nisi fecerint, sibi habent, quod imputent. Tenuia hæc incommoda & damna, longe uberiores fructus secum vehentis civilis Imperii sequela sunt, sub quod dum concedunt subditi, in modica quoque hæcce onera consensisse, atque reipublicæ, seu, qui eandem repræsentat, principi condonasse omni jure censendi sunt (§. LXXVII. Schol.).

§. LXXVII. *Damna modica, a feris animalibus frugibus & satis data, princeps subditis resarcire haud obstringitur.*

Damna modica a conservatione ferarum, qualem esse debere supra demonstravimus (§. LXXIV.), inseperabilia sunt, aut saltem nulla principis, subditorum potius, culpa contingunt (§. LXXVI.). Quapropter, cum ad damna, nulla sui culpa data, resarcienda nemo adstringatur, ac præterea subditi boni publici amore in hæc quantulacunque ex regali venandi jure in ipsos redundantia incommoda, nec non ex ipso subjectionis nexu lubentes consensisse merito reputandi sint (§§. LXXII. & LXXVI. Schol.): principem ad resarcienda damna modica, a feris in agris subditorum causata, haud teneri, indubie constat. Q. E. D.

SCHOLION. Qui contrarium defendunt, principem ad qualecunque, etiam modicum, damnum a feris datum obstrictum esse contendentes (a), summi Imperantis personam cum qualitate subditi aut landsassii manifesto confundunt. Etenim, uti apud hos jus alendi & conservandi feras, in se consideratum, ex jure regali, & superioritate territoriali, veluti in principe (§ LXXIV.),

 haud

haud proficiscitur; nec proin pro remissione damni in vicinis inde agris dati, ulla ex parte subditorum præsumtio militat: ita civili *de pastu*, vel *utili L. Aquil.* aut *in factum* actione (b) a subditis seu landsassis damni dati resarcitionem repeti posse non abnuimus; quæ omnia in principe secus se se habere, ex demonstratis luculenter patescit.

(a) HENR. HILDEBRAND *de conservatione ferarum nociv. §. 7. seq.*

(b) *L. 14. §. fin. π. de P. V. & L. fin. C. de L. Aquil.* GAIL. *Lib. II. obs. 68. n. 8.* GEORG. MOHR *de venat. P. I. c. 4. n. 21.*

§. LXXVIII. *Quodsi Princeps aut territorii dominus cum studio magnam ferarum copiam alat: insignia inde damna subditis data ex æquo & bono resarcienda.*

Etenim hoc casu territorii dominus magnam ferarum copiam cum cura alendo damni insignioris subditis dati causa existit. Quod, quoniam a dante aut causante resarciendum (a); nec etiam in idem consensisse, aut remisisse subditos, nisi ad servilem plane eosdem conditionem deturbare velis, ulla præsumtio militat: a territorii domino ex æquo & bono utique resarciendum esse constat.

SCHOLION. Aliud igitur obtinet, si modica aut minuta damna data fuerint, queis aures Principis ferire subditi merito abstinent (§. LXXII. & LXXVI. Schol.). Aliud quoque dicendum, si, dum in feris alendis Princeps justum medium servat, ab una alterave fera, insigniter fors uni alterive agro nocitum fuerit; cum hic nihil imputari Principi possit, & damnum potius pro casuali habendum sit. Quid clementiæ ratio sub circumstantiis specialibus suadeat? ailud est, nec huc pertinet.

(a) *L. 30. §. 3. π. ad L. Aquil.*

§. LXXIX. Quoniam in forestis & venationum districtibus, pro venationibus præsertim autumnalibus, & in usus

usus Principis enixius banno ferino munitis (§. LXXV.) feræ &c. studiose & in magna copia aluntur: *damna insigniora in hisce locis a feris data non minus ex æquo & bono subditis resarcienda esse patescit* (§. LXXVIII.).

SCHOLION I. Fit resarcitio vel remissione onerum consuetorum, vel frugum æqua pensitatione subditis facta.

§. LXXX. *Subditi agros suos sepibus innoxiis munire, feras e satis & agris abigere, aut sine deterioratione banni ferini custodias agere probibendi haud sunt.*

Regale venandi jus, quantum potest, minimo cum subditorum damno exercendum (§. LXXII.). Et licet modice data subditi ferre obstricti sint (§. LXXII. & LXXVI. Schol.): si tamen hæc quoque sine deterioratione banni ferini mediis idoneis avertere cogitent, nulla, cur impediri debeant, ratio prostat. Unde, quominus subditi sepibus innoxiis agros muniant, feras abigant, & sine deterioratione banni ferini custodias agant, prohibendos haud esse constat.

SCHOLION. Hæc sata & fruges suas custodiendi media ubivis locorum permissa esse in propatulo est, & ordinationes venatoriæ fere omnes testantur.

§. LXXXI. Enimvero, quoniam palis acutis feræ se se facile transfigere queunt, & in construendis sepibus id cavendum, ne feras capiendi aut occidendi periculum sit: ordinationibus venatoriis recte prospicitur, ne *ne pali in ferarum perniciem acuantur*, daß sie oben nicht spizig seyen; *ne foramina relinquantur*, *quibus post ingressum ferarum*, *clausis feræ capiantur*, *atque occidantur*; *ut debitæ altitudinis fiant &c.* Dein quoniam liber quoque feris transitus tum ad quærenda pabula, tum præsertim hyberno tempore ad effugiendas insi-

dias animalium ferocium patere debet: liquet, *cur viæ ferarum*, Wildgassen / und Landrücke / durch welche das Wild von einem Geholz in das andere freyen Gang habe / *apertæ relinquendæ? Cur hyberno potissimum tempore sepes hinc inde aperiendæ? Cur, si extructis sepibus feræ in alienos ferarum districtus diffugere cogantur, & sic banna ferina notabiliter deteriorentur, sepium extructio plane inhibenda? Cur ferarum custodibus nociva arma haud relinquenda, sed feræ potius tympanis, aliisque mediis fugandæ sint &c.*

SCHOLION. Confer. ordinat. venat. passim, interque illas Kayserl. neu verfaste Jäger-Ordnung in Steyer / *d. a.* 1716. §. 9. Befehlen Wir ganz ernstl. Chur-Bayerische Jagd und Forst-Ordnung *Cap. XX.* verbis: Als gönnen und lassen Wir 2c. Item verbis, wo aber hin und wieder im Lande bey den Gehölzen durch die Bau-Felder eingefangene und verfriedete Wildgassen seynd 2c. Chur-Sächsisch. Jagd-*Mandat d. a. 1670.* apud FRITSCH. *p.* 31. Item Chur-Sächsische Lands-Ordnung *art.* 7. verbis: Damit auch dem Wildpret sein Gang nicht gewehrt 2c. & alias plures.

§. LXXXII. Denique cum, quantum potest, sine damno subditorum venationes esse conveniat (§. LXXII.): *in ipsis quoque venationis actibus frugibus & segeti parcendum esse, constat.*

SCHOLION. Vid. MOHR *de jure venand. P. II. Cap. 10. n. 6.* CHARLES le BRET *edits de Blois Lib. III. Cap. 4. in fin.* ubi edictum Regis adducit, quo diserte prohibetur, de chasser sur les terres ensemencées depuis le premier jour de Mars, jusques après la depouille. Sächsisch. Land-Recht *Lib. II. Art.* 61. ibi: Niemand soll die Saat tretten um Jagens / oder Hezens willen / wenn das Korn geschossen / und Glied gewonnen hat.

§. LXXXIII. *Principes & status imperii universali Germaniæ consuetudine, & praxi notoria vigore superioritatis territorialis*

rialis in exercitio regalium, quæ assiduos, & non interruptos labores haud desiderant, operas subditorum imperandi jure gaudent.

SCHOLION. Propositionem hanc extra systema juris publici absque demonstratione sumimus; de ejusdem tamen veritate praxis Germaniæ notoria dubitare haud sinit. *Certe (* sunt verba FROMANNI *de operis subdit. maxime rusticorum (§. XI.) operarum præstationes nunc in Germania, aliisque Europæ regnis ac rebuspublicis per longam & diuturnam consuetudinem ab aliquot retro seculis usitatæ, atque pro lege habitæ sunt.* Quin quod easdem præstandi obligationem ipsum subjectionis civilis vinculum luculenter insinuet: *Quis enim est, qui subditos non teneri putet ad colligendas segetes Principis, & ad serviendum illi, qui vitam & omnia sua pro salute eorum semper tenetur parata habere?* Inquit ARNISÆUS *de Jur. Majest. Lib. II. C. I. p. m.* 161. Levia sane incommoda detrectare non convenit illis, qui tanta ex tutela Principis commoda trahunt. WAHREM. ab EHRENBACH *de Reg. Subs. p. m. 100. n. 7.* Confirmant hocce jus statuum imperii tot de operis subditorum domino territoriali præstandis constitutiones; cujusmodi passim extant. Ex quibus & Principes & status imperii easdem sibi, tanquam regale eximium, vigore superioritatis territorialis tribuere luculenter apparet, uti multis auctoritatibus, & magno Auctorum, idem nobiscum sentientium, numero confirmat cit. modo FROMANNUS *cit. l.* §. 12.; quem adi. Accedunt homagiorum formulæ, quibus consueto more subditi sese zu allem unterthänigen Gehorsam / item zur Reyß / Folg / Musterung und Frohndiensten 2c. adstringunt. vid. MYLER. ab EHRENB. *de Princ. & stat. imp. P. II. C. 38. n. 14.* Nec desunt, quas pro evincenda propositionis seu theseos veritate ex ipsa subditorum, rusticorum potissimum, erga dominos suos territoriales adstrictiori, & ad hominum propriorum nexum in plerisque Germaniæ territoriis accedente indole rationes depromeremus, si modo instituti rationes prolixioribus esse permitterent.

§. LXXXIV. *Subditi vigore subjectionis territorialis dominis suis territorialibus in exercitio regalis venandi juris operas præstare obstricti sunt.*

Etenim regalis venandi juris exercitium est discontinuum, neque operas assiduas desiderat, uti per se patet. Quapropter, cum in exercitio regalium, continuas operas haud exigentium, subditi concurrere, & operas præstare obstricti sint (§. LXXXIII.): idem quoque in regalis venandi juris exercitio dicendum erit. Q. E. D.

SCHOLION. Consentiunt rursus, quotquot ad manus sunt, ordinationes venatoriæ, vigore quarum indistincte hæ operæ imperantur, & in negligentes, aut obstrepentes severæ pœnæ constituuntur. Confer. Kayserl. neu verfaßte Jäger-Ordnung in Steyer/ §. IV. Mißfällig ꝛc. ubi expressis verbis, vigore superioritatis territorialis operas venatorias imperari, innuitur. Chur Sächsisch. Jagd *Mandat de anno* 1670. §. Hierüber müssen ubi in feras in locum destinatum mature transportare, subditis severe præcipitur. vid. quoque FRITSCH. *d. l. P. III. pag.* 16. JOH. JODOC. BECK *de Jurisdict. forest. cap. XVII. §. 1. verbis:* Dann diese Dienste / cum ibi allegatis HARPRECHTIO, MAJERO, FROMMANNO, aliisque pluribus. Neque distinctio facienda inter operas, quæ equis & jumentis, & illas, quæ manuum ope præstantur. Nam cum utrisque in venationis exercitio opus sit: ad priores æque ac posteriores subditos obstrictos esse, nemo non videt.

§. LXXXV. Atque inde *subditos ad feras cogendas, & agendas,* die Umstellung der Hölzer zu verrichten/ das Wild mit einzutreiben/ *nec non captas, occisasque in assignata loca transvehendas; ad ducendos, tenendos, immo subinde etiam alendos canes venaticos; ad advehendas & expandendas plagas, zonas & retia; ad construendas sepes,* Wild-Häger und Wild-Zäune/ *aliaque similia peragenda, a territorii dominio evocatos promte comparere, & debitam principis mandatis obedientiam exhibere obstrictos esse, patescit.*

SCHOLION. Idque tum potissimum, quando princeps in propria persona innocuo venationis exercitio lassatas animi vires recreat,

at, citra fœdissimum præterea ingratitudinis vitium recusare nequeunt; mirari sane ut subeat, esse subinde maleferiatos, qui imaginariæ libertatis, aut exemtionis obtentu, tantillum principi suo dare renuunt.

§. LXXXVI. Ex eo porro, quod in hoc genere præstationum exemtio unius non possit non cedere in gravamen & detrimentum alterius; *exemtiones ab operis venatoriis pagis & cummunitatibus non facile indulgendas, multo minus in dubio præsumendas esse, haud difficulter colligitur.*

SCHOLION Exemtiones hujus generis nullo non tempore pro odiosis habitæ fuere, quippe quæ raro aut nunquam sine præjudicio aliorum subditorum conceduntur.

§. LXXXVII. *Operæ venatoriæ a subditis ita exigendæ, ut nec ab officio divino, nec a consuetis suis, & necessariis laboribus præter modum avocentur.*

Primum patet ex cummuni principis Christiani officio. Alterum ex eo colligimus, quod regale venationis jus cum minimo subditorum damno exercendum (§. LXXII.); quod sane majus esse nequit, quam si subditi neglectis agriculturæ, messium & vindemiæ laboribus, continnis venationum operis distineantur. Unde patet asserti veritas. Q. E. D.

SCHOLION. Id minime omnium princeps feret, ut a præfectis, & saltuariis præter necessitatem durius tractentur, & absque misericordia fustibus & verberibus excipiantur. vid. SECKENDORFF Teutschen Fürsten Staat *P. III. Cap. III. Sect. V.* §. 8. *p.* 451, MAIER *de Jur. Venandi Cap. XIII. Thes.* 19. *p.* 311. *seqq.* JODOC BECK. *de Jurisd. forest. cit. l.* §. 4. addens: Daß die gar alte Leute / die ohne das nicht mehr fortkommen/ sehen/ oder die Kälte vertragen können / billich als emeriti von der Herrschafft von denen Frohn-Diensten bey der Jagd zu befreyen.

§. LXXXVIII,

§. LXXXVIII. *Operæ venatoriæ regulariter sunt gratuitæ.*

Operæ venatoriæ nec continuæ sunt (§. LXXXIV.), nec ab ordinariis & consuetis laboribus, quibus subditi victum quærunt, avocant (§. LXXXVII.). Quapropter, cum præterea ex subjectionis lege præstandæ veniant (§. LXXXIV.): nulla apparet ratio, cur pro earundem præstatione pendi quidpiam debeat. Proin gratuitas esse apparet. Q. E. D.

SCHOLION I. Hoc ita, nisi aliud consuetudine obtineat, aut insolitis, aut insuetis venationum laboribus cum dispendio rei domesticæ prægraventur; quo casu tamen facta repartitione vicibus mutuis debitas principi operas præstare solent.

SCHOLION II. Qua ratione princeps subditos suos refractarios ad operarum præstationem cogat, ex communissimis juris compendiis notum est; nimirum, captione, mulcta, carceratione, relegatione, & aliis modis, queis contumaces in republica puniri, & ad officium reduci sueverunt. BORCHOLT *Conf. IX. Qu.* 1. *n.* 6. Aliæ huc pertinentes propositiones suis commodius locis demonstrabuntur.

CAPUT III.

De regali venationis jure in fundis privatis.

§. I. *Fundos privatos* dicimus, qui in dominio subditorum existunt (Cap. II. §. VI.).

SCHOLION. Quales sint subditi, non refert: an personæ singulæ, an universitates & corpora? an nobiles, an ignobiles? *Privati*

vati siquidem vocabulum *publico* hic solum contradistinguimus.

§. II. *Libero venandi jure in fundis privatis subditis patente, regale venandi jus principi ac reipublicæ in fundis civitatis publicis competens (Cap. II. §. XXXVII.) salvum subsistere nequit.*

Bannita principis foresta, sylvæ, montes, lacus &c. tam arcta custodia concludi, aut muniri nequeunt, ut non liber hinc inde feris, piscibus & avibus exitus relinquatur, quo in circumjacentes vicinos subditorum agros sese conferant, ipsa natura ad quærenda pabula feras nunc huc, nunc illuc impellente; idque de piscibus & avibus multo magis verum est, his præsertim e fundis privatorum ægre arcendis. Quodsi igitur liberam in fundis privatis venandi licentiam cunctis patere ponas: amplissima subditis potestas relinquitur feras, pisces & aves nobiliores in fundis principis & forestis publicis degere, & conservari solitas (Cap. II. §. LXXV.), e sylvis & venationum districtibus egressas pro lubitu capiendi & occidendi; consequenter principem & rempublicam omnibus ex regali venationis jure in fundis publicis percipiendis utilitatibus in totum frustrandi. Qua libertate cum certo certius, & ad excessum usque usuri essent subditi (Cap. II. §. XXXII.); regale venandi jus principi & reipublicæ in fundis publicis competens cum plena venandi licentia in fundis privatis salvum & integrum subsistere non posse, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION I. His adde, quod hac in fundis privatis venandi libertate vigente princeps & respublica a furibus ferarum sufficienter sibi cavere vix posset; tum propter liberum armorum & instrumentorum venatoriorum usum; tum, quod feris, piscibus & avibus data opera in fundos privatorum actis, furtivis suis contrectationibus nunquam pallium defuturum sit.

SCHOLION. II. Quodsi principem sylvas & loca publica sepibus munire posse dicas: responsi loco habe, quod (Cap. II. §. XXXII. in Schol.) simili objectioni regessimus.

§. III. *Eodem hocce venationis statu in fundis privatis vigente subditi ab agricultura, opificiis, commerciis, & civili vivendi ordine abducuntur.*

Quodsi semel scirent homines, venationis præsertim studio, sicuti Germaniæ populi, (Cap. II. §. XXXII.), præ aliis dediti, posse se insectando feras, pisces & aves qualitercunque vitam sustentare: plerique, uti ad otia proclive est genus hominum, duros agriculturæ labores fastidituri, sepositis aratris, & arreptis sclopetis venationibus totos sese consecraturi essent, sylvas, campos, & nemora potius *cursitaturi*, quam domi cum conjuge & liberis vixuri; uti barbararum, ab agresti & inculto hoc vitæ genere difficillime abducendarum, gentium exemplis plurimis edocemur. Enimvero cum in republica potissimus opificiorum, & commerciorum flos a serio cultis agrorum fructibus dependeat, id quod perspicacioribus obscurum esse nequit: hoc ipso quoque opificia & commercia corruitura esse apparet. Quapropter, cum in vitæ sustentatione, ex agricultura, opificiis, & commerciis quæsita, *civilis vivendi ordo* consistat: juxta cum agricultura, opificiis & commerciis, civilem quoque vivendi ordinem in hac venandi libertate profligatum iri evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. I. Quoniam illimitata venandi libertate, in fundis præterea publicis vigente, hæc multo magis consecutura sunt: argumentum præsens cum sequentibus, non minus contra permissionem venationis in fundis civitatis publicis, quam privatis valere, ac roboris habere patescit.

SCHO-

SCHOLION. II. Ceterum demonstrationes morales esse adverte, ab iis desumtas, quæ fiunt ut plurimum, & quæ hunc venationis statum probabiliter comitatura sunt; quibus in republica, ubi de legibus, & juribus condendis agitur, maximum pondus inesse nemo dubitat, & clare innuit POMPONIUS *L. 3. π. de LL. Jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, id est, ut plurimum accidunt.* Item CELSUS *L. 5. eod. Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facile, quam quæ perraro eveniunt.* Licet ipsa quoque experientia asserto haud dubiam fidem faciat; cum plerumque ea loca, ubi subditi hac venandi libertate gaudent, non nisi miseros, & cum egestate luctantes, parumque bonæ frugis homines alant.

§. IV. *Ferarum, piscium, & avium optima genera extinctum prorsus, atque extirpatum irent.*

Demonstratio eadem est cum demonstratione propositionis §. XXXII. Cap. præcedentis. Quod autem destructio hæc ferarum &c. venandi licentia in fundis etiam privatis tantum patente adhuc consecutura sit: ex dictis (§. II.) facile colligitur. Adde, quod volatilia pleraque in campis & agris apertis, quales sunt plerumque fundi subditorum, degere ament. Unde hoc venationis statu in fundis privatorum recepto feras nobiliores plerasque aut extinctum iri, aut raras futuras necesse est. Q. E. D.

SCHOLION. Ad experientiam rursus provoco locorum, ubi nulla lex venationis prohibitoria prostat (Cap. II. §. XXXII. in not.).

§. V. *Improbis, atque otio deditis hominibus latrociniis & cædibus infestandi rempublicam in hocce venationis statu amplius campus patescit.*

Cum hoc venationis statu, qui ruri degunt, plus venationibus, quam agriculturæ laboribus vacaturi essent (§. III.):

 non

non posset non evenire sæpius, ut necessariis ad vitam alimentis, & vestitu destituerentur, feris præsertim per venationes frequentes rarioribus effectis (§. IV.). Quapropter, cum otium malorum omnium origo esse soleat, & conjuncta cum dira egestate necessitas improbos ad audendum quidlibet facile impellat: pronam liberis hisce venatoribus, Frey-Jägern/ arma ad manus habentibus, in sylvis & locis solitariis ad spolia, cædes, & latrocinia committenda viam relinqui, nemo non pervidet. Q. E. D.

SCHOLION. Demonstrationem denuo probabilem tantum, & verosimilem esse apparet. Verum probabiliter quoque futura, & imminentia mala prohibitionibus salutaribus anteverti posse, ex supra dictis, allegatisque legibus elucescit (§. III. Schol. II.).

§. VI. Inde vero *publicam interituram pacem & securitatem internam e republica profligatum iri, prono consecutionis filo deducitur* (§. V.).

SCHOLION. Fierent hoc casu villæ & pagi tot fere speluncæ latronum, & loco subditorum, nonnisi viarum publicarum obsessores, atque deprædatores civitas aleret.

§. VII. Porro, cum in hac venandi libertate, propter venatorum frequentiam, non possent non tum ratione occupationis, vulnerationis, & apprehensionis ferarum, tum propter attrita sata & fruges, aliasque ob causas multæ oriri controversiæ: *hunc venationis statum rixarum, discordiarum, immo cædium inter subditos fæcundam matrem futuram esse, apparet.*

SCHOLION. Nec injuriarum actio, qua jure Romano adversus prohibitionem domini, fundos alienos venandi gratia ingressi pulsabantur *L. 13. §. fin. π. de injuriis*, sufficiens hisce inconcinnitatibus obviandis medela fuit; utpote quas ex una tantum parte inde cessasse apparet, inter ipsos venantes amplo dissidiorum campo relicto.

§. VIII.

§. VIII. *Denique stante promiscua in fundis privatis venandi licentia, subditi laxato civilis subjectionis vinculo ad rebelliones & arma, adversus superiores suos arripienda, facillime concitantur.*

In promiscua hac in fundis privatis venandi licentia subditis usus quoque armorum, utpote sine quibus venationes peragi nequeunt, integer sit, necesse est. Quapropter, cum venatoriis præterea exercitiis innutriti ad expeditiones bellicas promti, paratique efficiantur: rude & agreste genus hominum, exorbitantis libertatis amans data, minima quavis occasione aut ansa, excussa omni erga superiores suos obedientia, facillime insurgere, & sic motibus internis, rebellionibus, atque cædibus totam nullo negotio rempublicam miscere posset; ac proin hunc venationis statum rebellionum atque motuum internorum feracem esse nemo est, qui non videat. Q. E. D.

SCHOLION. Armorum promiscuus usus rebuspublicis, præsertim monarchicis, semper infestus, & rebellionum, atque motuum intestinorum amplum promtuarium fuit. In deductione Hohenzollerana adversus venationem liberam, Freye Bürsch / subditorum suorum apud celeberr. MOSERUM Reichs-Fama *Tom. III. Cap. XII.* (Cap. II. §. XXXI. Schol.) inter alias inhibitæ venationis liberæ causas, hæc quoque non infimi momenti ratio occurrit: quod scilicet arrepta ex libera venandi licentia, & qui eam consequitur, promiscuo armorum usu; ansa, subditi intra sæculi unius spatium quinquies adversus Principem dominum suum territorialem insurrexerint, & fidei homagialis obliti debitam superiori suo obedientiam denegarint. Plura exempla circumspicientibus haud deerunt. Nec a vero abludunt, qui inter alias, hanc quoque ob causam, FRIDERICUM Imp. II. *feud.* 27. §. *nemo retia* proclivibus tum tempore ad rebelliones tam Italis quam Germanis venationis exercitium interdixisse statuunt. Vid. D. HESSE *de venat. juxta Jus Germ.* §. *XIII.* ibi: *Nec unica illa ratio, qua de discordiis ex venationibus oriundis desumitur, movere*

potuit legislatorem dictam legem ferendi; sed ex circumstantiis illius temporis colligitur, Imperatorem subditis venandi studio inter alia propterea interdixisse, quod frequentem armorum usum manibus illorum, pacem publicam tuendi gratia sensim excutere, nec non, nisi adversus lupos & ursos permittere voluit. Arma quippe in subditorum manibus nonnisi parce & caute relinquenda.

§. IX. *Liberum venandi jus in fundis privatis in republica bene ordinata subditis relinquendum haud est.*

Etenim cum libero venandi jure in fundis privatorum jus venandi regale in fundis publicis Principi & reipublicæ competens subsistere nequit (§. II.); subditi ab agriculturæ laboribus & opificiis, imminuto commerciorum flore abducuntur (§. III.); ferarum, piscium & avium nobiliora genera, aut rarescunt, aut extinguuntur penitus (§. IV.); securitate omni profligata (§. VI.), latrociniis, cædibus, jurgiis, litibus & rixis implentur omnia (§§. V. & VII.); denique ad rebelliones & motus internos lata porta panditur (§. VIII.). Enimvero suum Principi & reipublicæ regale venandi jus sartum & intemeratum servari maximopere refert (Cap. II. §§. XXXV. & XXXVII); neque magis talis, qualem ex libera in fundis privatis venandi licentia summa probabilitate secuturum esse hucusque demonstravimus, status cum rite ordinato regimine civili consistit, uti facile omnes largientur. Liberum igitur venandi jus in fundis privatis subditis relinquendum haud esse constat. Q. E. D.

SCHOLION. Liberum itaque venandi jus e fundis privatis non minus, quam e fundis publicis (Cap. II. §. XXXVI.) sanior politica omni modo proscriptum, atque eliminatum vult. Id quod, dum libertatis venandi propugnatores probe perspiciunt, aut in jure exotico, ad patrios mores parum applicabili, aut in rudi, & turbido Germaniæ, tanto adhuc in ordinando regimine civili ἀκριβείας impatientis, statu antiquo fragile subsidium quærunt; ipsos

ipsos licet Germaniæ populos satis mature ad rectioris disciplinæ politicæ instituta rediisse, in sequentibus affatim simus demonstraturi. Quantas inconcinnitates pluribus commune, die Kuppel-Jagd / ne dum promiscuum venandi jus, parere soleat: convenationum in Germania usitatarum exemplo Cap. V. illustrabimus.

§. X. *Eadem, aut pleraque saltem hucusque (§§. II. III. & IV. sequ.) recensita, demonstrataque incommoda adbuc consequuntur, si latiori in fundos privatos introducto dominio (Cap. II. §. VIII.) subditi agrorum & prædiorum possessores sive ex jure occupandi privativo (Cap. eod. §. XI.), sive ex jure dominii (ibid. §. X.) feras tanquam fructus & fundorum suorum accessoria sibi vindicent.*

Quoniam in hac hypothesi subditis prædiorum dominis jus venandi privativum, aut dominium interimisticum in feras, in fundis suis vagantes, competit (§§. cit.): perinde, sicut in casu venationis liberæ (§. II. & IX.) indistinctim omnibus, ita nunc sigillatim prædiorum possessoribus iisdem prorsus de causis e sylvis & venationum districtibus partim sponte egredientes, partim studio exactas feras intercipiendi, consequenter venationis loca publica optimo ferarum genere denudandi, atque sic utilitatibus ex hocce regali suo jure percipiendis, rempublicam frustrandi amplissimus campus relinquitur. Neque etiam minor ad furta ferarum committenda via patet (§. II. Schol.); quin, præterquam quod neglectæ agrorum culturæ, opificiorum, & commerciorum in pejus ruituri floris, atque periclitaturi civilis vivendi ordinis (§. III.) causæ in totum haud cessaturæ sint. Inter tot, tamque diversos juris venandi & ferarum dominos stante hoc venationis in fundis privatis statu, discordiarum litiumque uberiorem longe segetem enaturam esse nemo non videt. Cumque non minus hoc casu subditis armorum usus

patcat,

pateat: idem prorsus latrociniis & caedibus committendis, rebellionibus & motibus intestinis suscitandis, consequenter pacem publicam evertendi, fomentum subministratur (§§. V. VI. VII. & VIII.). Ut adeo, si rem probe pensites, eundem turbidum reipublicae statum, quem liberi venandi juris in fundis privatis fructum esse demonstravimus (§. II. sequ.), **in hypothesi introducti cum latiori dominio in fundos privatos juris venandi privativi, & dominii in feras, consecuturum esse appareat.** Q. E. D.

SCHOLION. Atque has inconcinnitates non in vanis solum conjecturis consistere, ipsis rerum momentis satis comprobatur; easque principes & territoriorum domini in iis suis venationum districtibus, in quorum vicinia privati (§. I.) praediorum possessores jura venandi ex privilegio, vel ex immemoriali usu exercent, cum ferarum suarum excidio quotidie persentiscunt.

§. XI. *Jus venandi privativum, sive dominium in feras, pisces & aves in fundis privatis, subditis praediorum dominis in rite ordinato regimine civili non magis, quam cunctis patens in iisdem venandi libertas (§. IX.), permittendum.*

Etenim liberum venandi jus in recte ordinata republica ex deductis supra (§. II. seq.) rationibus tolerandum haud est (§. IX.). Quapropter, cum jus venandi privativum & dominium in feras &c. subditis in fundis suis indistinctim permissum non minus tranquillitatis publicae, & civilis vivendi ordinis (§. III.) everriculum sit, atque pari prorsus ratione in regalis venandi juris, quod principi in fundis civitatis publicis competit, detrimentum vergat (§. X): non magis hoc, quam illud in recte ordinato regimine civili tolerandum, aut subditis relinquendum esse apparet. Q. E. D.

SCHO-

SCHOLION. I. Adde, quod in minutis agrorum divisionibus, quales plerumque subditorum esse solent, latius hocce dominium ad feras quoque, pisces & aves extensum citra inconcinna plura alia consistere vix queat, & ridiculum videatur dominium, quod de momento fere in momentum ad alium proprietarium transit; id quod tamen in vastissimis, queis territoria circumscribuntur, terrarum tractibus aliter sese habere jam supra (Cap. II. §. IX. Schol.) monuimus. Alias hujus exclusionis subditorum rationes infra (§. XIV. & XV.) elucidabimus.

SCHOLION II. Porro, cum motiva & rationes, ex quibus subditos a venandi jure privativo arcessendos esse hucusque evicimus, pleræque, eæque potissimi momenti universales sint: inter subditos hactenus non distinguimus (§. I. Schol.); proin hæc exclusio ad landsassios non minus, quam inferioris ordinis cives protendenda, hac solum observata differentia: quod principes prioribus, scilicet landsassiis, venandi jura in fundis & prædiis propriis, aut noviter in eosdem collatis largiori manu concedere soleant. De cujus concessionis subordinatæ indole Cap. V. pluribus acturi sumus.

§. XII. *Jus venandi, & dominium in feras &c. fundos privatos neque accessionis jure sequitur, neque pro fructu fundi ad subditos, qua prædiorum dominos, pertinente recte reputatur.*

Subditi a venandi jure, & dominio in feras in fundis suis jure optimo excluduntur (§§. IX. & XI.). Accessio itaque & pertinentia eorundem haberi nequit. *Quod erat primum.*

Porro, quoniam a venandi jure & dominio in feras exclusus provenientes ex venationibus fructus atque utilitates suas facere nequit, uti per se patet: venandi jus & inde percipiendas utilitates perperam pro fructibus fundi privati ad ejusdem proprietarium dominii jure pertinentibus haberi liquet. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Sunt equidem fructus & accessoria fundorum, non solum publicorum (Cap. II. §. XLVI.), sed, si velimus, etiam privatorum; quæ tamen juxta mox demonstranda, alterius, quam principis fieri, aliusve, quam hujus beneficio percipi, juris publici universalis rationes haud ferunt. Verum id quoque haud gravate largimur, posse venandi & piscandi jura, quando ex liberalitate & concessione Principis in subditos translata, eorumque prædiis annexa fuere, sub pertinentiarum & accessionum nomine comprehendi, modo, quod infra pluribus inculcabimus, probe advertas, alias esse pertinentias & accessoria juris publici, a Principe sive summo magistratu unice derivanda, alias pertinentias & accessoria juris privati. Quam differentiam qui insuper habent, &, quas in chartis antiquis, & diplomatibus medii ævi fundorum pertinentias, utilitates, appendicias, & accessiones longa serie recensitas legunt, ad unam eandemque classem referunt: mirum non est, si stabilitis hucusque juris publici universalis rationibus parum convenienter, cum BILDERBECKIO (a) aliisque (Cap. II. §. XL. Schol. II.) venationes pro jure fundi vulgari habeant, solide confutati ab AUCTORE nunquam satis laudando *deductionis* vor die Jagd-Regalität/ BILDERBECKIO oppositæ *Cap. III.* §. *X. p. m.* 75. *& seq.*, ubi plurium diplomatum fide inter pertinentias & accessiones fundorum tam monetæ, pedagiorum, teloneorum, & his similia regalia, *quam* accessiones, & dominii vulgaria jura relata fuisse docet.

(a) *Deduction* gegen die vermeyntliche Regalität der Jagden. *Cap. II. Sect. III. per tot.*

§. XIII. Quoniam itaque, præscindendo a concessione Principis, juris publici universalis rationes prægnantissimæ subditos a jure venandi, & occupandis feris, piscibus & avibus (nobilioribus nimirum) in fundis etiam suis arcent (§§. IX. & XI.): *feras, pisces & aves nobiliores in fundis privatis, respectu ad subditos habito, dominio vacuas, & inoccupabiles censendas esse, apparet.* (*Opusc. VIII.* §. *XXVIII. sequ.*)

§. XIV.

§. XIV. Principi, & in genere ſummo magiſtratui condignos reditus conſtituendos, ac propterea rerum quarundam dominia, vel ſaltem eaſdem ſuas faciendi jura Principi privative relinquenda eſſe, intimior civitatis indoles inſinuat (Cap. I. §§. III. IV. & V.). Opuſc. X. §§. CIV. & CV. Enimvero ad harum rerum claſſem feræ, piſces & aves omnium aptiſſime, & citra notabile ſubditorum diſpendium referuntur (ib. §. CX.). *Feras igitur, piſces & aves a ſubditis in fundis etiam ſuis dominio vacuas, & inoccupatas relinquendas eſſe, nova ratione pateſcit.*

§. XV. Cum autem omnis in ſubditis, qua talibus, obligatio in ſummo imperante jus ponat, idque in caſu præſenti juris majeſtatici, condignos ſibi & reipublicæ reditus atque regalia conſtituendi, nomine efferatur (ib. §. CIV.): *poteſtatem quoque & jus Principis in feras, piſces & aves ex majeſtatico regalia & reditus publicos conſtituendi jure concipimus (§. XIV.).*

SCHOLION. Hi igitur ſunt fontes illi limpidiſſimi, ex quibus regale venandi jus, Principi in univerſo territorio competens, derivandum, quosque AA., qui de venandi jure ſcripſere, paſſim indigitant.

§. XVI. *Feræ, piſces & aves in fundis privatis in dominio Principis efficaci (Cap. II. §. VI.) exiſtunt; vel ab hoc ſolo ſaltem, cum excluſione ſubditorum occupabiles eſſe concipiuntur.*

Quidquid intra fines reipublicæ conſiſtit, & neque privatis dominii jure quæſitum eſt, neque etiam in proprietatem redigi plane reſpuit (Cap. II. §. II. Schol.): id omne in reipublicæ publico & efficaci dominio conſtitutum eſſe intelli-

telligitur (Cap. eod. §§. V. VI. & VI.). Quapropter, cum feræ, pisces & aves in fundis privatis, juxta hactenus demonstrata, neque in dominio sint subditorum (§. XIII.), neque tamen in proprietatem redigi implicent (Opusc. VIII. §. CLIII.): easdem in dominio Principis & reipublicæ efficaci existere, evidens est.

Feræ, pisces & aves in fundis privatis, respectu ad subditos habito, sunt res dominio vacuæ, & inoccupabiles (§§. XIII. & XIV.). Quoniam nihilominus in se occupari possunt, debentque (§§. XIV. & XV.): solum Principem seu summum magistratum feras &c. occupandi, & cum exclusione subditorum, suas faciendi jure instructum esse, patescit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Quod scilicet ad neminem privatorum pertinet, ad omnes referendum, sicque ad Principem, omnium imaginem, ceu ex GROTIO & BECKMANNO recte defendit HERTIUS *de superioritate territ.* §. 47. STRYCK. *in U. M. Pand. Tit. pro derelict.* §. I. Paulo aliter jus, seu dominium Principis in feras demonstrat SCHILTERUS *exercit. ad π. XLV. §. IV*; nobis tamen minime adversus.

§. XVII. *Dominium Principis in feras, pisces & aves, sive jus easdem in fundis privatis cum exclusione subditorum occupandi, ad regalia Principis & reipublicæ jura pertinet.*

Regalia jura dicimus, quæ summæ in republica potestati qua tali, soli atque privative competunt (Cap. I. §. II.). Quapropter cum dominium in feras &c., vel jus saltem easdem occupandi privativum in fundis subditorum soli Principi atque reipublicæ jure optumo maxumo vindicaverimus (§. XVI.): idem inter regalia Principis & reipublicæ jura omnino collocandum esse apparet (§. XV.). Q. E. D.

SCHO-

SCHOLION. I. En! quas pro adstruendo regali hocce eximio, eoque solis summis imperantibus vindicando defæcatior juris publici universalis doctrina rationes & fundamenta suppeditet; quamque, diplomatum fide & ex historia imperii ulterius nunc adstruenda, Germaniæ Principum instituta ex asse cum vera non simulata prudentia civili consentiant; sane ut regalitatem venandi juris impugnantium leves nebulas citra pulveris jactum displodere liceat.

SCHOLION. II. Cum Cap. præced. regale venandi jus in fundis publicis non minus evidenti luce donaverimus, patet jam integritas hujus regalis in universa republica in fundis tam publicis quam privatis (Cap. II. §. XXVII.), licet ex diversis nonnihil fontibus utrumque deductum fuerit.

§. XVIII. *Regale venandi jus Principi ac reipublicæ in fundis privatis competens (XVI. & XVII.) non est servitus.*

Jura, quæ ex summo imperio profluunt, & in agris privatis potestati civili, qua tali, competunt, perperam & nonnisi inepte admodum servitutum nomine insigniuntur; utpote in quarum censum vulgaria solum & regularia prædiorum jura, quibus tum in prædiorum nostrorum, tum in propriam personæ utilitatem in fundis alienis fruimur, referenda veniunt. Cum igitur, sive regale venandi jus in fundis privatis ex dominio civitatis publico (§. XVI.), sive ex aliis summi imperii juribus (§§. IX. XI. XVI. XVII.) deducas, summæ semper potestatis civilis fructum idem esse appareat (§§. cit.): inepte admodum faciunt, qui Regale venandi jus in fundis privatis ad jurium servitutis classem deturbare conantur. Q. E. D.

SCHOLION. Quid ni etiam dominii eminentis, collectandi, steuræ aliaque his similia regalia jura ad servitutes prædiales referunt? Sed videtur male sibi constans hæc doctrina illorum temporum fructus esse, quibus juris studio operam navantes non nisi servitutibus Romanorum capita farcire solebant. Rectius itaque

que cum SCHNEIDERO *de Jure prævent. circ. venat.* §. 5. dicendum: quod ſtatus imperii invitante ipſos jure ſuperioritatis & vi illa imperii, quam in privatorum agris (juxta demonſtrata hactenus) jure optimo ſibi vindicant, ac tuentur, jus hocce ſibi aſſeruerint. Regale nimirum venandi jus in fundis publicis, dominii publici (Cap. II. §. XXVIII. & XXX.), in privatis vero tum ejusdem dominii, tum imperii civilis proprie talis fructus eſt. Confer. SCHILTER. *Exercit. ad π. XLV.* §. 4. Quatenus jura imperii inter diverſos populos, & ſubordinate conceſſa regalia inter landſaſſios, ad ſervitutum indolem & naturam accedant, de eo Cap. ſeq. IV. & V. diſpiciemus pluribus.

§. XIX. ***Ante interregni magni tempora bannum ferinum (Cap. II. §. XXI.), id eſt, venandi jus privativum, & dominium in feras, piſces & aves in fundis etiam & terris ſtatuum imperii propriis, multo magis in prædiis ſubditorum inferioris ordinis, a ſolo Imperatore impetrari potuit ac debuit.***

Status imperii ante interregni magni tempora bannum ferinum, & privativum venandi jus in fundis & terris, etiam propriis, non niſi ex largitione & conceſſione imperatoria obtinuiſſe atque exercuiſſe, indubia chartarum publicarum & diplomatum fide edocemur (Schol. ſequ.). Quapropter, cum a ſtatibus imperii, utpote eminentioris longe dignitatis, ad ſubditos imperii inferioris ordinis tuto argumentari liceat: ſtatus imperii, & multo magis ſubditos inferioris ordinis alios, bannum ferinum, ſeu privativum venandi jus ſola imperatoria conceſſione obtinere, atque exercere potuiſſe, ac debuiſſe liquet. Q. E. D.

SCHOLION. Sic a. 1000. OTTO III. Epiſcopatus Wirceburgenſis loca quædam & prædia banno ferino munit teſte diplomate, quod extat apud LUNIG. Reichs-Archiv. *Spicileg. eccleſ. P. II.*

P. II. tit. Würzburg. *n. 5. p. 934.* ibi: *Concessimus potentiam, ut omnis sylva, quæ ad castellum Bernheim seu ad villam Luttershausen dictam pertinere videtur, sicut nostri juris publicum forestum, tuta ac defensa, munita ac in perpetuum forestata habeatur, quatenus nullius hominis magna, sive parva persona in eodem foresto venationem aliquam exercere, cervum, cervam, aprum, sive apram, ursum, sive capreolum capere præsumat. Siquis igitur hoc facere, quod absit, ullatenus ausus fuerit: ita nostrum imperiale bannum componat SS. Wirceburgensi Ecclesiæ memoratæ, uti in nostris publicis forestis aliquam caperet feram.* HENRICUS Sanctus de a. 1002. in diplom. Osnabr. apud LUNIG. *Spicil. eccles. P. II. Cap. 4. tit.* Oßnabrück/ §. 5. *p. 578.* verbis: *Insuper etiam ad ejusdem Ecclesiæ quoddam nemus vel forestum - - - - - - cum omni integritate, in porcis videlicet sylvestribus atque cervis, omnique venatione, quæ sub banno usuali more deputatur, in perpetuum proprietatis usum donavimus &c.* Bannum ferinum ex sola Imperatorum largitate tum temporis profluxisse, satis declarat. Clarius idem liquet ex diplomate ejusdem HENRICI Sancti de a. 1008. apud LUNIG. *Spicil. eccles. P. II. tit.* Lüttig, *n. 20. p. 492.* quo Balderico Leod. Episcopo, uti & Balderico comiti bannum ferinum in propriis suis sylvis ex imperatorio jure confert, verbis: *Bannum nostrum bestiarum Balderico sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Præsuli, nec non Balderico Comiti super eorum proprias sylvas, quæ sunt inter illa duo flumina - - - - - - - per hanc nostram paginam concedimus atque largimur, & de nostro jure in eorum jus ac dominium transfundimus &c.* Ex Charta Elvvacensi ejusdem Imperatoris de a. 1024. apud LUNIG. *d. l. P. III. Cap. 5. tit.* Elwangen/ ibi: *Nos per intercessionem dilecti nostri Eberhardi Bambergensis sedis primi Episcopi, & Beringarii Elvvacensis cœnobii Abbatis - - - - - - - quandam sylvam, Virgunda dictam, ad Elvvacense cœnobium pertinentem per nostram imperialem potentiam legali banno forestum fecimus cum omnibus terminis ejusdem sylvæ &c.* & in fine: *Sit hæc sylva cum omnibus prædictis finibus præfata Ecclesiæ, nostro banno, in legale foreste a modo firmata, cum omnibus, quæ in foresti aut ferabii*

bi, aut nominari possunt, utilitatibus. Ex charta CONRADI II. de a. 1033. apud LUNIG. *d. l. P. II. in append. tit.* Minden/ *n. 11. p. 108;* qua dictæ Ecclesiæ Episcopo bannum ferinum concessit in propria quadam Episcopi sylva, verbis: *Supplicans, quatenus nos quoddam forestum sui juris per imperiale nostrum præceptum forestari faceremus - - - - - - - proinde imperiali præcipimus auctoritate ut nullus in eodem foresto, venationis exercitium præter prædictæ Ecclesiæ Episcopi consensum agere præsumat.* Ex charta HENRICI III. de a. 1049. apud LUNIG. *cit. l. tit.* Passau *n. 20. p 771.* qua bona quædam Episcopi jam tum propria banno ferino auget. Ex charta LOTHARII Saxonis de a. 1132. apud LUNIG. *d. l. P. III. tit.* Walckenried/ *n. 1. p. 842. & 843.* ubi Abbatissæ dicti cœnobii, in quibusdam suis terris bannum ferinum imperatoria munificentia largitur, verbis: *Quod Adelheida sanctæ conversationis mulier, Deum heredem sibi faciens, locum quendam Walckenried nominatum, qui sui juris erat, ob remedium animæ & suorum divino cultui mancipavit. Nos itaque æternorum non immemores - - non solum confirmamus, verum etiam contigua quadam adjicientes, & jus nostrum, quod Wildbann dicitur, eidem loco permittentes regia nostra potestate amplificavimus, & auximus &c.* Quæ & aliæ concessionum chartæ plures, status imperii, consequenter, & a potiori reliquos quoque imperii subditos bannum ferinum in fundis & terris proprii juris nonnisi ex largitate munificentia & concessione Imperatorum impetrare, atque exercere potuisse, sat liquido perhibent. Queis junge constitutionem CONRADI Salici Imp. de a. 1029. apud SCHILTERUM *Exercit. XLV. §. 6. In sylvis campis, fluminibus & paludibus forestatis, & banni nostri districtu circumvallatis, ea ratione bannum facimus, ut nemo ulterius in eisdem absque domini, suorumque heredum licentia potestatem habeat venandi, sagittandi, retia, aut laqueos ponendi, aut alio ingenio feras decipiendi, quæ merito sub jure banni continentur;* ex qua, banni ferini, sive juris venandi privativi (Cap. II. §. XIX.) constituendi potestatem solos sibi Imperatores vindicasse, haud obscure patescit. Confer. Magnifici D. Procancellarii Regim. Hasso-Marpurg. J. ADAM KOPP *Deduct. pro Venat. Ysenburgica Cap. I. §. 6. in fin.*

§. XX.

§. XX. *Bannum ferinum ante interregni tempora in univerſo imperio, fundis tam publicis, quam privatis ſolis Imperatoribus tanquam regale, & reſervatum eximium competiit.*

Bannum ferinum in ſylvis regiis, & curtibus dominicis, aliisque fundis publicis ſolos ſibi Impp. vindicaſſe, ex demonſtratis (Cap. II. §. XXXIX.) liquet. Enimvero ne in fundis quidem privatis regale hocce eximium quempiam aſſerere ſibi auſum, quin potius in his non minus, quam in fundis publicis, juribus idem imperatoriis annumeratum fuiſſe, atque ex hoc, non alio fonte ad ſtatus imperii, aut alium quemlibet dimanaſſe, diplomata, Osnabrugenſe de a. 1002. Leodienſe de a. 1008, Walckenriedenſe de a. 1132. aliaque plura (Schol. præced.) in quibus *ſua* hæcce jura Impp. nuncupant, indubium ſinunt, confirmantibus idem prohibitionibus Imperatorum, vi quarum ſubditi cujuscunque ordinis ab omnibus venationibus, exceptis iis, quas adverſus beſtias feroces ſui rerumque ſuarum defenſio ſuſcipere jubet, arcentur (Schol. ſequ.). Unde banum ferinum ante interregni tempora ad jura Imperatorum reſervata, & regalia eximia in fundis tam publicis, quam privatis pertinuiſſe, ſatis manifeſto colligimus. Q. E. D.

SCHOLION I. Legem venationum prohibitoriam univerſalem ſiſtit Imp. FRIDERIC. BARBAROSSA *II. Feud. 27. §. Nemo retia ſua aut laqueos, aut alia qualibet inſtrumenta ad capiendas venationes tendat, niſi ad urſos, apros, vel lupos capiendos.* Quæ conſtitutio uti generalis eſt, atque adeo ad fundos quoscunque ſe ſe protendit: ita Germanos non minus quam Italos ſui eandem obligatione tenuiſſe, vel inde liquet, quod poſterioribus urſos capiendi jus indulgere, opus haud fuerat, utpote quorum a pluribus retro ſæculis nullos aluiſſe Italiam ſatis in aprico eſt. Ut proin, venationes, easdemque prohibendi & concedendi jura ſolis Imperatoribus competiiſſe, nullus dubitationis locus ſupeɾſit; nec quicquam obſtante Text. *II. Feud 56. Quæ ſint regalia;* quo nulla

regalis venationum mentio fiat. Etenim dicto loco nonnisi incompletam regalium enumerationem contineri, dudum observatum est aliis; quos vid. apud AUCTOREM *Deductionis* vor das Jagd-Regal *Cap. IV. §. 15. p. 93.* & contrarium tum ex loco SIGONII *de regno Italiæ Lib. XIII. apud eundem p. m. 99.*, tum ex eo, quod in allegato textu feud. piscationum, quæ species venationis sunt, reditus manifesto illuc referantur, suffragantibus optimis juris publici universalis rationibus (§. XVII.), sat liquido colligitur.

SCHOLION II. Interim tamen id facile concesserim, Imperatores inter turbas, queis tum notorie agitabatur Germania, juribus imperii non usque adeo invigilare potuisse, ut non magna hinc inde decrementa paterentur; hincque evenisse, ut sensim tum prædiorum domini, tum vel maxime status imperii in territoriis suis venandi jura sibi sumerent, tacito utrique Imperatorum consensu, & concessione nixi. Quin his ipsis turbulentis temporibus passim tum in Germania invalescentes venationes liberas, die freye Bürsch / in acceptis ferendas esse, autumem; atque hanc ipsam ob causam, majoris tantum securitatis gratia, & nequa venationibus suis injuria fieret, status imperii in concessionibus imperatoriis subinde comprovincialium suorum, liberas hasce venationes ad jus trahentium, adsensum adhibuisse, vero admodum est simile. Vid. apud PFEFFINGERUM *Vitriar. illustr. Tom. III. Tit. 18. §. 8. p.* 1374. Diplom. Wirceburgense de a. 1023. item simile de a. 1027. Diplom. Mindense de a. 1029., & alia passim. Hos tamen gliscentes abusus neutiquam probasse Imperatores, d. constitutio Fridericiana *II. Feud. 27. §. nemo retia.* luculenter insinuat.

§. XXI. Ex eo itaque, quod bannum ferinum ad regalia & reservata Imperatorum jura pertinuerit (§. XX.), *falso, ad jura fundi idem tum temporis relatum, & accessionis prædiorum loco habitum fuisse (§. XII.), asseri consequitur.*

SCHOLION. Probare equidem id inde conantur BILDERBECKIUS (§. XII. Schol.), aliique, quod non in concessionibus solum & donationibus Imperatorum, sed & in instrumentis emtionum

tionum venditionum, permutationum & ſimilibus ad pertinentias & acceſſiones fundorum regulares, utilitates non minus ex venationibus provenientes referantur; nec ulla inter has, atque utilitates, ac jura alia, differentia ſtatuatur. Verum uti huic objectioni ex parte jam obviam itum fuit (§. eod. Schol.): ita ex deductis hactenus, venandi jura nonniſi conceſſione Imperatorum expreſſa, vel tacita impetrari potuiſſe, indubium eſt. Utcunque igitur prædiis annexa, & ad pertinentias relata, quoad fontem & originem tamen nullo non tempore a ſumma reipublicæ poteſtate derivanda fuerunt; harum pertinentiarum regalitate, propterea, quod a pluribus retro ſæculis prædiorum poſſeſſores comitatæ fuerint, haud ceſſante. Utut ſit, ſi quid injuria temporum contra rectam hujus regalis indolem forte irrepſerat: id omne defæcatoria ſæcula, & pacatior reipublicæ ſtatus jure meritoque ad juſtos tramites reduxit; nihil ut hactenus ſubſidii inveniant, qui ex his fundamentis regalitatem venandi juris impugnatum eunt.

§. XXII. *Status imperii regale venandi jus, ſive bannum ferinum in fundis territoriorum privatis eodem hodie, quo olim Imperatores (§§. XIX. & XX.), jure ſibi vindicant.*

Etenim ſtatus imperii ſuperioritate territoriali gaudere, extra controverſiam eſt (Cap. II. §. XL.). Quæ, cum analoga, & ſimilis prorſus ſummo imperio poteſtas ſit (Cap. II. §. VI.): ea quoque jure ſibi vindicat, quæ ſummum alias imperium comitantur, nec Imperatori reſervata eſſe dignoſcuntur (ib. §. VII.). Quapropter cum regale venandi jus in fundis privatis ſummi imperii ſequela ſit (§§. XVII. XIX. XX); neque tamen amplius ad regalia & reſervata Imperatorum jura referri, in notorietate conſiſtat: Principes & ſtatus imperii regale venandi jus ex iiſdem prorſus, ex quibus olim Imperatores, fontibus ſibi vindicare, evidens eſt. Q. E. D.

SCHOLION. Statuum quippe imperii juribus, ſicuti reliqui ſuperioritatis effectus, ſenſim ac pedetentim accrevit, Germaniæ

turbis, & fatali interregno amplam occasionem subministrantibus (§. XX. Schol.). Accessere concessiones Imperatorum, vi quarum statibus imperii non in publicis solum & propriis, sed &, propter expressiones generales, in fundis atque prædiis privatorum, id est, universo territorio venationes sibi vindicandi potestas facta; uti apparet ex diplomate concessionis HENRICI IV. Imp. de a. 1062. ecclesiæ Hamburgensi factæ apud LINDENBROG. *S. J. G. p.* 142. ibi: *Forestum etiam cum nostro banno regali per omnem comitatum, iis tantum venationibus exceptis, quas aut Prædecessores nostri, Rom. scil. Imp. vel Francorum Reges ecclesiis vel Principibus per regii auctoritatem præcepti largiendo contulimus.* Item in alio diplom. apud eundem *in Privileg. Archi-Ecclesiæ Hammaburg.* privileg. 25., quod adducit Auctor *Deductionis* sæpe allegatæ (§. XX. Schol. I.) *Cap. III. §. 76.* Ex diplomate CAROLI IV. de a. 1354. (Cap. II. §. XIX. Schol.), quo Lucemburgensem Comitatum in Ducatum erigit, & inter reliqua jura eximia inhibitiones quoque venationum, & banna ferina sine restrictione aut limitatione largitur, apud MEIBOM. *rer. Germ. Tom. III. p. m. 211.* Item ex diplomate FRIDERICI III. Imp. de a. 1474. apud eundem *cit. l. p. 213.*; quo Holsatiæ Ducibus *jus venationes banniendi* expressis verbis, & absque limitatione adscribitur. Enimvero jam dudum etiam ante illa tempora status Imp. regale venandi jus in universo territorio, fundis tam publicis, quam privatis vigore superioritatis territorialis sibi asseruisse, non una ratione evincere possemus, modo ne filum abrumpendum foret. Clare idem perhibet diploma Wirceburgense de a. 1312., quo Episcopus ANDREAS, nobilibus viris ANDREÆ de Bruneke & CONRADO de Hohenloeh bannum ferinum in terris suis feudi titulo confert; quod, cum haud mediocre Episcopis Wirceburgensibus intra Episcopatus sui & Ducatus Franconiæ fines competentis banni ferini argumentum præbeat, nec non insignes tituli & dignitatis ducalis, jam inde a S. Burckhardi temporibus cum Episcopatu Wirceburgensi conjunctæ, effectus indubie loquatur: ex chartophylacio Wirceb. cum bona Superiorum venia integrum hic apponere lubet:

Nos

NOs ANDREAS, *Dei gratia* Episcopus *Herbipolensis*, *inspectoribus præsentium recognoscimus publice universis, præsentibus & futuris, quod cum Wiltbannus totius nostri Ducatus Franconiæ Nobis, utpote provinciali judici ejusdem Ducatus, seu terræ Franconiæ, ac nostræ dignoscatur Ecclesiæ pertinere, nec aliqua persona cujuscunque conditionis aut status, existens intra terminos nostri Ducatus hujusmodi ortos* (hortos) *ferarum circumseptos habere, aut venandi actum quemlibet exercere debeat quoquam modo, sine nostra vel aliorum nostrorum Successorum Episcoporum Herbipolensium pro tempore favore, ac licentia speciali.*

Nos grata & fructuosa obsequia Nobis, & Ecclesiæ nostræ jam dictæ per nobiles Viros ANDREAM de BRUNECKE & CONRADUM de HOHENLOEH, *nostros consanguineos prædilectos hactenus gratuite exhibita & impensa, nec non gratiora & fructuosiora nobis, & eidem Ecclesiæ per eosdem, ut speramus, obsequia in antea impendenda gratiose præ oculis collocantes, affectantesque ipsos ad hujusmodi nostra ferventes obsequia, reddere ad eadem ferventiores ac etiam promptiores, ipsis ac eorum heredibus super cervos & cervas, sues, capreolos, nec non cujuslibet alterius generis feras sylvestres Wiltbannum intra terminos suorum bonorum, quoad usque hujusmodi sua bona terminos bonorum aliorum nobilium Dominorum attingere dignoscuntur, in feodum contulimus, & ad tenendum perpetuo a nobis, & Ecclesia nostra præfata titulo feodali conferimus in his scriptis, investientes ipsos de eodem rationabiliter atque rite, volentesque, ut personis quibuscunque intra terminos bonorum prænominatorum consanguineorum nostrorum absque eorundem, aut heredum suorum licentia & favore venari non liceat, seu dictas feras inquietare seu disturbare, aut qualemcunque venandi actum aliqualiter exercere, Nobis, nostrisque successoribus Herbipolensibus Episcopis pro tempore duntaxat exceptis, quibus in eisdem terminis, quando, aut quotiens voluerint, per se aut suos venatores venandi reservamus liberam facultatem, volentes nihilominus, quod eisdem nostris consanguineis, aut eorum heredibus in suis bonis a nobis & Ecclesia nostra in feodo procedentibus ortum* (hortum) *ferarum circumseptum habere liceat perpetuo, pro cujuslibet generis feris in eodem fovendis, ac*

etiam conservandis, ac eorum usibus applicandis. Ut autem iidem nostri -onsanquinei ab injuriosis quorumcunque molestiis dictum Wiltbannum & ortum (hortum *) tueri, & feras ipsas fovere valeant: ad hujusmodi tuitionem nostram adhibere volumus opem, & operam efficacem. In quorum præmissorum testimonium hoc scriptum nostri sigilli fecimus roborari. Datum Herbipoli Anno Domini MCCCXII. 8. Idus Septembris.*

§. XXIII. *Suffragantur literæ investiturarum statuum Imperii, consuetudo universalis, & praxis notoria Germaniæ.*

SCHOLION. Demonstrationem propositionis, quæ sine diffusa tum literarum investiturarum, tum rerum judicatarum, & auctoritatum allegatione perfici haud valet, studio nunc brevitatis prætermittimus; repeti ea poterit partim ex *opuscul. X. subsequenti, §. CL.* partim ex *deductione* sæpe allegata (§. XX. Schol. I.) *Cap. III. §. 15.* usque ad finem; ubi, quod ad plene convincendum veritatis amantem facere possit, nil desiderari, inspicienti patebit.

§. XXIV. *Principes & status Imperii regale venandi jus in fundis privatis ex publicæ utilitatis atque tranquillitatis necessitate sibi asseruerunt.*

Etenim nec cum libero (§. IX.), nec cum privativo venandi jure & dominio in feras, subditis in prædiis privatis indistinctim permisso (§. X.), ordinatum civile regimen consistit (§§. iisdem X. & XI.). Quod cum modis omnibus in territoriis suis stabilire, atque procurare statibus Imp. incumbat: jure optimo, & ex publicæ utilitatis necessitate eosdem regale hocce venandi jus in fundis etiam privatis sibi asseruisse patescit. Q. E. D.

SCHOLION. Tantum igitur abest, ut subditi de abrepto sibi per injuriam jure aliquo conqueri possint; utpote quod ipsi, siquidem boni cives esse ament, lubentes dimittere, & in Principis atque Domini sui territorialis manus tradere obstricti sunt (§ XIV.).

§. XXV.

§. XXV. Multo minus ex eo, quod Principi regale venandi jus in universo territorio competat (§. XXII. Item Cap. II. §. XL.), *prædia privatorum, aut subditorum servire dicenda sunt* (§. *XVIII.*).

§. XXVI. Porro ex eo, quod a venationibus subditos arcere tum publicæ salutis, tum fisci rationes flagitant (§. XI. & XXIV.); *de integro & intemerato servando hocce regali Principem omni meliori modo sollicitum esse debere, consequitur.*

§. XXVII. Quoniam itaque, quod quis facere tenetur, & quod utilitatem communem respicit, in dubio præsumendum (a): *pro integritate, & non imminuto hujus regalis statu in dubio præsumtionem faciendam esse liquet.*

SCHOLION. Confer hic omnino Opusc. X. §. CXXXVIII. ubi hæc fusius demonstrantur.

(a) *L. si ita* 47. §. 1. π. *de hered. instituend. Cap. quia verisimile* 10. ⅹ *de præsumt.*

§. XXVIII. Denique, quoniam regale venandi jus in fundis privatis ejusdem cum regali venandi jure in fundis civitatis publicis indolis est, nisi quod quoad demonstrandi modum nonnihil inter sese discrepent (Cap. II. §. XXXV. XXXVII. seq. & Cap. III. §. XVII.): *omnia, quæ de regali venandi jure Principi in fundis publicis competente demonstrata fuere* (*Cap. II.*), *huc quoque trahenda, & applicanda esse patescit.*

§. XXIX. Unde *Principes & territoriorum domini hodiedum sylvas, & loca alia subditorum banno ferino muniendi, atque venationes prohibendi potestate gaudent* (*Cap. II.* §. *XLI.*), *eliminatis plane venationibus liberis* (*ibid.* §. *XLII.*), *aut ubi concessione Principis & usu immemoriali tuti sunt, in ordinem redactis* (*ibid.* §. *XXXVI. Schol. II.*). Liquet inde: *Feras, pisces &*

& aves in fundis non minus subditorum, quam publicis esse in dominio Principis seu territorii domini completo (ibid. §. XLIV.); aut ab eodem saltem privative occupabiles (§. eod.); occupatas a quocunque alio, etiam soli domino, non fieri occupantis, sed facto occupatitio aut in dominium Principis redigi, aut in eodem relinqui (ibid. §. XLIX.); consequenter; *penes alium existentes a quocunque possessore recte vindicari (ibid. §. L.), dolo vel culpa lata consumtarum pretia repeti (ibid. §. LI.); clam, inscio & invito Principe feram, piscem aut avem banni ferini lege comprehensam, animo suam eandem faciendi, in fundo etiam proprio contrectantem furti, vi rapientem rapinæ reum fieri (ibid. §. LII.);* Ac proin, *quæ de pœnis in fures ferarum statuendis (ibid. §. LV. seq.) demonstrata fuere, huc quoque applicanda esse.* Denique *Principem in fundis privatis æque, ac in publicis omnia ea jure ordinare, ac constituere, quæ tum ad conservationem (ibid. §. XLIX.), tum ad rectum usum (ibid. §. LXXII. sequ.) atque exercitium (ib. §. LXXXIV. sequ.) bujus sui regalis pertinere quavis ratione dignoscuntur.*

SCHOLION. Quodsi conservatio, rectusque regalis venandi usus peculiares hinc inde in fundis subditorum ordinationes efflagitet, v. c. quod subditi sylvas suas forestis dominicis vicinas nullis nec palis, nec sepibus ab illis separare debeant &c. eas circumstantiæ speciales locorum facile suggerent. Interim, uti hactenus dicta in regula solum obtinent, ita peculiaribus locorum institutis nil derogatum volumus, contenti, quod statum venationum in Germania regulis juris publici universalis apprime convenire evicerimus.



CAPUT

CAPUT IV.

De Regali venationis jure in territorio alieno.

§. I. *JUs Regale in territorio alieno possidere* quis dicitur, quod proprio, nec alii quam Imperatori & Imperio subordinato jure, in eodem exercendi facultate instructus est.

SCHOLION I. Proprio itaque, vel a solo Imperatore dependenti jure exerceatur, necesse est; etenim quod superioritati territoriali subordinatum, & dependenter a territorii domino, ab extraneo etiam possidetur, illud a territorii juribus reliquis quoad nudum saltem exercitium separatum est, in effectu ad eorundem complexum referendum, & partem jurium territorialium actu a Principe possessorum constituens. De subordinata hacce possessione, & concessione Principis *Cap. seq.* agemus pluribus.

SCHOLION II. Non implicare autem independentem a territorii domino ejusmodi regalis possessionem, tum ex principiis juris publici universalis, tum ex Imperii Romano-Germanici statu peculiari, & superioritatis territorialis origine nullo negotio colligitur. Cum enim Status Imperii successive & per modum alluvionis, concessionibus partim imperatoriis, partim tacito usu analogam summæ potestati civili superioritatem in territoriis suis nacti fuissent: sub primordiis enascentis hujus potestatis facile contingere potuit, ut in uno eodemque territorio tam regalia, quam superioritatis jura inter diversa subjecta diversimode, tum per concessiones imperatorias, tum præscriptione, & tacito usu dispescerentur, atque ita sæpe sæpius ad alios extra territorium dominos, jure a solo Imperatore dependenti, devolverentur; id quod juris præsidii, aperturæ, delectus, conductus, vectigalium, juris collectandi, variarum specierum jurisdictionis, aliorumque regalium in alienis territoriis possessorum exemplis plurimis illustrare possemus, si modo in re notoria prolixitate opus foret. Vid. interim BURCKH. GOTTH. STRUVE *Syntagm. J. P. Cap. XXVI. §. 6.* STRYCK. *Dissert. de Jure Principis extra terri-*

torium. An vero e re & bono communi sit, ut regalia, in Principis & reipublicæ utilitatem comparata (Cap. I. §. II. seq.) ab alio extra rempublicam possideantur, alia est quæstio, quam impræsens pro dignitate excutere haud vacat.

§. II. Quando juribus superioritatis territorialis, atque regalibus præcipuis & plerisque penes unum existentibus, unum aut alterum ab alio extra territorium possidetur (§. I.): ad similitudinem prædiorum privatorum, *territorium servire* dicunt; ipsum vero regale jus, ab alio hac ratione possessum, *servitutis juris publici* nomine efferri suevit (a).

SCHOLION. Inepto satis vocabulo (Cap. III. §. XVIII.); quod nihilominus, tum ad facilius pervidendam actionum ex juribus hisce resultantium naturam, tum etiam ob eam, quæ inter regalia in territorio alieno possessa, & servitutes vulgares intercedit, similitudinem in jure publico tolerari potest. Nimirum uterque, tam qui prædiali & reali jure in alterius fundo fruitur, quam qui regale jus in alieno territorio exercendi facultate gaudet, complexum jurium, alteri competentium, delibat, ille privatorum, hic publicorum. Quapropter prioris generis servitutes *privatas*, has vero *publicas* vocare non moramur.

(a) Vid. JOH. GONRAD. ENGELBRECHT *tr. de Servitut. Juris publici.* STRUVE *cit. l.*

§. III. *Regale venandi jus in territorio alieno* dicimus jus, in alieno territorio independenter a territorii domino competens, utilitates ex venationibus provenientes percipiendi, atque suas faciendi.

SCHOLION. De subordinato itaque & dependenti a territorii domino venationis jure hic sermo non est (§. I. Schol. I.). Regale autem venandi jus in alieno territorio hac ratione possideri posse, dubio caret (§. I. Schol. II.), & exemplis probant GAILIUS *de pignorat. Cap. XXIV. n. 7.* STRYCK. *in dissertat. de Jure Principis extra territ. Cap. I. n. 103.* SIXTINUS *de Regalibus lib. II. cap. 18.*

KLOCK

KLOCK *Tom. I. Consil. 29. p. 196. seq.* DAVID KOELER *in Commentat. Histor. de castro Imp. forest Brunn. §. 9. p. 14.* & speciatim Magnif. D. JOH. ADAM KOPP *Deduct. pro Venat. Ysenburg. Cap. I. §. 9.* JOH. JODOC BECK. *de Jurisd. Forestali Cap. III. §. 20.*

§. IV. Cum autem regalis hujus juris in territorio alieno, independenter ab ejusdem domino possessi (§. III.), variæ possint esse determinationes, quas insuper habere haud convenit: observa, I. Jus venandi, & bannum ferinum ab extraneo vel *per universum territorium*; vel intra *definitos saltem, suisque limitibus circumscriptos districtus* possideri, II. Ibique vel *jus venandi in specie ita dictum*, feras tantum terrestres comprehendens; vel *latius sumtum*, quatenus *aucupandi*, quin & *piscandi* quoque jura complectitur; III. *Venationem* saltem *bassam*, sive *inferiorem*; vel *superiorem* (de qua differentia vid. Cap. V.); ex *integro*, aut *restrictam*, vel *utramque simul* competere; IV. Hoc regale in alieno exerceri vel *cumulative* cum territorii domino, vel *privative*, omni alio ab ejusdem usu secluso; V. Vel *sine jurisdictione*, vel *cum jurisdictione*; VI. Eaque *circa venationes territoriali* (Cap. I.), vel *quatenus saltem exercitium hujus regalis respicit* (Cap. II.); VII. *Nude, sine aliis jurisdictionum speciebus*, ut puta, civili, criminali, sive centenaria, forestali, voghtetica, &c; vel *conjunctim, cum una aut altera harum specierum*; VIII. In *foresto, sylva & loco proprio*; vel *alieno*, alterius superioritatem & jurisdictionem agnoscente; & siqui sunt modi alii, juxta quos regalis hujus & banni ferini possessio variat.

SCHOLION. Ex quibus apparet, ante omnia ad concessionis tenorem, pacta, transactiones, & recessus oculos convertendos, nec non usus & observantias locorum inspiciendas esse, quo de possessoris hujus regalis juribus æqua lance statuere valeamus. Ut proin regulæ generales, quas hic AA. suppeditant, in dijudicandis juribus, quorum perfecta cognitio tot determinationum specialium

cialium notitiam desiderat, nisi cum grano salis & debita attentione ad circumstantias speciales applicatæ, fere inutiles sint.

§. V. *Regale venandi jus, sive banum ferinum in alieno, independenter a territorii Domino possessum, est servitus juris publici* (§. *II.*).

§. VI. *Superioritatem territorialem in alieno territorio non importat; ast minuit tamen.*

Servitus in prædio alieno, secundum notoria juris principia dominium haud involvit. Quapropter, cum bannum ferinum, sive regale venandi jus in alieno possessum, per modum servitutis, ipse vero jurium territorialium & regalium complexus adinstar dominii considerandus veniat (§ II. Schol. & V.): propter idenditatem rationis bannum ferinum, sive regale venandi jus in alieno territorio non magis superioritatem territorialem involvere dicendum erit. *Quod erat primum.*

Quoniam nihilominus regale venandi jus ad jura territorii pertinet, & sub integro superioritatis complexu *comprehenditur* (Cap. I. §. III. Schol.); ex supposito vero dominus territorii eodem destituitur: regali venandi jure in alieno territorio possesso, superioritatis jura imminui, nemo non videt. *Quod erat alterum.*

SCHOLION. Poterat etiam hæc propositio ex notione superioritatis territorialis rite formata directo demonstrari; id quod tamen ad systema plenius juris publici pertinet; idem interea præstante similitudine a dominio desumta, quæ hactenus adæquata & perfecta esse dignoscitur: consentiente quoque universali Germaniæ consuetudine, vi cujus, nec præsidii, delectus, sequelæ, centenæ, nec alia jura, sive regalia, sive territorialia, sigillatim in alieno territorio possessa superoritatem involvere, notius est, quam ut demonstrari debeat (a) Plura vide apud JO. JODOCUM

CUM BECK *de Jurisdict. forest. Cap. III. §. XVIII.* ibique allegatos. HILDEBRAND *de Regali in alieno territ. superioritatem non inferente.* DONAUER *de Jurisdict. in alieno territ.*

(a) *Instr. Pacis Osnabr. Art. V. §. XLIV.*

§. VII. *Regale venandi jus, sive bannum ferinum in territorio alieno ita interpretandum, ut, quantum pote est, superioritas territorialis integra & illibata consistat.*

Sicuti regalia in genere (Cap. I. §. V.), ita in specie regale venandi jus, seu bannum ferinum, communis reipublicæ utilitas Principi, ac fisco assertum vult (Cap. II. §. XXXVII. Cap. III. §. XXIV.). Non facile igitur, vel subordinate etiam, concedendum, multo minus independenti plane jure alteri extra rempublicam relinquendum esse, nemo non perspicit (Cap. III. §. XXVI.). Cui regulæ, uti ex principiis juris publici universalis immota sua veritas constat, ita tuto quoque ad Principes & status Imperii, eminentioris præsertim ordinis, quorumque territoria rite formatorum regiminum civilium schemata induere, applicantur, eique cohærenter regalium, in specie vero regalis venandi juris, concessionem & possessionem, nisi aliæ circumstantiæ refragentur (§. IX. sequ.), ita interpretandam esse concludimus, ut integritati jurium territorialium & regalium, quam potest, minime decedat. Q. E. D.

SCHOLION I. Accedunt aliæ rationes plures a favore libertatis & odio servitutum (a) desumtæ: nihil ut commemorem, dispartitam inter plures possessionem regalium & jurium superioritatis in uno eodemque territorio nonnisi gignendis litibus & controversiis aptam esse; dominum territorii habere fundatam intentionem in omnibus, quæ territorii finibus concluduntur &c. de quibus vide sis STRYCK. alleg. differt. *de jure Principis extra territor. Cap. I. n. 14.*

SCHOLION II. Enimvero, quantum pote est, h. e. æquitatis & justitiæ regulæ permittunt, regalium, & in specie regalis venandi juris in alieno territorio possessionem stricte interpretandam esse diximus. Nec enim quæsito propterea jure quempiam exuendum esse statuimus. Id solum innuit regula a nobis stabilita: in territoriis, præsertim majoribus, quantum citra injuriam cujuscunque licet, juris publici universalis principia & normas insuper habendas haud esse; minime vero, ut sub hoc obtentu injustitiæ porta pandatur. Sane, qui propius pervident, quantum in republica usurpata ab exteris jura internam ejusdem compagem rodant: Principi & summo magistratui haud indignabuntur, si juribus suis vigilet, & in concessionibus, atque possessionibus regalium dubiis, eam interpretandi normam sequatur, qua enascentes in republica tineas in tempore compescat.

(1) *L. 11. §. 6. Si quis iter. π. de except. rei judicat. L. 13. π. de servit. præd. rust. L. 11. π. quemadmodum servit. amitt.*

§. VIII. *Concessiones tamen banni ferini, seu regalis venandi juris in territorio alieno, quæ ante, & circa interregni tempora ab Imperatoribus factæ fuerunt, in dubio, & nisi ipse concessionis tenor obstet, cum plenissimo, cujus hocce regale capax est, effectu accipiendæ atque interpretandæ.*

Bannum ferinum, sive regale venandi jus Imperatoribus olim in universo imperio (Cap. III. §. XIX. & XX.), potissimum vero in prædiis fiscalinis, & bonis, quæ ad domanium Imperatorum spectarunt (Cap. II. §. XXXIX.), cum plenissimo effectu competiit. Quando itaque in statum aliquem, extra territorium etiam, in quo bannum ferinum situm erat, idem ex imperiali munificentia, aut alio quocunque titulo, feudi aut allodii translatum fuit: ea translatio vel ideo cum omnibus iis juribus, quæ antea Imperatorum erant, facta fuisse reputari debet, quod eorundem sine banno ferino usus aut nullus aut modicus fuisset; tum vel maxime, quod concessionum chartæ iis plerumque clau-

sulis

ſulis conceptæ deprehendantur, ut de pleniſſimo earundem tenore dubitari nequeat (Cap. II. §. XXXIX. & Cap. III. §. XX.). Quæcunque igitur circa illa tempora regalis hujus venandi juris conceſſiones in territorio alieno ex imperatoria largitate profectæ fuerunt, easdem in dubio cum uberrimo effectu interpretandas eſſe, liquet. Q. E. D.

SCHOLION I. Regulam igitur, quam §. *præced.* ſuppeditavimus, de regali potiſſimum venandi jure in territ. alieno, quod ex ipſiusmet domini territorialis conceſſione profectum, aut præſcriptione quæſitum fuit, vel denique recentius ab Imperatoribus, citra minimum tamen præjudicium ſtatuum Imp., obtentum, in ea tempora incidit, quibus cum uberiori jamdum effectu in ſuis territoriis jura ſuperioritatis exercuerant, intelligendam eſſe apparet.

SCHOLION II. Advertendum præterea, dicta procedere, quando poſſeſſor immediatus imperii ſtatus eſt. Quodſi enim landſaſſiis aut aliis, domino territorii ſubjectionis nexu devinctis, ea conceſſio facta: bannum hocce ferinum, ſicuti reliqua ſua jura, dependenter a ſuperioritate territoriali impetraſſe, omnino reputandi ſunt; niſi aliud manifeſto actum, idemque feudi immediati titulo, ſicut plura alia jura e. g. bannum ſanguinis & jurisdictio criminalis, prædiorum nobilium poſſeſſoribus collatum fuiſſe appareat.

SCHOLION III. Porro, quoniam concluſiones ex ſtabilito a nobis principio (§. VII.) uberiori nunc calamo derivandæ, cum iis, quas Cap. ſequenti ex eodem fonte deducimus, in illis præſertim caſibus, ubi regale hocce venandi jus independenti nexu ab ipſo territorii domino, vel præſcriptione impetratum, aut recentius ab Imp. acquiſitum fuit (Schol. I.), fere coincidunt: ſpeciatim nunc easdem perſequi ſuperſedebimus, paucas ſolum ex regula, §. præſenti firmata, ſubjungere contenti, ex quibus regalis venandi juris in alieno territorio poſſeſſores, ceteris paribus, melioris, quam qui nonniſi ſubordinate idem poſſident, conditionis eſſe apparebit.

§. IX.

§. IX. *Regale venationis jus in territorio alieno, ex concessione imperatoria profluens (§. VII.), intra venationis districtum in sensu latiori accipiendum, ita ut, nisi concessionis verba obstent, præter venationem ferarum, in specie ita dictam, aucupia quoque, immo subin etiam piscationes, comprehendat (Cap. II §. XVIII. Schol. III.).*

Etenim, intra venationis districtum Imperatores regale hoc suum cum plenissimo effectu, tam cum venandi, quam aucupandi, & piscandi jure possederunt (Cap. II. §. XXXIX. & Cap. III. §. XX.). Quapropter, cum eodem quoque modo idem concessisse præsumendi sint (§. VIII.): regalis venandi juris in territorio alieno possessor, tam venandi, quam aucupandi, immo etiam piscandi jus possidere merito præsumitur. Q. E. D.

SCHOLION. Exempla latioris hujus concessionis habuimus (Cap. II. §. XXXIX. Schol.) in diplom. Coloniensi de a. 973; Frisingensi a. eodem; Moguntino, & aliis. Conf. quoque textus ex AIMON MONACHO (d. Cap. §. XXXVIII. Schol.), item constitutionem CONRADI SALICI supra (Cap. III. §. XX. Schol. inf.).

§. X. *Concessa præsumitur venatio omnis generis ferarum tam sublimium, ad venationem superiorem, quam aliarum, ad venationem bassam pertinentium.*

SCHOLION. Hanc puto conclusionem nemo in dubium vocaturus est, cum ferarum subliminm venatio præprimis ad jura Imperatorum pertinuerit; nec intra banni imperialis districtum alium venandi jure gavisum fuisse verosimile sit. Vide supra (Cap. II. §. XXXIX.) ex ALBERTO CRANZIO diploma Verdense, aliasque concessionum chartas passim, in quibus majorum ferarum in specie mentio fit.

§. XI.

§. XI. *Non cumulative, sed privative, excluso in venationis impetratæ districtu territorii domino, possidere idem intelligitur.*

SCHOLION. Patet assertum ex eodem principio, quod scilicet Impp. privativi hujus sui regalis possessores fuerint, quodque pleno jure idem in Imperii status Impp. contulisse, diplomata & concessionum chartæ dubitare haud sinant (Cap. II. §. XXXIX. & Cap. III. §. XX.).

§. XII. Liquet inde ulterius: *in hocce casu regalis venandi juris in territorio alieno possessori jus persequendi feras extra territorium & venationis districtum regulariter denegandum haud esse.*

Etenim Imperatoribus idem competiisse extra dubium est, & testatur diploma Eltenense de a. 997. (Cap. II. §. XXXIX. Schol.), quo feras venandi jus, cum facultate easdem extra territorium persequendi, conceditur. Quodsi igitur enixiores concessionum clausulæ ferant: idem quoque in aliis Impp. concessionibus comprehensum fuisse, præsumi debet (§. VIII.).

SCHOLION. Qua ratione jus persequendi se se habeat, non usque adeo expeditum est. In multis locis certo tempori adstrictum est, e. g. 24. horis, 2. aut 3. diebus: alibi ad definitam distantiam se se protendit, certis, in loco, ubi fera primum vulnerata, vel incitata fuit, signis a venatore appositis, de quibus vid. BECK. *Jurisd. forest. Cap. XIII. §. IV.*

§. XIII. *In forestis & venationum districtibus juxta cum jurisdictione, qua ad conservandum & defendendum jus suum regale instructus esse dignoscitur, jure quoque circa venationes territoriali gaudere præsumitur.*

Imperatores ante concessionem in forestis & locis bannitis omni jurisdictione gavisos fuisse, temporum, de qui-

bus loquimur, status dubitare haud sinit. Cum itaque concessio hujus regalis cum uberrimo effectu facta fuisse censeri debeat (§. VIII.): jurisdictionem quoque omnimodam, quæ circa venationes concipi aliqua ratione potest, Impp. indulsisse verosimile est.

SCHOLION. Unde, quæ hoc casu regalis hujus juris in alieno territorio possessori circa rite ordinanda venationum tempora, modos, pœnas in transgressores, nec non regalis sui violatores statuendas jure liceant, ex Cap. I. II. & III. luculenter apparet. Cum vero hic usus, & transactiones inter status initæ modum ponere, & curatius cuncta definire soleant: mores, usus & observantiæ locorum tutissimas in hisce casibus normas suppeditabunt.

§. XIV. Cum nihilominus pœnæ in transgressores banni & prohibitionis venationum ante interregni tempora raro ordinariam banni compositionem, id est LX. solidos, excederent, & LOTHARIUS Saxo demum a. 1132. in diplomate Walckenriedensi (Cap. III. §. XX.), eam pœnam ad centum libras purissimi auri adauxisset, consequenter jurisdictio venatoria civiles coercendi modos vix supergressa sit; Imperatores vero jurisdictionem centenariam sive criminalem per status Imperii, speciatim eadem investitos, aut constitutos suos judices exercuisse, ex J. Publ. constet: *banni ferini in territorio alieno possessorem regulariter centenaria aut criminali jurisdictione haud instructum esse, evidens est.*

SCHOLION. Hanc igitur qui prætendit, ex alio fonte, eadem sese instructum esse, monstrare necessum habet; uti cum multis aliis recte statuit JOH. JOD. BECK *de Jurisd. forest. Cap. XII. §. III.* Subinde ipsæ concessionum chartæ non leves competentis etiam hujus jurisdictionis conjecturas suggerunt; quando nimirum omnes alii a quocunque jurisdictionis actu intra banni ferini limites excluduntur, veluti factum in diplomate ALBERTI I. de a. 1302. apud JOH. CHRISTOPH. JOANNIS *Tabular. literarumque veter. Spicileg. in diplomatar. miscell. n. 7. p. 480. sequ.*;

quo

quo Conrado de Weinsperg foresti imperialis inter Nicro-Gemundam & Lauffen, aliaque vicina loca custodiam jure feudi perpetuo confert, ibi: *Hoc edicto regio districtius inhibentes, ne quis officialium nostrorum, seu aliquis alter, cujuscunque status aut conditionis existat, memorato Conrado & suis heredibus duntaxat exceptis, in dictis districtibus venationes exerceat, vel alias aliquid sibi juris sive jurisdictionis in eisdem vindicet, seu usurpet.*

§. XV. *Operas venatorias a subditis, intra venationis districtum habitantibus, eodem jure, quo alias territorii dominus (Cap. II. §. LXXXIV.), postulat.*

Regalis hujus in alieno territorio possessor pari, quo ante concessionem factam Imperatores, jure eademque efficacia banno ferino fruitur (§. VIII.). Quapropter, cum Impp. ad exercitium venationum suarum operas subditorum exquirendi ipsius summi imperii vigore plenissima facultate instructi fuerint (Cap. II. §. XXXVIII. & LXXXIV.): easdem quoque, qui in jura Imperatorum subintrarunt, hujusmodi banni ferini possessores a subditis intra banni ferini districtum commorantibus jure exigere, nemo dubitat. Q. E. D.

SCHOLION. Quodsi hinc inde aliud observetur, id regulam haud intervertit, utpote a qua in ejusmodi jurium exercitio & usu per pacta, consuetudines & observantias variis modis recedi solet. Quas operas subditi præstare necessum habeant, eodem Capite (§. II LXXXV.) breviter innuimus. Tu vide JOH. JOD. BECK *cit. l. Cap. XVII. & cit. ibid. AA.*

§. XVI. Ex iisdem denique fundamentis conficimus: *nullos regalis hujus in alieno territorio possessori, tum ratione temporis (Cap. I. §. XX. seq.), tum ratione modorum venandi (Cap. eod. §. XXIV. sequ.) limites positos esse, eundemque tam sclopetis*, mit Schiessen / Bürschen / und gezogenen Rohren / *quam*

plagis, retibus, & zonis, mit Treiben und Umstellen derer Waldungen/ *venationes peragere.*

SCHOLION I. His adde consectaria alia plura non minus prone inde derivanda, v. c.: quod, qui hac ratione (§. VIII.) bannum ferinum in alieno territorio possidet, sylvam cingendi absque restrictione jure gaudeat, recteque prohibeat, ne sylvæ & arbores cumulatim excidantur, atque ita districtus banni ferini ad feras alendas inepti reddantur. Quod venatores & venationibus præfectos constituendi, atque amovendi; ædes venatorias, atque receptacula ferarum extruendi facultate polleat; & siqua sunt alia, quæ usus forte, & observantia induxit; quorsum referenda die Jäger-Zehrung/ Jagd-und Hundshaber/ ꝛc. aliaque his similia, ex ipsis rerum momentis curatius haurienda.

SCHOLION II. Atque hæ sunt insignes illæ prærogativæ, *queis* regalis venandi juris in territorio alieno possessor immediatus & independens, fultus concessione Impp. antiqua, incidente in tempora ante, vel circa interregnum, præ alio, qui ex post demum, independenti licet pariter jure, per concessionem statuum, præscriptione, aut recentioribus Impp. privilegiis regale hocce consecutus fuit, præfulget; quas proin, ne cum juribus circa venationes landsassicis confunderentur, hic attingendas esse duximus.

CAPUT V.

De regali venationis jure subordinato sive landsassico.

§. I. *JUra sive majestatica, sive regalia subordinate & landsassice concedi dicimus*, quando salvo eorundem cum summo imperio essentiali, & radicali nexu ita in aliquem transferuntur, ut in utilitatem propriam eadem exercendi

ipsi

ipsi potestas fiat. Unde patet, quidquid *subordinatæ & landsassicæ regalium possessionis* nomine indigitemus: scilicet potestatem, jus aliquod, quoad essentiam & naturam suam, necessario, sive ex voluntate legislatoris, penes summum imperium existens, in usus suos exercendi.

SCHOLION. **In subordinata igitur & landsassica regalis concessione integritati summæ potestatis nihil decedit; utpote quæ facta concessione, sicut ante, eorundem subjectum inhæsivum, radicale, & proprium permanet; nihilque aliud, in quem eadem transferuntur, consequitur, quam quod in utilitatem propriam, id est, sive dignitatis & splendoris causa, sive in commodum & emolumentum reale, eximia hæcce jura explicet.**

SCHOLION. II. **Nec refert, an in subditum vere talem transferantur, an in extraneum, qui eatenus, & quoad jus regale subordinato nomine possessum pari nexu a summa potestate, cujus id proprium est, dependere dignoscitur. Atque hæc ratio est, cur capite præcedenti regalium in alieno territorio possessionem ad illa solum restrinxerimus, quæ independenti nexu a territorii domino possidentur.**

§ II. *Administratorio nomine regalia conceduntur, quando Princeps in utilitatem & nomine suo eandem exercendi facultatem alicui tribuit.*

SCHOLION. **Quoniam qui administratorio nomine regalia jura explicant, utilitatum ex iisdem provenientium directo nihil consequuntur, uti ex definitione patescit. Principes & summi magistratus his suis administris salaria constituere sueverunt; quæ licet ex ipsis juris regalis proventibus adsignentur, id tamen per accidens est, atque ob præstitam solum operam eadem percipere dicendi sunt.**

§. III. Cum tamen regale aliquod jus subordinate & landsassice possidens (§. I.), non minus jus summæ potestati proprium, & radicaliter penes eandem permanens teneat

 (ibid.):

(ibid.): *nomine quoque Principis, sive summi magistratus idem explicare*, consequenter *administratoris jurium Principis officio quodammodo defungi dici poterit* (*Cap. I. §. XV.*).

SCHOLION. Distinguendum scilicet inter *administratorem nudum & proprie talem*, qui ministerium saltem & operam præstat; & *non nudum*, qui jus quidem Principis, ast in proprium usum & utilitatem exercet. Unde nonnisi quoad essentiam & naturam suam, quatenus scilicet penes inferiorem existens, jus summæ potestatis regale permanet, Principi salvum esse dignoscitur.

§. IV. *Nudus administrator sive fundi, sive regalis* (§. *III. Schol.*), *neque fundi, neque regalis possessor est.*

Administrator jura regalia nomine & in utilitatem Principis exercet (§. II.); neque alia ratione fundum administrat, uti per se intelligitur. Dominii igitur, seu proprii juris nihil consequitur. Quare, cum omnis vera & genuina possessio ex dominio & proprietatis jure profluat (Opusc. X. §. XIV. seq): nudum administratorem nihil de possessione Principis & proprietarii mutare, consequenter *possessorem* haud esse, liquido patescit. Q. E. D.

SCHOLION. De subordinato & landsassico regalium possessore, præsertim si jure perpetuo regali quodam Principis fruatur, aliud mox (§. VII.) evincemus. Apparet sane, qua ratione nudus officialis, & cui simplex saltem regalis, aut boni domanialis cura atque custodia commissa est, rerum & regalium Principis possessionem & proprietatem nactus esse dici queat; neequicquam faciente, quod, uti in Germania, medio præsertim ævo, sollemne erat, & tot officiorum hereditariorum exempla comprobant, administrator titulo feudali atque jure perpetuo id officium consecutus fuerit. Hoc enim de natura administratoris nudi (§. III.) nihil immutat, nec in re aut regali Principis plus juris tribuit; hoc solo excerto, quod solus in eo officii genere Principi operam navand', & assignatas eapropter utilitates salarii loco percipiendi

jure

jure gaudeat; uti exemplo Foreſtariorum Imperii, deren Reichs-Forſtmeiſtern / quibus nuda ſylvarum regiarum cuſtodia cum jure, in abſentia Impp. provenientes inde utilitates ſalarii loco percipiendi, commiſſa fuit, luculenter probari poſſet, modo ne tempore excluſis filum abrumpendum foret. Quodſi ergo propter perpetuam fere Imperatorum abſentiam, vaſalli hi foreſtarii ſylvas & foreſta regia jure proprio poſſidere, & ſic temporis immemorialis præſcriptione, accedente ſæpe expreſſa Imperatorum conceſſione, plenam eorundem proprietatem acquiſierint: id ſtatibus Imperii, qui ſimili ratione foreſtariorum officia, die Forſtmeiſter-Aemter / feudi titulo in vaſallos ſuos contulere, præjudicare minime poterit, multo minus in exemplum trahi; præſertim, ſi nec de conceſſione, nec neglectu, aut immemorialis temporis præſcriptione foreſta & bona domanialia Principis, proprietatis jure nactos ſe fuiſſe, clare perhibere valeant; ſunt potius, & manent nudi ſylvarum adminiſtratores, nec alias, quam in literis inveſtiturarum conſignatas utilitates percipiendi jure gaudent.

§. V. A conceſſione quoque jurium majeſtaticorum & regalium landſaſſica differt eorundem *conceſſio*, ſive *translatio territorialis*, quæ eſt jurium ſummi imperii, omnium, aut plerorumque, & quidem præcipuorum, in ſtatum, ſat amplo ad civitatem conſtituendam territorio inſtructum, ea ratione facta translatio, ut ab Imperatore & imperio eadem recognoſcat, nec non in eorundem exercitio ſuperioris reipublicæ cognitioni ſubſit.

SCHOLION. Talis eſt ſtatuum imperii ſuperioritas territorialis; quæ, cum jura belli, pacis, fœderum, Legatorum mittendorum, nec non reliqua ſummi Imperii jura in eminentiori gradu comprehendat: cum landſaſſica regalium poſſeſſione nulla ratione comparanda eſt. Hanc conditionem, quam ſub Carolingicis, & aliquamdiu ſub Germanicis Imperatoribus ſtatuum Imperii poteſtas præſetulit, diu ſupergreſſi, ad proprio jure imperantium hodie claſſem longe propius accedunt. Sed meretur præſens thema, ut ex genuinis juris publici principiis alia occaſione curatius pertractetur. Innuere ſaltem eam differentiam libuit, ne, quæ ex ſubordina-

ordinationis landsassicæ notione genuina nunc deducturi sumus, tu præpropere & oscitanter ad status Imperii trahas. Confer, quæ Opusc. X. §. CXIX. infra monuimus.

§. VI. Porro regalia subditis & landsassiis vel ad *vitam tantum & tempus*, vel *jure perpetuo*, *ad heredes transituro*, *concedi*, *notum est*.

SCHOLION. De priori concedendi modo non admodum erimus solliciti; cum temporaria regalium translatio jura Principis parum, aut nihil imminuat.

§. VII. *Subditus seu landsassius, regale quoddam jure perpetuo a Principe tenens, quantum subditi conditio patitur, verus regalis juris possessor est.*

Jura summi imperii, & regalia in totum a Principe ita abire nequeunt, ut non radicaliter saltem, & quoad essentiam atque naturam suam, quam a profluentia ex summo imperio indepta sunt, penes summam potestatem maneant (§. I.). Cum nihilominus in subditos & landsassios proprio quodam & perpetuo jure eadem transferri non *implicet* (§. eod. & VI.); is vero, qui proprietatis jure rem tenet, verus ejusdem possessor sit: subditum & landsassium, quantum ejus conditio patitur, regalis in ipsum collati verum possessorem esse liquet. Q. E. D.

SCHOLION I. Unde, quæ inter nudum administratorem (§. III. Schol.) & subordinatum juris regalis (§. IV.) possessorem landsassium ratione possessionis differentia subsit, apparet. Ceterum id de regalibus proprie talibus vel eo magis dicendum, quod summo imperio ex intrinseca necessitate haud cohæreant, &, qua præcise penes subditos existentia, illustri hocce nomine ne dignanda quidem veniant. (Opusc. X. §. CXXXIII.)

§. VIII.

§. VIII. *Jus venandi regale (Cap. I. §. IX.) subordinate & landsassice conceditur*, quando Princeps seu respubl. subdito provenientes ex venationibus utilitates proprio quodam jure percipiendi, atque suas faciendi potestatem facit (§. I.).

SCHOLION. Quod jus circa venationes majestaticum & territoriale eadem ratione concedi valeat, jam supra (Cap. I. §. XV.) evictum fuit. Neque minus subordinatam hujus juris concessionem vel *temporariam*, vel *perpetuam* esse, intelligitur (§. VI.).

§. IX. Infimæ concessionum venationis a Principe proficiscentium species sunt *venationes precariæ*, & *pro certa mercede, aut pensione annua elocatæ*. Illæ *gratuitæ*, &, quod precarii nomen indigitat, *pro lubitu* atque *ad nutum revocabiles*, nisi fors pacto expresso definitum temporis spatium adjectum fuerit, sicque naturam commodati induant: hæ *onerosæ*, juxta tenorem & normam contractus exercendæ.

SCHOLION. In venationibus precariis eam plerumque cautelam Princeps adhibet, ut venationis precariæ possessor datis literis reversalibus, de non alio titulo possidenda, nec non debito, & in concessionis charta definito loco, tempore & modo exercenda, ac deniqne ad nutum & revocationem Principis retradenda venatione caveat. Quæ cum satis nota sint, & venationum elocationes a contractu locati conducti nihil aut parum diversi habeant: de iisdem plura addere merito supersedemus, potissimum, cum de perpetuo jure concessis venationibus præcipue hic sermo sit. Conf. FERD. CHRISTOPH. HARPRECHT. *de Venationibus precariis.* Item FRITSHIUS von Bestand- und Gnaden-Jagden / *operum Tom. II. P. III. tr. V. Append.*

§. X. *Regale venandi jus alia, quam concessionis, aut quæ concessionis species est, possessionis immemorialis via ad subditum seu landsassium subordinato jure pervenire nequit.*

SCHOLION. Propositionis hujus, quam impræsens tanquam lemma sumimus, veritatem, uti & alia plura, quæ tum ad possessionis immemorialis genuinam notionem, tum ad nudæ possessionis regalium, subditos nil relevantis, exasciatam cognitionem facere possunt, *Opusc. X. subsequens* ad saturam demonstrata sistit, quæ adeo huc inde repetenda veniunt.

§. XI. Unde nova ratione *venationum utilitates perperam pro accessionibus & fructibus fundorum atque prædiorum landsassicorum regularibus & ordinariis haberi* conficimus (Cap. III. §. XII. & XXI.).

§. XII. *Regale venandi subordinate subdito seu landsassio in fundo suo aut prædio concessum, est pertinentia juris publici.*

Pertinentiæ juris publici nobis dicuntur, quæ *extra* dominii privati jura constitutæ, non nisi a summo reipublicæ Magistratu cum fundo aut prædio conjungi valent. Enimvero regale venandi jus non minus in fundis privatis, quam publicis extra dominii vulgaris rationes constitutum (Cap. III. §. XVII.) ab alio, quam a Principe, seu summo Magistratu cum eodem conjungi nequit (§. X.). *Quodsi* igitur actu cum fundo aut prædio landsassico, facto Principis expresso aut tacito conjunctum fuerit: ad pertinentias idem juris publici referendum esse liquet. Q. E. D.

SCHOLION. Conferantur omnino, quæ supra (Cap. III. §. XXI. Schol.) monuimus. Ex his sane fundamentis satis puto confutari, qui pertinentias vulgares, cum pertinentiis juris publici, regalem naturam habentibus, & concessionum antiquarum, expresse aut tacite a Principe factarum, ignari, eodem utraque loco habent.

§. XIII. *Non est fructus jurisdictionis subordinatæ landsassicæ.*

Jurisdictio subordinata landsassica, sive criminalem & centenariam, sive civilem & voghteticam eam intelligas, sum-

summæ potestatis civilis, aut superioritatis territorialis nomine haud dignanda (§. V. Schol.). Enimvero regale venandi solius summi imperii, & superioritatis territorialis effectus est (Cap. III. §. XVII. & XXVII.). Perperam igitur pro fructu jurisdictionis subordinatæ landsassicæ qualiscunque idem haberi liquet. Q. E. D.

SCHOLION. Quodsi igitur in quibusdam Germaniæ locis regale venandi jus cum jurisdictione voghtetica civili, aut centenaria cohæreat: id omne facti est, &, aut ex concessione & liberalitate Principis, aut ex immemoriali usu derivandum, clareque docendum erit. Sed & hoc casu non magis pro jurisdictionis effectu reputabitur; quippe cui, nisi summa, aut territorialis sit, nihil cum venatione, sive bassa, sive superiori, commune est, uti cum multis allegatis auctoribus recte statuit ANT. WILHELM ERTL *Prax. Aur. jurid. Lib. II. Cap. II.* inquiens: Daß der in einem Dorff die Niedergerichtbarkeit / oder Vogthey hat / an und vor sich selbst / ausser einem besonderen Privilegio, Vergünstigung / oder Verjährung / keinen Hasen fangen kan: Wie hingegen viele / in einem gewissen Bezierck nach Bären / Hirschen / und Gemsen jagen / welche gleich wohlen die daselbstige Inwohner um keinen Kreutzer straffen / oder sonsten den geringsten jurisdictionis actum ausüben dörffen.

§. XIV. Et quoniam jura sive territorialia, sive regalia, centenæ, præsidii, delectus &c. in alieno territorio sigillatim possessa superioritatem territorialem haud inducunt (Cap. IV. §. VI. Schol.): *pari ratione cum centena, aliisque juribus quibuscunque sigillatim in territorio alieno, immediate etiam & independenter (Cap. IV. §. VI. Schol.) possessis bannum ferinum regulariter conjunctum haud esse patescit.*

SCHOLION. Aliud igitur, si observantia loci, vel regionis in contrarium vigeat. Nos, quid in regula obtineat, & quid in casu, ubi usu aliud receptum haud est, pronuntiandum sit, hic solum defendimus.

§. XV. *Solus Princeps, sive territorii dominus, quem regalis sui venandi juris in subditum seu landsassium translati modum esse velit, jure determinat.*

Etenim concessio, & acquisitio regalis venandi juris a solo Principe proficisci valet (§. X.). Quare, cum concessionis hujus diversi modi sint, pro arbitrio concedentis variari apti (Cap. IV. §. IV.): juxta quos regale venandi jus in subditum seu landsassium translatum velit, soli Principi determinare integrum esse, constat. Q. E. D.

SCHOLION. Solius igitur Principis voluntas exploranda, an titulo feudali, an allodiali, an ad tempus, an perpetuo, an limitate, an illimitate &c. hoc suum beneficium & regale jus possideri velit. Unde ante omnia concessionis tenor inspiciendus, & in verborum sensum inquirendum est. Quodsi enim verba clara sunt & perspicua; quodsi legibus ab ipso Principe latis definitum, qua ratione landsassii sui jus venationis in prædiis exercere debeant: frustra ad interpretationem recurritur, sed plano verborum sensu simpliciter standum erit (a).

(a) *L. ille aut ille 25. §. cum in verbis 1. π. de legat. 3. L. ancillæ 12. cod. de furt. L. eum qui calendis 41. in pr. π. de V. O.*

§. XVI. *In concessione regalis venandi juris tacita, sive acquisitione ejusdem per immemorialem præscriptionem, determinata, qua præscribens hucusque usus est, possessio modum concessionis determinat.*

Concessio Principis tacita, sive immemorialis temporis præscriptio præsumto Principis consensu nititur (Opusc. X. §. LXXXVI.). Qui cum in alios actus, aut modum, quam quo hucusque præscribens usus est, datus esse fingi nequeat: (quomodo enim in id, de quo præscribens fors ne cogitavit quidem, consenserit?) exercitos hucusque possessionis

actus

actus concessioni formam & modum dare, evidens est. Q. E. D.

SCHOLION. Patet inde, quid sibi velit notissima illa juris regula: *tantum præscriptum, quantum possessum*. Quippe possessio justo subnixa titulo fundamentum est omnis præscriptionis & concessionis tacitæ, atque adeo ex eadem sola, quantum acquisitum fuerit, judicari poterit. Vid. CLUD. *de jur. ven. thes.* 25. SIXTINUS *de regal. Cap.* 18. *n.* 57. Kluge Beamte *P. I. tit.* 34. *§.* 7. ubi ex hac regula recte infert, daß/ wann einer nur mit Netzen und Garn auf eines andern Grund und Boden immemoriali tempore gejagt hat / er solches nicht mit andern instrumentis, nemlich mit Hunden / exerciren könne ꝛc.

§. XVII. *Concessio regalis venandi juris sive expressa (§. XV.) sive tacita (§. XVI.), ita explicanda, atque interpretanda, ut, quantum concessionis verba, & hactenus exerciti actus possessorii permittunt, regale venandi jus penes Principem sartum & illibatum maneat.*

SCHOLION I. Coincidit propositio cum illa, quam supra (Cap. IV. §. VII.) de stricte interpretanda concessione regalis venandi juris in territorio alieno demonstratam exhibuimus, iisdemque plane fundamentis innititur. Atque hanc ipsam ob causam conclusiones inde deducendas in præsens caput transtulimus; vel potius, concessiones & præscriptiones, quibus alii extra territorium jus venandi in territorio status alicujus imperii independenti plane nexu consecuti sunt, eodem plane modo, immo strictius interpretandas esse innuimus, quam illas, queis landsassiis jus hocce regale subordinate exercendi copia fit (Cap. IV. §. VIII. Schol. III.). Nimirum talem dedisse consensum, & determinatum suæ concessionis modum (§. XV. & XVI.) cum voluisse Princeps censendus est, qui juribus & suis, & reipublicæ minime officiat. Sane si officia Principis, reipublicæ jura regalia omni meliori modo conservare obstricti (Cap. III. §. XXVI.); si ipsas civitatis rationes comunes (Cap. II. §. XXXVII. & Cap. III. §. XXIV.) ob oculos ponamus: alium consensum, aliamque mentem cum recta eidem ratione affingere nemo poterit.

rit. Atque hac ratione interpretationes concessionum, quæ intereſſe Principum concernunt, faciendas eſſe, omnes conſentiunt; & qui contrarium in tanta, qua hodie jurisprudentia noſtra fruitur, luce defendere auſus fuerit, eum ad barbara ſæcula condemnamus, unanimi ut ſpero ſuffragio. Quod quidam ex *L. 3. π. de conſtitut. Princip.* objiciunt, illud de gratiis perſoſonalibus, aut talibus, quæ Principi haud præjudicant, per me valeat: ut legem iſtam ad conceſſiones jurium quoque regalium traherem, nunquam a me impetrare potui, nec impetrabo unquam.

SCHOLION II. Enimvero regeſſerit fortean aliquis: Cur ergo hodie in conceſſionibus Principum & ſtatuum Imperii latam conceſſionis banni ferini, tam ſubditis & landſaſſiis, quam exteris, ſive dependenti, ſive independenti nexu factæ interpretationem tanto odio habetis, quam tamen ipſi in conceſſionibus antiquis, ab Imperatoribus ante, & circa interregni tempora profectis, tantopere deperiiſtis (Cap. IV. §. VIII. ſequ.)? Annon nimiam hoc, & affectatam placendi cupidinem ſapit? Reſpondeo neutiquam. Et Tu, quisquis es, reſponſi loco cape. Primo, uti non omnis in Principe liberalitas, præſertim quæ cum publici boni diſpendio fit, laudanda: ita, utrum largiſſimæ illæ Imperatorum conceſſiones regalium ſuorum, ſi ad *politicas* regulas expendantur, magnis encomiis extollendæ *ſint*, in ſuſpenſo relinquimus. Facti eæ ſunt, & qui tempora novit, ipſasque conceſſionum chartas inſpexit, de earundem latiſſimo tenore dubius haud hærebit. Harum certe adminiculo, promoventibus internis Germaniæ motibus, Germaniæ Proceres ad hanc, qua eos cernimus, celſitudinem aſcenderunt. Quodſi easdem in territoriis ſtatuum rationes militare, ſi easdem enixas conceſſionum tabulas produxeris, eandemque Principum mentem ex notorio, atque uniformi territoriorum ſtatu præſumendam eſſe, liquido monſtraveris: non habebis refragantes, ſed eadem latitudine conceſſiones à Principibus factas interpretabimur. At vero, quod alterum eſt, ſtatus Imp. jura ſua, ab Imperatore & Imperio acquiſita, ſancte & illibate cuſtodiviſſe, plerorumque territoriorum facies hodiedum commonſtrat, nec exempla e longinquo petenda ſunt. Unde præſumta illa in conceſſione regalium latitudo, & liberalitas apud Principes & ſta-

tus

tus imperii meliora edoctos notorie ceſſat; ut potius juris publici univerſalis regulis ſtricte inhærentes, a conceſſionum ſuarum expreſſo, aut ex rationibus a nobis adductis præſumto tenore ne latum unguem recedant. Ac proin ſufficientes nobis rationes fuerunt, cur diverſam in conceſſionibus imperatoriis antiquis regulam ſtabiliremus.

§. XVIII. *Regale venandi jus tam ſubordinate landſaſſiis, quam aliis extra territorium (Cap. IV. §. VII. & VIII. Schol. I.) conceſſum, in dubio precario potius & ad tempus, quam ſtricto, perfecto, & perpetuo jure translatum eſſe præſumitur.*

Venatio precario conceſſa eſt revocabilis (§. IX.), & quæ ad tempus data, præterlapſo tempore ad territorii dominum redit: quod in venandi jure perpetuo translato ſecus eſt. Quare cum Principem, quam minime poteſt, hoc a ſe regale abdicare voluiſſe veroſimile ſit (§. XVI. Schol. II.): ſi de modo conceſſionis dubium ſubſit, ſi, quod perpetuo idem translatum fuerit, clare expreſſum non extet, nec etiam circumſtantiæ refragentur; utique precario potius & ad tempus, quam perpetuo conceſſum idem fuiſſe dicendum erit. Q. E. D.

SCHOLION. Toties quippe precaria, familiaris, & ad nutum revocabilis poſſeſſio præſumitur, quoties de perfecto jure ſubnixo titulo non conſtat. BRUNNEM. *ad L.* 41. *de acquirend. Poſſeſſ. n.* 6. POST. *de Manut. obſ.* 54. *n.* 10. MENOCH. *de Arbitr. Jud. Libr.* 2. *Caſ.* 160. *n.* 20.

§. XIX. Ex eodem fundamento conſequitur, *ſubditum ſeu landſaſſium regale venandi jus feudi potius, quam allodii jure poſſidere.*

SCHOLION. In allodio quippe ſpes reverſionis ceſſat, quam ſibi præſcindere voluiſſe Principem veroſimile haud eſt. Confer ſupra

supra (Cap. III. §. XXIII.) diploma, seu Investit. liter. Andreæ Episcopi Wirceburg.

§. XX. *Prædio, vel castro simpliciter concesso, jus regale venandi comprehensum haud intelligitur.*

Etenim hoc casu concessio Principis eam interpretationem admittit, ut regale jus Principi salvum sit. Quæ cum expressæ concessionis nulla mentione facta, omnino adoptanda sit (§. XVII.): landsassio & vasallo prædii vel castri possessori hoc casu jus venandi concessum haud intelligi constat. Q. E. D.

§. XXI. *Quin prædio vel castro cum pertinentiis concesso sub pertinentiarum nomine ne quidem regale venandi jus comprehenditur.*

Pertinentiæ cum duplicis generis sint, juris publici aliæ, aliæ juris privati & vulgares (§. XII.): pertinentiarum mentione simpliciter facta Principem de vulgaribus sensisse verosimile est (§. XV. & XVI.). Sub quibus cum regale venandi jus haud comprehendatur (§. *XII.*): nec hoc casu regale venandi jus concessisse dicendus erit. Q.E.D.

SCHOLION. Confer. SCHRADERUS *de Feudis P. III. C. 4. n. 47.* NEUENHAHN *Differt. de Jure Venand.* apud ARUM. *Tom. III. n. 110.* ROSENTHAL *de Feudis C. V. n. 49.* SIXTINUS *de Regal. Cap. XVIII. n. 49. sequ.* Neque hactenus cum KNIPSCHILDIO *de Nobilit. Lib. III. Cap. 5. n. 101.* distinguendum, an in mediatum? an immediatum ea concessio facta fuerit (§. XVII. Schol. I.)? Quodsi tamen Princeps clausula generali: *cum omnibus pertinentiis & juribus*, mit allen *Pertinentien*/ Rechten/ und Gerechtigkeiten/ usus, & jus venandi ab antiquo ex concessione expressa aut tacita Superioris prædio annexum fuerit: aliud dicendum, & regale hoc in novum quoque possessorem translatum fuisse existimamus. Vid. KLOCK. *Vol. I. Consil. 95.*

95. n. 2. ibique allegatus RICHTER. *P. II. Decis.* 100. *n. 15. seq.* JOH. JOD. BECK *de Jurisd. forest. Cap. III. §.* 1.

§. XXII. ***Cumulative, non privative concessum, aut praescriptum esse praesumitur.***

Cumulative jus venandi conceditur, quando Princeps, seu territorii dominus, in venationis districtu cum vasallo, & landsassio in regalis hujus exercitio ex aequo concurrendi facultatem sibi reservat; *privative* vero, quando, nullo sibi venationis coexercitio reservato, idem in vasallum seu subditum transfert. Prior concedendi modus non aeque, ac posterior, Principis & reipublicae juribus praejudicat, uti per se patet. In dubio itaque, & ubi privativae concessionis mentio haud facta, nec in praescriptionis cursu Princeps facto vasalli aut landsassii exclusus fuit, in regalis hujus exercitio concurrendi facultas Principi, semper salva esse intelligitur (§. XVI.). Q. E. D.

SCHOLION. Quod vero Principum Imperii menti repugnet, omne a se regalis exercitium abdicandi, & in concessionibus suis, nisi expresse aliud actum, aut valde praegnantes circumstantiae, v. c. quod venandi jus ex contractu oneroso acquisitum sit, contrarium praesumendum esse suadeant: id investiturarum & concessionum litterae passim perhibent. Confer. supra (Cap. III. §. XXIII.) diplom. Wirceburgense. Ut adeo, quam ex intrinsecis rationibus demonstravimus, praesumtionem ipso etiam facto suo ab antiquissimis retro temporibus satis comprobarint; huicque sententiae tanquam rationum pondere graviori adstipulantur MYNSINGER. *Cent. VI. Obs.* 99. MEVIUS *P. I. Decis.* 44 *& P. II. Decis.* 313. HEIGIUS *P. I. Quaest.* 9. *n.* 20. MENOCH. *Lib. II Praes. 18. n.* 4. BIDENBACH. *Qu. 16.* aliique plures, quos citatos vid. apud BECK *cit. l. C. III. §. III.* Klugen Beamten *P. I. tit.* 34. *§. 7. sub fin.* Neque diversa ratio in praescriptione militat; quae, utpote odiosa, vel

maxime restringenda, nisi de privativa præscribentis possessione indubie constet.

§. XXIII. Juxta tria animalium ferorum genera, scil. terrestria, volatilia, & aquatica, usu & praxi triplex venationis divisio obtinet: *venatio in specie & proprie ita dicta*, animalium terrestrium; *aucupium*, volatilium; & *piscatio*, aquaticorum.

SCHOLION. Hæc ita usu servari notum est. Sed ad quam speciem lutras, fibros, castores, &c., quorum ea natura est, ut terra æque, ac aqua vivant, referemus? Placeret PHILOPARCHI, seu *Auct.* des Klugen Beamtens sententia *cit. l. tit.* 34. §. 9. *sub fin.* distinguentis, utro loco? an in terra? an in aqua degant? & si prius, ad venationes, sin posterius, ad piscationes amphibia hæcce animalia referentis, modo retibus & nassis, *mit* Fisch-Zeug / æque ac aliis instrumentis venatoriis, sclopetis præsertim, & decipulis, caperentur. Ego ad usum & praxin attendendum, hac tacente, ad venationes terrestres potius & pro re nata aucupia eadem referenda putem.

§. XXIV. *Venatione simpliciter sine mentione certæ cujusdam speciei concessa, venatio tantum ferarum terrestrium, sive in specie ita dicta, in subditum, landsassium, aut alium quemcunque translata fuisse præsumitur.*

Venationis nomen simpliciter positum usu & sermone communi piscationes fere nunquam, nec semper aucupia comprehendit (a). Cum itaque Principem venationis verbum in sensu magis recepto, & ita, ut suo regali quam minimum præjudicii inferat, sumsisse verosimile sit (Cap. III. §. XXVI. & XXVII.): aliam, quam venationem in specie ita dictam (§. XXIII.) eundem concessisse, perperam concluditur (§. XVII.). Q. E. D.

(a) HAR-

(a) HARPRECHT. *ad §. 12. Instit. de rerum divis.* KNIPSCHILD *de nobilit. Lib. III. Cap. V. n.* 126. PHILOPARCH. sive Kluge Beamte *d. l. §. 6. n.* 4.

§. XXV. *Unde hoc casu subditus seu landsassus nec aucupandi, nec piscandi jure fruitur, sicut in genere, una alterave specie sigillatim concessa, altera non comprehenditur.*

SCHOLION. Ratione aucupii tamen in praxi hoc ita temperatur, ut, cui jus venandi concessum est, facultate quoque instructus esse censeatur, aream, einen Vogel-Heerd, extruendi. RODING. 5. *Obs.* 37. WEHNER. voce: Vogel-Heerd. Quodsi vero alles Weydwerk in der Luft, auf Erden und im Wasser concessum sit, aut præscriptione immemoriali acquisitum: omnes tres species venationis concessas esse & acquisitas, dubium haud est.

§. XXVI. *Venatio superior* ea nobis dicitur, quæ animalium ferorum genera nobiliora; *bassa, sive inferior*, quæ animalia fera minus nobilia complectitur.

SCHOLION. Quænam animalia fera ad primam, quænam ad alteram speciem referenda, res est in arbitrio legislatoris posita, ex ferarum præstantia, atque raritate definienda. Communiter priori speciei, hohen Wildbann, groß Weydwerk, hoch Wildprät, roth und schwarz Wildprät, accensent: das schwarze Wildprät; als Säue und Bären; das rothe Wildprät, als Hirsche, Gewild, Rehe, ex avibus: Trappen, Auerhahnen, Haselhühner, Birckhahnen, Fasanen, Schwanen 2c. Ad minorem vero reliqua animalia fera, sub majori venatione haud comprehensa, referunt. In quibusdam territoriis inter majorem & minorem, media quoque, die Mittel-Jagd, legibus & usu invaluit, eamque constituunt Schweine, Käuler, Bachen, Frischling, Rehe, Rehe-Kälber 2c. quæ divisio præsertim in Saxonia obtinet; ubi autem recepta haud est, ad eam spectantia animalia fera, venationi superiori vindicantur. Videatur omnino PFEFFINGER *Vitriar. illustr. Tom. III. tit.* 18. §. 18. ubi varias Principum Imp. ea de re constitutiones allegat.

SCHOLION. II. In peculiarem ab his classem rejicienda venatio animalium ferocium, quam ego, nisi aliud usu receptum, soli domino territorii vindicandam reor; eo quod horum animalium venatio, eademque extirpandi officium directo ex summa potestate profluat (Cap. I. §. XXXIV.). Quænam bestiæ feroces in hunc censum veniant, de eo vide SECKENDORFF. teutschen Fürsten Staat / *P. III. Cap. III. Regal. 5.* & ex eod. klugen Beten *P. I. tit. 34. §. 3.* PFEFFINGER *cit. l.*

SCHOLION III. Ceterum licet divisio venationis in superiorem & inferiorem olim non adeo stricte observata fuerit: recentiorum tamen temporum inventum eam esse, vix dixerim; ejus saltem in allegatis a PFEFFINGERO *c. l. §. 14. lit. b.* diplomatibus, aliisque documentis vestigia haud obscura deprehendo. Quid enim in concessionum chartis nominatim expressi *cervi, cervæ, sues, & capreoli*, aliud, quam venationem superiorem? Subsequens vero generalis clausula: *Nec non cujuslibet alterius generis feras sylvestres*: venationem inferiorem indigitat? Confer Diplom. Wirceburgense de a. 1000. (Cap. III. §. XIX. Schol.). HENRICI S. de a. 1023. apud PFEFFING. *cit. l. §. 8. p.* 1374. &c. Supra (Cap. III. §. XXII. Schol.) Diploma Episcopi ANDREÆ; ex quibus omnibus id insuper colligere licet, quod capreoli in Episcopatu & Ducatu Franconiæ nullo non tempore ad *venationem* superiorem, & ad feras nobiliores relati fuerint. *Argumenta* certe, quibus PFEFFINGERUS *d. l.* hujus divisionis vetustatem impugnat, tanti non sunt, ut non aliis longe fortioribus enervari valeant.

§. XXVII. *Venatione simpliciter concessa inferior, non superior, in subditum seu landsassium translata fuisse intelligitur.*

Stabilita enim & legibus firmata venationis in majorem & minorem divisione (§. XXV.), atque ita diversis ejusdem speciebus constitutis Princeps, in concedendo eandem subdito seu landsassio, nisi aliud expressa verba edicant, aut in præscriptione immemoriali exerciti actus possessorii evincant, de ea sensisse censendus est, qua in alium translata rei-

publi-

publicæ juribus, quam poteſt, minimum decreſceret. Quod cum fiat, ſi eundem de inferiore cogitaſſe ſtatuamus, ac præterea ratio nulla contrarium præſumendi proſtet: cur alia, quam inferior, hocce caſu vaſallo ſeu landſaſſio adjudicanda ſit, nulla ratione apparet. Q. E. D.

SCHOLION. Juvat hanc præſumtionem, quod hæc diviſio fere unice ad decidendas controverſias inter Principem & vaſallos, nec non landſaſſios adinventa, atque legibus firmata ſit, ut conſtet, quænam in dubio Principi, quæ ſubditis & landſaſſiis adjudicanda ſit. HEIG. *P. I. Q. XV.* §. *62.* Conferantur quoque ROSENTH. *de Feud. C. V. concl.* 14. *n.* 6. WEHNER. voce: Forſt-Recht / SIXTINUS *de Regal. Lib. II. C.* 18. *n.* 48. MYLER. *de Princ. & ſtat. Imp. Cap.* 73. *n.* 18. COLLEG. ARG. *de acqu. rer. dom.* §. 15. KNICHEN *de pact. veſtiturarum P. II. Cap.* 2. *n.* 27. ubi argumentum a conceſſione jurisdictionis deſumit, qua in genere conceſſa inferiorem, non ſuperiorem conferri conſtat.

§. XXVIII. *Quodſi in conceſſione venationis tantum ſuperioris mentio fiat, ad inferiorem argumentari haud licet; multo minus conceſſa tantum inferiori, ſuperior quoque conceſſa intelligitur.*

Sunt enim diverſæ ſpecies, quarum una alteram non comprehendit; uti in pluribus Germaniæ locis obſervare licet. Princeps itaque concedens unius ſpeciei mentionem faciens, alias omnes excluſiſſe, ſibique reſervaſſe omnino credi debet (§. XV. & XVI.). Non ergo, qui ſuperiorem, venationem, quoque inferiorem, multo minus qui inferiorem impetravit, ſuperiorem ſibi vindicare audet. Q. E. D.

SCHOLION. Interpretatio hoc caſu eo æquior, quod, uti LL. interpretationis omnes volunt, ſenſui literali inhæreatur. Vid. *L.* 41. *de ſervit.* HARPRECHT. *de J. ven. theſ.* 23. CLUD. *de J. venand. theſ.* 19. *lit. E.*

§. XXIX. *Quodsi concessionis tenor certas tantum animalium ferorum species exprimat, aut currente præscriptione actus possessorii nonnisi de venatione ad certas feras & aves restricta edicant: vasallo seu landsassio jus suum venandi ultra protendere integrum haud est.*

In concessionibus expressis Princeps venationibus modum statuit (§. XV.), in tacitis idem actus possessorii præstant (§. XVI.). Irrito igitur conatu sibi idem vasallus aut landsassius, ultra concessum aut possessum modum venationem protendendo, tribuit.

SCHOLION. Constitui ita posse nonnisi certas feras comprehendentes venationum species, a quarum una ad alteram argumentari haud liceat, dubium non est. Vid. GRYPH. *in Oeconom. legal. C. XVIII. n. 62*, & exemplo Baronum de RIEDESEL in Isselbach, qui singulariter venatione aprina investiuntur, illustrant, WEHNER. voce Forst-Recht. DIETHER. ad BESOLD. v. Jagen/ *p.* 420.

§. XXX. Ex eodem fonte consequitur: *quod subdito, seu landsassio, in concessione expressos, aut per actus possessorios hactenus determinatos venandi modos egredi, aliisque instrumentis feras capere aut indagare integrum haud sit* (§. *XV.* & *XVI.*).

SCHOLION. Neque hactenus perinde est, quibus quis modis feras capiat (Cap. I. §. XXIV. seq.). Hanc sane ob causam, cui simpliciter feras venari, das Jagen/ licitum est, sclopetis quoque easdem insectari integrum haud est; id quod de iis potissimum, qui in, aut circa foresta & banna ferina Principum venatione minori gaudent, dicendum; utpote qui crebro sclopetorum fragore feras majores facile dissipare possent. Quodsi nihil determinatum, distinguendum erit, an venatio superior, an inferior concessa? & priore casu omnimodos venationis modos jure exercebit; hoc vero, retibus solum & hujus generis instrumentis, mit Netzen/ Garnen/ Baissen/ und Lausen/ rc. venari poterit. KNIP.

KNIPSCHILD *de nobilit. Lib. III. Cap. 5. n. 120. sequ.* CARL ab HAGEN. *Jurisprud. Lib. III. Cap. 6. p. 506.*

§. XXXI. *Subditus, seu landsassius, aut alius quicunque juris venandi in territorio Principis possessor subordinatus, immo etiam independens (§. XVII. Schol.), feras extra districtum venationis persequendi regulariter jure haud gaudet.*

Jus persequendi feras extra venationis districtum speciem juris venandi in districtu venationum Principis sapit. Quæ cum eo loco, ex supposito, concessa haud sit: sine speciali permissu & concessione Principis illuc, feras persequendo, extendi nequit (§. XV. & XVI.).

SCHOLION. Quod hac in re status imperii inter se observant, ex jure gentium inter diversos populos recepto derivandum, nec ad exemplum a subditis trahendum est. Sicuti nec ex eo, quod dominus territorialis ex jure superioritatis & præeminentiæ jus sequelæ per universum territorium sibi vindicet, idem etiam landsassiis permittendum esse, recte concluditur; quale enim argumentum a subdito ad Principem? Vid. PHILOPARCH. Kluge Beamte *P. I. tit. 34. §. 8. sub fin.* Si tamen fera in districtu venationis graviter vulnerata extra ejusdem limites mox concidat: recte eandem landsassius seu venationis dominus sibi vindicat, utpote in dominium jam redactam suum (Opusc. VIII. §. XCV.).

§. XXXII. *Concesso regali venandi jure, jus circa venationes territoriale Principi semper salvum esse intelligitur (Cap. I. §. XII. & XIII.).*

Differt jus circa venationes territoriale a jure venationis regali (Cap. I. §. VIII. & IX.). Concesso igitur posteriori, prius Principi semper salvum est (ibid. §. XII. seq.): & cum idem non facile, nec aliter, quam subordinate in subditum transfundere valeat (ibid. §. XV.); apparet, in dubio

bio id omnino Principi illibatum esse, nec a landsassio usurpandum.

§. XXXIII. *Regali venandi jure simpliciter concesso, nulla in subditum, seu landsassium jurisdictio, sive civilis, sive criminalis translata censetur.*

Regali venandi juri sua natura nulla jurisdictio cohæret, uti ex ejusdem definitione abunde colligitur (Cap. I. §. IX.), & siquam habet, eam omnem aliunde a summa Principis potestate mutuatur. Quodsi ergo in concessione aut etiam præscriptionis actibus possessoriis nulla talis comprehensa fuit: qua ratione eandem subditus aut landsassius sibi vindicare velit, non apparet. Q. E. D.

SCHOLION I. Regulariter igitur, & nisi aliud actum, *solos actus* venatorios sive per se, sive per alios exercet, sine jure, mandata venatoria affigendi, aut quidpiam subditis præcipiendi aut prohibendi; nec pignorandi quoque jure aliter, quam quatenus id Germaniæ praxi competere dignoscitur, uti permittitur.

SCHOLION II. Enimvero, quoniam plerumque juris venandi possessores jurisdictione insuper subordinata landsassica, *bassa &* inferiori saltem, instructi sunt, ut ipsa experientia rerum optima magistra docet: ex conniventia quoque & consensu tacito Principis eandem simul ad jus venandi extendunt, & in actibus ad venationem pertinentibus exercent. Cave tamen, ne propterea cum JOH. JOD. BECK *Jurisd. forest. Cap. III.* §. *2. Cap. XII.* §. *1.* universalem inde regulam extruas: cum venationis jure jurisdictionem venatoriam seu forestalem, subdito semper concessam intelligi; contrarium praxi tota die testante.

§. XXXIV. Consequitur: *quod, nisi aliunde jurisdictionem centenariam sibi concessam esse subditus seu landsassius doceat, ferarum fures & raptores, in quos dominus territorialis pœnas corporis afflictivas, aut capitales constituit, punire nequeat, sed domino centenæ extradere eosdem necessum habeat.*

§. XXXV.

§. XXXV. Porro, quoniam operæ venatoriæ, jurisdictionis territorialis (Cap. II. §. LXXXIV.), & hinc inde etiam inferioris landsassicæ, seu voghteiæ fructus sunt: *landsassio regulariter nullas operas venatorias deberi evidens est.*

SCHOLION. Ex usu igitur, consuetudine locorum, pactis etiam & transactionibus discendum, quasnam operas venationis dominus jure exigat.

§. XXXVI. *Concesso aut possesso regali venandi jure, jus cingendi sylvam,* das Hagen/ *concessum, aut possessum haud supponitur.*

Jus venandi sylvam, & jus eandem cingendi duo diversa sunt jura, & venatio absque eo, quod sylva cingatur, omnino peragi potest. Quare, cum præterea circumseptio, aut cinctura sylvarum aliis venationum Principis districtibus haud mediocriter officere possit; dominus autem territorii cum minimo regalis sui venandi decremento idem concessisse præsumatur (§. XV. & XVI.): perperam, qui nonnisi venandi jus a Principe tenet, jus quoque sylvam cingendi prætendit. Q. E. D.

SCHOLION. I. Aliud igitur est de domino territorii, qui jus hocce per universum territorium jure exercet. Omnium minime autem venationis dominus id sibi in sylva aliena, in qua forte longo usu jus venandi obtinuit, arrogabit; præsertim si sepes ex lignis alterius, scil. proprietarii, construere cogitet. De moribus & usu Episcopatus Wirceburgensis idem ex allegato supra (Cap. III. §. XXIII.) dipl. Episcopi Andreæ expeditum videtur: nec enim *horti* illi *ferarum circumsepti* aliud, quam sylvas cinctas, Hagen/ denotant; quos nihilominus, uti apparet, absque Episcopi licentia nemo habere potuit.

SCHOLION II. Supersunt conclusiones multæ aliæ non minus momentosæ, quas ex stabilitis hucusque principiis æque prono alveo deducere poteramus. Sed subsistere & prela, & Dissertationis limites jubent.

OPUSCULUM X.

DE POSSESSIONE VEL QUASI REGALIUM, ET IN SPECIE REGALIS VENANDI JURIS, SUBDITUM SEU LANDSASSIUM ADVERSUS TERRITORII DOMINUM PARUM AUT NIHIL RELEVANTE.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & Deo, quæ Dei sunt. Matth. XXII. v. 21.

PRÆFATIO.

Pii bonique Principis non ea postrema virtus est, ne novos quotidie exactionum modos ipsi susurrantibus faciles aures præbeat; neve substantiam subditorum suorum, nisi quantum publicæ necessitates flagitant, ad se, & fiscum suum trahat. Verum enim vero non minus quoque subditum decet, ut, quæ communis boni causa imperantur, tributa & onera, promte parateque conferat, omnium vero maxime, ne iis rebus, quæ extra substantiam privatorum positæ, sub regalium nomine Principi dicatæ sunt, audacem manum admoveat. Unde facile intelligere datur, qua ratione plura fisci commoda, veluti vicesimæ hereditatum, caduca, bona

com-

commissa, & alia his similia, piorum Principum odia fere semper experta sint (a); *eoque MODESTINI effatum pertinere existimo, quando non delinquere putat eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile responsurus sit* (b). *Ast quis citra summam oscitantiam ad ipsa regalia jura, quæ suum civibus in salvo relinquunt, hæc Imperatorum, & JCtorum, suo sensu pia, effata applicare ausit? Sacræ hæc sunt principum, & summæ potestatis particulæ, ad quæ alia, quam concessionis aut privilegii, via accedere subditis merito nefas habetur. Omnis in his juribus pro principe favor militat, pro subdito nullus. Absit igitur, ut, quæ in præsenti specimine de regalium possessione, subditum parum aut nihil relevante, edisseruimus, ex adulandi studio profecta esse, putes. Ex intimioribus juris publici universalis principiis cuncta stabilita firmataque reperies, ipsis civilibus legibus, & Canonum jure non una ratione suffragantibus. Qui, quæ de remediis possessoriis civili jure constituta sunt, ita crude ad regalia, principem inter & subditum controversa, trahunt: illi miseratione potius, quam refutatione digni mihi videntur. Ita mecum sensuros confido, qui hasce pagellas partium studio vacui sunt percursuri. Principi certe non invidebunt, si in sublimibus suis juribus melioris paulo conditionis, quam privatus habeatur. Interim privata cum sint meletemata, citra ullius præjudicium scripta, evulgataque sunto. Vale!*

(a) Vid. PLINIUS *Cap. 36. Panegyr.* de TRAJANO. CASSIODORUS *Lib.* I. *Epist. 22.* de THEODORICO. JUSTINIANUS *Lib. un §. XIV. de Caduc. toll.*

(b) *Lib. 10. ff. de Jure Fisci.*

§. I. **N**On ardua minus, quam sui in praxi momento digna, gravisque inter Juris Consultos agitata quæstio est: *An subditus seu landsassius Principis imperii, in quasi possessione juris cujusdam regalis, & in specie regalis venandi juris, constitutus, & a principe in ejusdem exercitio turbatus, aut dimittere idem jussus, instituto possessorio in possessione defendendus sit, donec dominus territorii in petitorio melius jus probaverit; an vero possessione non obstante, ad edendum titulum compelli, eoque non edito a principe, seu territorii domino, de possessione dejici, eamque princeps jure sibi asserere queat?*

§. II. Circa cujus decisionem non una omnium, sed variæ admodum sunt DDrum sententiæ:

* Alii etenim cœca superstitione legum Romanarum, non tamen, ut in sequentibus plenius probatum dabimus, per omnia nobis adversantium, placita sequentes, privatique juris modulo regalia quoque reipublicæ, & eximia principum jura emetientes, subditum regalium saltem minorum, quæ *fisci* etiam nuncupant, possessorem a *principe* ad edendum possessionis suæ titulum adigi nulla ratione posse statuunt; quin potius, donec territorii dominus possessionis vitium in petitorio plene demonstrarit, defendendum atque manutenendum esse existimant.

SCHOLION. Ita sentiunt BARTOLUS in *L. 1. C. Uti possidetis. L. 1. C. de conduct. & procurat. prad.* OLDENDORP *Classe II. Act. 4. n. 5.* HERTIUS cum BRUNNEMANNO, COVARUVIA, atque MENOCHIO, *in Dissertat. de quasi possidente probante Sect. II. §. IX. Opusc. Volum. I. Tom. III. p. 217.* Cum hac tamen limitatione, si præter possessionem alia probabilis præsumtio accesserit, jus, de quo controversia est, ex privilegio competere. BILDERBECK gründliche *Deduction* gegen die vermeyntliche *Regalität* derer Jagden *Cap. III. Sect. I. & sequ.*

sequ. ubi hanc sententiam late propugnatam, pluresque eidem adstipulantes videre licet.

§. III. Alii moderatius incedentes, licet non qualemcunque possessionem subdito seu landsassio ad manutenentiam proficere largiantur, decennalem tamen, aut certe quadragenariam eam inducere præsumtionem volunt, quæ regalium, consequenter regalis quoque venandi juris possessorem ab editione tituli liberare valeat.

SCHOLION. Defendunt hanc sententiam PACIANUS *de probationibus Lib. II. C. 20. n. 23.* HORNIUS in *Vol. Respons. & Sentent. Sentent. 2.* VULTEJUS *Cons. Marp. Vol. II. Cons. 30. n. 239. seqq.* LUDOV. POSTHIUS *Observ. 44. n. 23.* Sibi tamen ipsi non per omnia constans. Illust. D. de BERGER. *Elect. processus possessorii.* aliique apud BILDERBECK. *cit. loc. Cap. III. Sect. III.*

§. IV. Tertia denique ab his diversa illorum est sententia, qui possessionis regalium, & in specie regalis venandi juris adversus territorii dominum vires nullas esse asserunt, sed subditum, sive landsassium, si quidem titulum, id est, ut infra evincemus, concessionem principis, seu immemorialem possessionem docere nequeat, propria domini territorialis auctoritate, & vigore competentis eidem supremæ jurisdictionis exui eadem ac dejici posse defendunt.

SCHOLION. Huicque sententiæ adstipulatur BALDUS in *L. 2. C. Quomodo & quando.* A. KNICHEN *de sublimi territorii jure C. 5. n. 12.* STRYCK *in Us. Moder. π. Tit. de interrog. in jure faciend.* & *in dissertat. de necessitate edendi Titulum possessionis Cap. 3. per totum.* TEXTOR *in Dissertat. de possess. jurisdictionali § VII. & VIII.* Illustr. D. de WERNHER. *Obser. Forens. p. 2. Observat. 366.* D. LUBBE in solida deductione, sive Gründlichen Bewährung des Seiner Königl. Majest. von Groß-Brittanien ꝛc. ꝛc. in dem Herzogthum Lüneburg zustehenden Jagd-Regal *Cap. V.* ibique allegati plures

§. V. Posteriorem hanc sententiam, utpote legibus tam civilibus, quam canonicis optime suffultam, atque in rationibus non solum juris publici universalis, sed & specialis imperii Romano-Germanici fundatissimam, sicut nostram quoque impræsens facimus, ita in specimine hocce academico solide nunc eandem stabilire, ac fundamentis inconcussis superstruere in animum induximus. Quod ut pro materiæ dignitate, & juxta methodi demonstrativæ regulas rite exequamur, possessionis prius ac judicii possessorii, nec non regalium naturam atque indolem penitius paulo scrutari lubet, ut dispecta examinataque utriusque natura, in subsidium vocatis juris publici tam universalis, quam particularis imperii Rom. Germ. principiis, *an, & quatenus possessoriis judiciis in controversiis subditorum cum domino territoriali locus sit?* limato judicio statuere valeamus. De possessione itaque primum dispiciamus.

§. VI. *Possidere*, quatenus actum mere naturalem & physicum involvit, abstrahendo ab ejusdem moralitate seu animo, quo possidetur, est rem naturaliter in potestate sua habere, hoc est, vel manibus tenere, vel alio actu corporali & contactu immediato eidem insistere; ac proin *possessio* hoc sensu nihil aliud est, quam actus physicus, quo rem aliquam in potestate nostra, hoc est, vel in manibus tenemus; vel actu alio physico immediate eidem insistimus.

SCHOLION. Corporalis, &, ut ita loquar, materialis hujus possessionis mentio fit in *L.* 10. §. 1. π. *De Acqu. vel Amitt. possess. L.* 18. π. ibid *L.* 33. §. 1. π. *De Usurp. & Usucap.* Vix tamen est, ut possessionis eam nomine JCti dignentur. *L.* 1. §. 15. π. *Si is qui testamento liber.* Unde JCtus Paulus. *L.* 1. §. 3. de A. A. P. ait: *sine affectione tenendi non magis quem possidere, quam si dormienti in manum quid positum sit.* Conferatur STRYCK *Dissertat. de possidente non meliore Cap. IV.* §. 2.

2. & 3. FRIDERUS MIND. *de materia poſſeſſionis Cap.* I. §. 9. *ſequ.* HENRIC. DE COCCEJI *Diſſert. de jure ejus quod facti eſt, modisque illius amittendi Sect. IV.* §. 1.

§. VII. Proprie vero, & in ſignificatu morali, ſive juris, *poſſidere aliquid* dicimur, quando rem manibus tenemus, vel eidem, cum animo inſuper ſeu voluntate eam nobis habendi, inſiſtimus; v. c. quando fundo ſeu prædio corpore inſiſtimus, aut rem aliam mobilem manibus comprehendimus, cum animo, ut nobis eandem habeamus, & in ordine ad jura quædam in- vel circa eandem exercenda. Unde quid hoc ſenſu *Poſſeſſio* ſit, obſcurum eſſe nequit. Differt a priori (§. VI.), quod illa ſit nude materialis, & velut corpus ſine anima; hæc vero affectione, ſeu animo habendi animata moralem naturam induat, & effectus jam juris poſt ſe trahat.

SCHOLION. *Facti enim & animi eſt poſſeſſio*, uti ULPIANUS loquitur *all. L. 1.* §. *15. ff. Si is qui teſtamento liber* & *L. 1.* §. *3. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Vid. illuſtr. D. de COCCEJI alleg. Diſſert. *Sect. IV.* §. 1.

§. VIII. Stricte itaque & in ſignificatu poſteriori (§. VIII.) non poſſidet, niſi qui conjunctim cum animo & intentione rem ſibi habendi, manibus quoque eandem comprehendat, aut corpore, ſi res immobilis ſit, inſiſtat. Enimvero introductis dominiis, & in ſtatu proprietatis rerum arctis hisce terminis factum poſſeſſionis concludere minime conveniens erat, nec ſine inconcinnitatibus quamplurimis tranſitoria ejusmodi poſſeſſio conſiſtere poterat. Quæ obſecro! abſurditas? dominum, quamprimum rem mobilem e manibus dimittit, aut a fundo, domove, quam inhabitat, pedem movet, poſſeſſione ſimul excidere, quam alius nunc pro lubitu arripiat, ſibique acquirat, excluſo, qui momento poſt redit, priore domino? Quare in ſtatu, quo

nunc

nunc vivimus, proprietatis rerum possessionis significatum cum latitudine aliqua accipiendum fuisse patescit, ita ut penes proprietarium, re licet e manibus dimissa, persistere eo usque censeretur. donec & animus, & facultas, seu potentia naturalis rem tenendi, apud eundem perdurare concipitur. Atque hoc intuitu illustr. D. de Cocceji (a) *possessionem* recte definit, quod sit *facultas naturalis* (hoc est potentia & possibilitas physica ad actum statim, & pro lubitu reducibilis) *rem corpore tenendi, cum animo sibi habendi*; *possessidere* autem, eo animo, eaque potentia naturali instructum esse denotet. Facultas scilicet naturalis, & animus tenendi sunt duo velut possessionis cardines, & ad ipsam ejus formam conjunctim requiruntur, uno vero aut alterutro vere & in effectu deficiente, aut ab alio intercepto, *possessio* amittitur, neque amplius in salvo consistit (b).

(a) *Cit. Dissertat. Sect. IV. §. 1.*
(b) Idem *all. l. §. 4. seq. & Sect. V. §. 1. seq.*

§. IX. Sicuti autem res tantum corporales *manibus* tenentur, eisdemque proprie corpore insistitur: *ita* stricte loquendo rerum solum corporalium, minime vero jurium, aliarumque rerum incorporalium vera possessio esse intelligitur; præsertim cum res incorporales in animo magis resideant, & in morali tantum aliquid faciendi, petendique facultate consistant. Quoniam nihilominus, introducta potissimum proprietate rerum, perinde ut res corporales, proprietatis jure habentur, atque naturalis etiam agendi, & jura exercendi potentia cum iisdem conjuncta esse supponi debeat; hæc autem detentionis & facultatis rem corpore tenendi vicem optimo jure subeat: non apparet, cur jura seu res incorporales non perinde atque res corporales & animo sibi haberi, & corpore quasi teneri, id est, exerceri

ceri valeant. Rerum igitur quoque *incorporalium* quædam velut *poſſeſſio* concipitur, quæ perinde ut poſſeſſio rerum corporalium, & ex iisdem rationibus cum latitudine quadam, & continuatione intelligenda erit (§. VIII.), atque definiri poterit: quod ſit facultas, ſeu poſſibilitas & potentia naturalis, rem incorporalem (i. e. facultatem moralem) corpore tenendi (id eſt exercendi & ad actum deducendi), cum animo ſibi habendi: ut proin, qui e. g. jus venandi in certo diſtrictu proprium habet, tam diu illud poſſidere intelligatur, quam diu nec animum, illud ſibi habendi, depoſuit, nec phyſica, idem per ſe, vel per alios exercendi, facultate, deſtituitur, aut eadem ab alio legitime privatus fuerit.

SCHOLION. Inde eſt, quod poſſeſſio rerum incorporalium in jure quaſi poſſeſſionis tantum nomine inſigniatur, h. e. propter ſimilitudinem quandam, & analogiam res incorporales poſſideri dicantur; conſentientibus *L. 1. §. 27. π. De uſurp. & uſucap.* ibi: *Quia nec poſſideri intelligitur jus incorporale.* Item *L. 43. §. 1. π. de acqu. rer. dom.* ubi dicitur, quod nec traditionem proprie recipiat.

§. X. Poſſeſſionem naturalem & phyſicam (§. VI.), qua in actuali rei detentione, & inſiſtentia ſuper eadem conſiſtit, meri facti eſſe facile patet; cum nihil hic juris interveniat, nec niſi facta & actiones phyſicæ occurrant. Sed nec de poſſeſſione proprie tali (§. VII.) & in ſenſu juris ſumta aliud dicendum; cum voluntas illa, ſeu intentio rem ſibi habendi, quæ ſuperaccedit, utut in anima ſit, non minus tamen facti eſſe dignoſcatur (a), necquidpiam faciente, quod per facultatem ſeu potentiam naturalem, rem corpore tenendi, non vero per ipſam actualem detentionem, quæ proprie actus phyſicus eſt, poſſeſſionem definiverimus (§. VIII.). Etenim, poſtquam cum latitudine atque extenſione aliqua accipienda fuit poſſeſſio (§. eod.), per potentiam ſeu facultatem naturalem rem tenendi ipſa etiam detentio

atque insistentia super re physice & actu continuata intelligi debuit; perinde ut animus & voluntas rem sibi habendi perdurare censetur, licet de aliis interea rebus dominus sive proprietarius cogitet.

SCHOLION. Eatenus igitur bene sese habet illorum sententia, qui possessionem e classe jurium prorsus eliminant, neque ad jura in re, nec ad jura ad rem referunt, sed præmissa distinctione inter ea, quæ sunt meri facti, sub priori divisionis membro tanquam sub genere ea, quæ sunt juris in re, & ea, quæ sunt juris ad rem, collocant; possessionem vero secundo membro accensent; pluribus hæc dilucidante illustr. D. de COCCEJI *cit. loc. Sect. III. §. 3.*

(a) *L. 12. de capt. & postlim.* item *L. 1. §. 3. π. de acquir. vel amitt. possess.*

§. XI. Enimvero possessio, quatenus in facto consistit (§. X.), cum actio humana & factum morale sit (VII.); hoc autem absque jure, ceu causa & ratione ejusdem determinante, concipi nequeat: patet, quod factum possessionis, seu, si mavis, ipsa possessio, in possidente necessario quoque jus supponat, sive verum illud, sive putativum, sive præsumtum, quod in externa hominum opinione consistat. Originem igitur, seu causam possessionis moralem, si spectes, eam utique juris esse apparet. Ac proin, sicut possessionem per facultatem naturalem cum COCCEJO (§. VIII.) definivimus: ita *possessionis*, *seu possidendi jus* per facultatem moralem, rem corpore sibi tenendi, definiri hic poterit.

SCHOLION. Sed est tamen hocce possessionis jus multum ab ipso facto possessionis diversum, veluti causa a suo effectu, facultas ab ipso actu, qui in ejus conformitatem suscipitur; nec plane confundendum cum jure possessionis, quod possessionem actu nobis quæsitam consequitur, cujusque mox fontes indigitabimus.

§. XII.

§. XII. Porro, quoniam jura, quæ circa res nobis competunt, & ad quæ actu exercenda actuali possessione ac detentione opus est, vel *in re* sunt, vel *ad rem*: duplex quoque possidendi jus concipimus, quorum unum ex *jure reali*, alterum ex *jure personali* oritur. *Primum* naturam suæ causæ sequitur, atque juris realis a juribus in re, unde nascitur, naturam mutuatur; *posterius*, perinde ut jura reliqua ex contractibus orta, ad classem jurium personalium referendum venit. Sic, qui dominus est, ex ipso dominii jure reali jus quoque possidendi reale habere dignoscitur; cui ex locato fundi possessio debetur, nonnisi jure personali ex contractu possessionem petere valet.

§. XIII. Causam possessionis moralem sive legalem ejusdem *Titulum* dicimus Enimvero jus possidendi causam ejusdem moralem absolvit (§. XI) Quare jus possidendi titulum quoque possessionis constituit.

§. XIV. Prout igitur jus possidendi vel ex jure reali est, vel ex jure personali (§. II.), duplex quoque possessio facti enascitur, alia *ex jure in re*, alia *ex jure ad rem*. *Illam* definimus, quod sit potentia naturalis, rem tenendi, cum animo propriam sibi, seu ex jure in re, habendi: *hæc* est potentia naturalis, rem tenendi cum animo sibi habendi ex jure personali. Priori ratione dominus sive rei, sive juris in re, plenus, sive minus plenus, directus, sive utilis possidet: posteriori modo, conductor commodatarius &c. rem tenent.

SCHOLION. Magis proprie tamen, & in sensu juris strictiori illam solam JCti possessionis nomine dignantur, quæ ex proprietatis similive jure in re enascitur, vel saltem cum animo quali quali, rem sibi propriam, habendi, conjuncta est (a). Atque de hac impræsens tantum solliciti sumus, utpote cujus gratia re-

media possessoria maximam in partem comparata, aliaque plurima in favorem possidentium introducta fuerunt.

(a) STRYCK. *Dissertat. de possidente non meliore C. I. §. 3. in fin.*

§. XV. Cui dominium seu proprietas rei competit, solus, & cum exclusione aliorum de re disponendi, eamque in usus suos convertendi jure gaudet (Opusc. VIII. §. I. sequ.). At vero facultas hæcce moralis, sive jus, sine facultate naturali, sive physica rem sibi tenendi, eidemque insistendi potentia non concipitur; uti consideranti patet. Quare, siquidem propriam rem esse velimus, domino jus eandem possidendi (§§. VII. & XIV.) competere, necessario dicendum erit.

§. XVI. Quo posito alterum quoque necessario ponitur, ea dicuntur inseparabilia. Quare, cum posito dominio seu proprietate rei, jus quoque possidendi ponatur (§. XV.): hoc a dominio seu proprierate rei inseparabile esse apparet.

SCHOLION. Si cui fundus proprius est, necessario *quoque jure* eundem possidendi gaudet, neque hoc a proprietate *separatum* concipi potest. Atque adeo possidendi jus portio velut & pars dominii merito dicitur. Quæ dubia hic moveri poterant, quod tamen, qui de proprietate docere nequit, in possessione defendatur, eamque ab aliis repetendi jure gaudeat, ea in sequentibus, explanatis judiciorum possessoriorum fontibus, sua sponte corruent.

§. XVII. Quoniam porro præter dominum seu proprietarium nemo possidendi jure instructus est (§§. XV. & XVI.): quicunque præter verum dominum in possessione rei est, in facto versatur, a solo domino, aut ejus voluntate, explicabili. Jure igitur id sibi dominus vindicat, & possessionem, quatenus facti est, a quocunque possessore avocat.

SCHO-

SCHOLION. Demonſtrato ſcilicet proprietatis jure; alias enim potiores eſſe poſſidentis partes ex mox dicendis elucefcet.

§. XVIII. In poſſeſſione, de qua hic ſermo, duo occurrunt, animus nimirum rem ſibi propriam habendi, & actualis rei detentio, aut naturalis ſaltem detinendi, reique inſiſtendi potentia. Utrumque per alium noſtri nomine explicari nil impedit. Quid ni enim alius & animo, & corpore vicaria velut opera rem nobis teneat? Multo magis ſolum factum poſſeſſionis in alio noſtro nomine conſiſtit, ita ut animo noſtro corpore alieno poſſideamus, duoque hi actus diverſis licet in perſonis una poſſeſſio reputandi ſint.

SCHOLION. Id ſatis clare explicat Paulus JCtus *L.* 3. *§.* 12. *tit. de Acqu. vel amitt. poſſeſſ.* verbis: *Ceterum animo noſtro corpore etiam alieno poſſidemus, ſicut diximus per colonum & ſervum; nec movere nos debet, quod quasdam res etiam ignorantes poſſidemus, id eſt, quas ſervi peculiariter paraverunt, nam videmur eas eorundem & animo & corpore poſſidere.* Item *L.* 18. *eod. Quod meo nomine poſſideo, poſſum alieno nomine poſſidere; nec enim muto mihi cauſam poſſeſſionis, ſed deſino poſſidere, & alium poſſeſſorem miniſterio meo facio. Nec idem eſt poſſidere, & alieno nomine poſſidere; nam poſſidet is, cujus nomine poſſidetur. Procurator alienæ poſſeſſioni præſtat miniſterium.*

§. XIX. Atque ex allegatis juris textibus ſimul pateſcit, quod, ſicut poſſeſſio mere materialis (§. VI.) cum poſſeſſione morali, ſeu juris (§. VII.), ſalva conſiſtit, nec ideo, quod ego rem alterius, ſine animo atque affectione rem mihi habendi, manibus comprehenſam teneam, dominus ſive proprietarius poſſidere deſinit (§. VIII.): ita a pari, quam ex proprietatis ſeu dominii jure teneo, cum illa, quæ ex jure perſonali fluit (§. XII.), omnino in ſalvo ſubſiſtat, unusque ut dominus, h. e., propriam, & in ſenſu ſtrictiori (§. XIV, Schol.), alter ut conductor, commodatarius, aut

colonus jure mere personali, sine affectione domini rem possideat. Quatenus corporalis rei detentio seu insistentia ex proprietatis jure consequitur (§. XV.); eatenus conductor rem tenendo vicariam domino operam, & ministerium præstat, & cum animo domini rei veram possessionem constituit (§. XVIII. Schol.): quatenus autem ex contractu sibi competente jure, consequenter utilitatis quoque suæ gratia rem corpore tenet; eatenus & ipse recte possidere dicitur. Quam tamen conductoris possessionem si impropriam saltem & detentionem magis dicere amas, non insurgo; jure minimum eundem possidere negari nequit.

SCHOLION. Hoc sensu duos in solidum possidere posse *nemo* ambigit; an vero ejusdem speciei possessio, e. g. ex *dominii* jure fluens & cum animo rem sibi propriam habendi penes duos in solidum esse possit, difficilioris indaginis est, nec huic jam discussioni nos immittimus: putem tamen difficultatis nodum omnium facillime solvi, si inter jus possessionis, possessionem veram, putativam, & in foro externo præsumtam probe discernere noveris. Vid. FRIDER. *de Mat. possess.* C. X.

§. XX. Interim tamen minime implicat, *quo minus* alius rem, quæ in effectu nostra est, consequenter quam possidendi privative jure gaudemus, cum animo, eandem sibi ut propriam habendi, corpore quoque detineat. Si a jure, ex quo justitia possessionis derivanda (§. XI.), abstrahamus, possessorem hunc eadem, qua nos ratione possidemus, de facto possidere liquet; nec quod ad factum possessionis attinet, differentia apparet. Adest animus seu affectio domini; adest quoque, ut supponimus, corporalis rei detentio, consequenter possessio proprie & vere talis (§. VII.); quam a genuina & in proprietatis vero, non fictitio aut spurio iure fundata, non aliter nisi cognito proprietatis jure discernere licet. Quapropter quoad forum externum, & existi-

existimationem hominum veram quoque rei alienæ possessionem esse constat.

§. XXI. Quod si vero ad jus, unde fluit, & in quo fundatur possessio (§. XI.), respiciamus, tres possessionum diversas species nanciscimur, *genuinam*, *putativam*, *&* *spuriam*. *Illam* dicimus, quando possessio vero dominii aut proprietatis jure innititur, qualis est veri domini. Altera, sive *putativa* est, quam habet is, qui erronea opinione ducitur, rem, quam possidet, proprietatis jure sibi affectam esse, cum revera ad alium pertineat. *Spuria* autem vocatur, quam quis cum mala fide tenet, h. e. cum scientia rem esse alterius, animo nihilo minus seu affectione eam sibi ut propriam habendi; qualis est furum, atque prædonum.

SCHOLION. Quando de remediis possessoriis sermo est, has distinctiones, præsertim secundam, non attendi ex infra dicendis palam fiet.

§. XXII. Sola possessio *genuina* rei propriæ est; putativa vero & spuria rei alienæ (§. XXI.). Putativam etiam *bonæ fidei*, spuriam *malæ fidei* possessionem nuncupant, quoniam priore casu possidens bona fide, h. e. justa opinione se dominum credit; altero vero casu sciens, consequenter præmediate ac dolose rem alienam detinet.

SCHOLION Posterior hæc possessio in foro conscientiæ ne possessionis quidem nomine dignanda, atque hanc ob causam *spuriam* etiam eandem appellavimus; etenim detentio potius dolosa, ac fraudulenta rei alienæ contrectatio, quam possessio est. Naturalem eam subinde JCti vocant, atque civili, quam opinio domini comitatur, contradistinguunt. MEIER *coll. J. A. Tit. de acquir. vel amitt. possess. n. 5.* Siqui igitur in republica possessionis hujus momentanei effectus sunt, & beneficiis possessionis aliqua etiam ratione prædo, fur, & latro, præsertim adversus extraneos fruatur; ea tamen momentanea saltem sunt, nec

ultra, quam de mala fide plenius non constet, durare solent. Potissimos hos possessionis malæ fidei effectus recenset STRYCKIUS in allegata sæpius dissertat. *de possid. non meliore C. I. §. 5.* e. g. quod, qui a me vi possidebat, habeat contra tertium interdictum *uti possidetis per L. 1. §. fin. L. 2. π. Uti possidetis*, & *interdictum Unde vi. L. 1. §. 30. De vi & vi armata &c.*

§. XXIII. Id, ex quo intelligimus, cur possessio jure non subsistat, quin potius sine causa atque ratione sufficiente penes possidentem sit, *vitium possessionis* dicimus; quæ vero vitio tali affecta est possessio, *vitiosa* nuncupatur.

SCHOLION. Vitia possessionis in sensu hic latissimo sumimus, ita ut nihil prorsus excludamus, ex quo aut nullitas, aut injustitia possessionis evinci valeat, sive ad petitorium, sive ad possessorium ejusdem discussio pertineat.

§. XXIV. Vitium possessionis in causa est, quod possessio jure non subsistat (§. XXIII.). Unde per modum corollarii infertur, quod demonstrato possessionis vitio ipsa quoque possessio corruat, nec salvo jure penes possidentem relinqui debeat.

§. XXV. Ex solo proprietatis seu dominii jure justæ possessionis, de qua hic sermo (§. XIV. Schol.), causam concipimus (§. XV.). Qui igitur rem non propriam, sed alienam possidet, justa possessionis causa destituitur. Quapropter possessionem, quæ defectu proprietatis seu dominii laborat, vitio affectam esse liquet (§. XXIII.).

SCHOLION. Vitium ex defectu proprietatis intrinsecum & reale est, semperque rem, nisi usucapio completa fuerit, sequitur; quod autem, qui rem alienam justa opinione domini, aut firmiori, quam alter, jure possidet, vitiose possidere non dicatur, inde est, quod vitia non præsumantur (§. XXVIII. sequ.), sed ab allegante probanda sint.

§. XXVI.

§. XXVI. Alium vitioſæ poſſeſſionis fontem ſubminiſtrat prohibitio legis, vi cujus certæ perſonæ a rerum quarundam poſſeſſione arcentur; cujusmodi exempla in rebus ſacris & Eccleſiæ offendimus. In eundem cenſum referendum, quando ex ipſa perſonæ & rei qualitate, illius hanc poſſidendi incapacitas eluceſcit, veluti de regalibus & juribus majeſtaticis infra pluribus ſumus oſtenſuri.

SCHOLION. Et hæc quoque poſſeſſionis vitia realia eſſe apparet, atque, dum lex in ſalvo ſubſiſtit, nec vitia alia ratione purgata fuerint, rem perpetuo ſequuntur.

§. XXVII. Aliud denique eſt vitium poſſeſſionis perſonale ex facto poſſidentis, propter quod poſſeſſio penes poſſidentem jure non ſubſiſtit; quorſum pertinet I. *Vis coactiva* in acquirenda nobis, & eripienda alteri poſſeſſione adhibita; unde *poſſeſſio violenta* dicitur, quam quis expulſo vetere poſſeſſore armata manu, & per vim obtinuit. II. *Vitium clandeſtinitatis*, unde *poſſeſſio vitioſa clandeſtina* oritur; nimirum, quam quis ſubdole, & per fraudem inſcio ac invito domino eripit, ſuoque nomine occupat. Sicut poſſeſſio violenta cum rapinæ, ita clandeſtina poſſeſſio cum furti crimine ut plurimum conjuncta eſt; ſine doloſa ſaltem animi affectione nunquam habetur. III. Denique huc ſpectat *vitium precarii*, quo poſſeſſio afficitur, quando quis vel ad tempus definitum vel indefinitum rem alterius ex contractu commodati, depoſiti, aut alia ex cauſa dominii & juris in re non translativa detinet, ſibi vero interim cauſam mutans, ſuo & proprio nomine poſſidere incipit, atque ſic repetenti eandem domino reddere detrectat.

SCHOLION. Quando violentæ & clandeſtinæ poſſeſſionis vitia, ad vitia realia a JCtis referuntur, id impræſens, ubi de poſſeſſionis ſolum, non de uſucapionis effectibus ſolliciti ſumus, mi-

nime attendimus. Conferat interim, cui volupe est, JACOBI FRID. LUDOVICI *Dissertat. de vitio reali & personali* §. 5. *sequ.*

§. XXVIII. Officiis erga alios, & amori erga proximum e diametro adversatur, sine ratione sufficiente & justa causa malum quempiam & delicti reum reputare, aut præpropero judicio in jura eundem legesque civitatis publicas peccasse, statuere. Quare nec rei alienæ violentum invasorem, fraudulentum contrectatorem, atque usurpatorem quempiam præsumere convenit, nisi hujus præsumtionis sufficientes rationes prostent; hoc est, nisi de vi injusta, fraude, doloque rem alterius detinentis constet. Enimvero in rei alienæ, aut ab alio saltem tranquille possessæ, violenta, clandestina atque precaria invasione & occupatione *vitia* possessionis personalia consistunt (§. XXVII.). Hæc itaque temere & sine justa causa in possidente præsumenda non esse evidens est.

§. XXIX. Sed neque vitia possessionis realia (§§. XXV. & XXVI.) sine justa & legitima causa præsumenda esse facile evincimus. Pone enim præsumi defectum proprietatis seu dominii: hoc casu possidentem rem alienam possidere simul præsumas, necesse est. Enimvero rem alienam invito domino possidere citra injustitiæ notam nemo potest. Injustum itaque possessorem & delicti reum absque sufficienti causa præsumis. Quod cum virum probum non deceat, & officiis erga alios repugnet (§. XXVIII.): vitia realia seu intrinseca nec facile, nec absque ratione prægnanti præsumenda esse constat.

SCHOLION. Idem de vitiis ex lege oriundis (§. XXVI.) dicendum, nisi quod vitiorum hujus generis probata sanctione legis, & demonstrata rei qualitate liquidissima statim probatio fiat. Et quoniam leges civitatis nemo facile ignorare præsumitur:

tur: hinc eæ res, quas leges possidere prohibent, aut quæ ex sua natura penes certas personas esse nequeunt, vix, ac ne vix quidem sine mala fide possidentur.

§. XXX. Quoniam igitur nec vitia personalia (§. XXVIII.) nec vitia realia (§. XXIX.) præsumuntur; possidens in justa & ex dominii jure oriunda possessione esse præsumitur. Talem autem cum habere nequeat, nisi dominus, vere aut putative talis: possidentem, quam diu de vitio possessionis non constat, rei possessæ dominum esse æqua utique præsumtio militat, tam diu firmo statura talo, donec alius ad rem suam, aut lege possideri prohibitam, aut vi, clam vel precario possessam evicerit.

SCHOLION. Præsumtio scilicet juris est, non de jure, (uti loquuntur). Apprime huc faciunt verba SAMUEL. STRYCKII alleg. sæpius Dissertat. *de possidente non meliore in Præfat.: Non juris civilis tantum inventum hoc esse, sed naturali idem rationi convenire, asserente* GROTIO, *Lib. II de J. B. & P. Cap. XXIII. Thesi 11. Cum enim communis hominum cognatio, quam inter eos natura constituit, L. 3. π. de J. & J. non sinat, de aliis pejus præsumere, & vitium actus alicujus, tanquam præternaturale, sit probandum illi, qui negotium iniquitatis incusare cupit: merito favendum erit possidenti, & bene de eo præsumendum. Quam ob causam possessio etiam juste, & ex titulo ad transferendum dominium habili præsumitur acquisita, ut possessor nec probare, nec allegare cogatur causam suæ possessionis, sed pro domino habeatur, donec alter intentionem suam liquido probaverit.*

§. XXXI. Dominum in possessione rei suæ defendendum atque manutenendum esse nemo dubitat. Quapropter cum possidens, donec de vitio possessionis constet, dominus esse præsumatur (§. XXX): possessorem quoque, dum de vitio plena fides judici facta fuerit, in possessione sua defendendum esse liquet (a).

(a) *L. 2. π. Uti possidetis.* STRYCK. *cit. l.* ubi cum POSTHIO idem in possessore asinario (ut ajunt), spoliatore, fure, & in genere, vi, clam, vel precario possidente procedere statuit.

§. XXXII. Porro, quoniam possessor domini jure possidere præsumitur, non potest non ei, qui vitiosam possessionem esse prætendit, onus probandi incumbere, quo vitio affecta sit possessio; an defectu proprietatis laboret, an contra leges, an vi, clam, aut precario occupata sit (§. XVII.). Ipsum igitur possessorem ab onere probandi immunem esse liquet (a).

(a) *L. 14. π. de probat. L. 14. & 15. C. eod.*

§. XXXIII. Ex dominio seu proprietate justus *& sufficiens* possessionis titulus intelligitur (§§. XI. & XIII.). Possessorem itaque justo titulo possidere præsumtio est. Unde sine ratione ad edendum alium possessionis suæ titulum compellitur (a). Ex eodem fonte est, quod possessores rerum immobilium a satisdatione immunes sint (b).

SCHOLION. His tam diu sua constat veritas, *quamdiu pro* possessore dominii præsumtio militat: aliud vero *obtinere* infra docebimus, quando aut legis prohibitio, aut personæ inhabilitas plene evicta, contrariæ præsumtioni locum facit. Quæ in antecessum iis dicta velim, qui regalium quoque possessores ex eodem hoc principio generali ab editione tituli perperam liberos pronunciant.

(a) *L. 11. C. 1. de petit. hered.*
(b) *L. 15. π. Qui satisd. cog.*

§. XXXIV. Dein, cum in civili licet societate viventes domini res suas privata etiamnum auctoritate adversus injustos invasores recte defendant (a): illud quoque possessionem

ſionem commodi conſequitur, quod poſſeſſor poſſeſſionem ſuam vi & manu forti adverſus quoscunque, injuſte eundem deturbare conantes, defendendi jure gaudeat (b), eaque dejectus dejicientem confeſtim iterum dejiciat (c).

(a) *Arg. L. 17. π. de vi & vi armat.*
(b) *L. 1. C. Unde vi.*
(c) *L. 3. §. 9. L. 17. π. de vi & vi arm.*

§. XXXV. Eadem hæc, quæ pro poſſeſſore militat, præſumtio efficit, ut vitio poſſeſſionis nec ſufficienter nec legaliter probato pro poſſidente ferenda ſit ſententia (a): & in genere in pari cauſa melior ſemper poſſidentis conditio cenſeatur (b).

(a) *L. 125. & 128. π. de R. I.*
(b) *Cap. in pari delicto 65. de R. I. in 6.* MINDAN. *de mater. poſſeſſ. Cap. IX. n. 18.*

§. XXXVI. In poſſeſſore b. f. id ſpeciale eſt, quod fructus bona fide perceptos partim pleno & irrevocabili, partim revocabili jure ſuos faciat (a). Item quod rem ſuo tempore lege definito poſſidens pleno jure ſibi acquirat (b); ut commoda poſſeſſionis alia plura ex eodem a nobis ſtabilito principio promanantia ſilentio prætermittamus (c).

(a) *L. 48. π. de A. R. D. L. 4. §. 2. π. Fin. Regund.*
(b) Vid. STRYCK. *Diſſertat. de poſſidente non meliore Cap. I. §. XIX.*
(c) Videri iis poterit alleg. modo FRIDER. MIND. *c. l. Cap. VIII. & IX.*

§. XXXVII. Ex enumeratis hactenus poſſeſſionis emolumentis affatim eluceſcit, beatos eſſe actu poſſidentes, id eſt, felices eosdem præ non poſſidentibus pronunciandos eſſe; lite ſiquidem cum aliis circa rei proprietatem, aut poſ-

sessionem impliciti rem actu tenentes multis incommodis liberi esse dignoscuntur (§. XXXI. sequ.), queis subjacent, qui possessione destituti vel de proprietatis , vel de possessionis jure litigare opus habent. Actualem itaque rei detentionem, seu possessionem, quatenus facti est (§. X.), inter bona hominis computandam esse , quis dubitet ? Qui actu rem detinet , alia re opus non habet, quam ut actu domini jure se possidere profiteatur, ut manuteneatur (§. XXXI.), ut onus probandi in adversarium , immo ipsum proprietarium rejiciat (§. XXXII.) , proprietatis jure ipse destitutus, & vitiose licet possidens.

§. XXXVIII. Hoc ipsum tamen factum possessionis cum sine causa, scilicet dominio, sive vero, sive *putativo*, sive præsumto non concipiatur (§. XI.) , videri poterat, uter jure possideat, aut possidere debeat, facile discerni posse; dum, cujus res propria sit, consequenter jus possidendi habeat (§. eod.), judiciario ordine indagatur. Enimvero, præterquam quod hæc discussio multis ut plurimum ambagibus, atque difficultatibus obvoluta sit, durum *foret*, verum rei dominum, aut bonæ saltem fidei *possessorem* , qui citra culpam suam, dolo forsan alterius possessione excidit, ad tædiosam dominii probationem ablegare, possessore interim & re, & fructibus rei gavisuro. Quapropter incivile utique fuerat, de facto possessionis, ad quem pertineat, non nisi plene cognita proprietatis causa statuere , nec aliter possidentem ad dimittendam possessionem adigere, quam si proprietarius dominii jure sibi eandem competere monstraverit.

§. XXXIX. Omnino igitur rectæ rationi conveniebat, justitiam facti possessionis ex causis domesticis, a dominii jure, unde fluit (§. XI.), diversis metiri, eamque ju-

stam ,

ſtam, manutenibilem, & beneficiis poſſeſſoriis dignam reputare, quam quis nec vi, nec clam, nec precario adeptus, aut duobus de facto poſſeſſionis contendentibus, cujus poſſeſſio antiquior, pluribusque actibus poſſeſſoriis firmata fuerit (a): injuſtam ex adverſo, nec manutenibilem illam enunciare, quam quis vi, fraude, doloque malo alteri ſurripuiſſe probatus fuerit, aut quam judex inſtituta cum poſſeſſione adverſarii comparatione juniorem, infirmioremque deprehenderit, verbo, quam aut propter vitium perſonale (§. XXVII.), fraudem & dolum, aut propter colliſionem cum poſſeſſione adverſarii firmiori defenſione ac manutentione indignam eſſe recta ratio inſinuat. Ita enim effectum, ne temere quis poſſeſſione ſua exueretur, neque tamen fraudibus ac dolis via pateret, aut domini duras & difficiles proprietatis probationes ſubire neceſſum haberent. Equidem contingere hac ratione poterit, ut in poſſeſſione defendatur, qui rei dominus non eſt; ab eadem contra arceatur, cui de jure ea competit. Aſt non aliter judiciorum ordo, nec dominii rationes ferunt (§. XXXVIII.). Poſſidens præſumitur eſſe rei dominus (§. XXX.), a qua præſumtione ne micam recedit judex, niſi, qui jus poſſeſſionis impugnat, ex proprietatis ſibi competente jure, aut ex prohibitione legis, & perſonæ poſſidentis inhabilitate poſſeſſionem ab eodem avocandam, ſibique adjudicandam, vel etiam propter perſonale poſſeſſoris vitium, vim, fraudem & dolum manutentione ulteriori indignum eundem eſſe manifeſtum fecerit.

(a) C. 9. X *de probat.*

§. XL. Licet ergo, ſtricte loquendo, omnis poſſeſſio (§. XIV. Schol.) dominium & jus in re, ſive verum, ſive putativum, ſive in foro externo præſumtum ſupponat; con-

consequenter aliud possidendi jus, quam supra definivimus (§. XI.), vix concipiatur: quoniam tamen ex intrinseco hocce fonte justitiam possessionis non emetimur, sed ex absentia tantum & carentia vis, doli, ac fraudis, utrum justa ac manutenibilis sit, statuimus (§. XXXIX.), peculiare quoddam jus possessionis intelligimus; quod illi competit, qui nec vi, nec clam, nec precario ab adversario, sed tranquille rem possidet, cujusque is effectus est, ut, licet possidens nec proprietatem rei doceat, nec docere potis sit, in possessione nihilominus adversus quoscunque defendatur, amissamque mediis idoneis recuperet. Prius possidendi jus ex dominio, seu jure in re oritur (§§. XII. & XV.) & eandem cum sua causa naturam induit (§. XII.): posterius soli facto possessionis, externa iniquitatis *labe immuni*, & commodis inde orituris (§. XXXVII.) suam originem debet, alterius fere a juribus in re indolis.

SCHOLION. Hæc viam commonstrant, qua in enucleandis possessionis juribus felicius, quam hactenus factum, pergere liceat: latius tamen nunc evagari non lubet.

§. XLI. Quæ ab aliis nobis debentur, ac detinentur jura vel res, in societate civili non nisi coram judicio recte petuntur, neque adversus turbationes, nisi in mora periculum, alio, quam judicis auxilio uti integrum est. Non mirum igitur, si ad factum possessionis, sive ipsam possessionem, quatenus facti est, defendendam, adipiscendam, ac recuperandam remedia quoque civilia comparata sint. Quæ quoniam ad conservandam, atque recuperandam possessionem tendunt, *remedia*, item, a judicio, ubi petuntur & decernuntur, *judicia possessoria* audiunt.

§. XLII. Sunt igitur *judicia possessoria*, in quibus de justitia possessionis ex jure possessionis peculiari & proprio

(§. XL.)

(§. XL.) diſceptatur, id eſt, ſolum inquiritur, quis ſine vi, ſine clandeſtinitatis ac precarii vitio, aut firmiori præ aliis jure factum poſſeſſionis teneat, reique inſiſtat, nulla hic proprietatis, alteriusve juris in re ratione habita.

SCHOLION Non niſi improprie igitur judicium poſſeſſorium illud dicitur, quando quis ex dominii ſibi competente jure poſſeſſionem ab altero repetit. Ceterum remedia poſſeſſoria uſu fori interdicta quoque, & actiones extraordinarias vocari, non eſt, quod moneam.

§. XLIII. In judiciis poſſeſſoriis, vel de poſſeſſione adverſus vim aliorum injuſtam defendenda, ac retinenda, vel de poſſeſſione amiſſa recuperanda, vel denique ab aliis nobis debita adipiſcenda quæritur. Hinc remedia poſſeſſoria ad tres potiſſimum claſſes referri conſtat; alia ſcilicet ſunt *remedia poſſeſſoria retinendæ*, ad tuitionem poſſeſſionis comparata (a), alia *recuperandæ* (b), alia *adipiſcendæ poſſeſſionis* (c).

(a) *L. 1. §. 1. 4. & 9. ff. Uti poſſid.*
(b) *L. 1. C. Unde vi.*
(c) *§. 3. Inſtit. de Interd.* confer. omnino FRID. MINDAN. *de interdict. Cap. VII. n. 25. ſequ.*

§. XLIV. Judiciis poſſeſſoriis opponuntur *judicia petitoria*, in quibus de proprietatis cauſa, ipſisque juribus in re quæritur; hoc eſt, de ipſis veris atque genuinis poſſeſſionis fontibus ex jure reali (§. XII.) controvertitur, probationesque eo principaliter tendunt, ut judici de dominio, ſeu jure in re, nobis competenti, plena fides fiat, & directe dominium, per conſequentiam vero poſſeſſio, tanquam a jure in re inſeparabilis (§. XV.), adjudicetur.

§. XLV. Inter duo hæcce judicia inſignis elucet diverſitas. In poſſeſſorio namque (XLII.) ſolum factum poſſeſ-

sionis (§. XXXIX.) in discussionem venit, solumque de qualitate possessionis, an sine vi, sine fraude, sine clandestinitatis atque precarii vitio obtenta? an actus possessorii, in quibus rite probandis omnis possessorii cardo vertitur, quiete & sine contradictione exerciti fuerint? Nullus in hoc, qua tali, titulus editur (§. XXXIII.), nec proprietatis quæstio instituitur; utpote quæ ad petitorium pertinet, in quo rem ipsam ex titulo & jure nobis competenti petimus.

§. XLVI. Qui petitorio judicio experitur, rem *sibi* propriam esse, seu jus in re sibi competere asserit (§. XLIV.), consequenter possessorem rem alienam detinere contendit. Qui possessorio agit judicio, possessionem alterius vi, *clam*, vel precario obtentam, nullam proin ac injustam *esse per*hibet. Enimvero in defectu proprietatis, seu juris realis, vitium possessionis reale (§. XXV.) in occupatione ejusdem violenta atque precaria vitia personalia (§. XXVII.) consistunt. Unde in petitorio vitia realia, in possessorio autem vitia personalia in disceptationem venire, & ab actore *probanda* esse patescit (§. XXXI.).

§. XLVII. Possessorium judicium, ut ex ipsa ejusdem definitione elucescit (§. XLII.), causam proprietatis, atque juris in re in salvo relinquit, ita ut, qui possessorio egit, & succubuit, petitorio adhuc experiri valeat; finito autem petitorio nullus ad possessorium regressus patet, lite quippe de proprietate, consequenter possidendi jure plene terminata. Unde possessorium petitorium præcedere, & ante hoc instituendum esse facile colligitur, neque aliud legibus cautum (a). Qui petitorio agit, adversarium suum in possessione esse supponit, consequenter nulla de possessione controversia est, ipsumque possessorium jam terminatum præponitur.

SCHO.

SCHOLION. Sed quid si reus possessorio judicio conventus de proprietate exciperet? Nunquid proprietatis causa ante terminanda fuerit? Respondeo, nihilominus causam possessionis ante dirimendam atque finiendam esse, propter insignia, quæ cum possessione conjuncta sunt, commoda; nec actor petitorio sese intromittere cogeretur, nisi forsan proprietatis causa extemplo ad liquidum perduci valeat, nec rei possessio violenta, & in spolii crimen incidere perhibeatur, pulchre hæc in casu simili dilucidante illustri BOEHMERO *Jur. eccles. Protest. Lib. II. Tit. de causa Possess.* §. *XI. vid. Cap. 6.* ※ *de causa possess. & propr.*

(a) *L. 3. C. de interdict.* ibi: *incerti juris non est, orta proprietatis & possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quæstionem competentibus actionibus, ut ex hoc, ordine facto, de dominii disceptatione probationes ab eo, qui de possessione victus est, exigantur;* eadem repetuntur *in L. 13. C. de rei vind. ordinarii juris est, ut mancipiorum orta quæstione prius exhibitis mancipiis de possessione judicetur, ac tum demum proprietatis causa ab eodem judice decidatur.*

§. XLVIII. *Possessorium merum*, sive *purum*, dicimus, cui nulla proprietatis causa admiscetur, & in quo de solo facto possessionis litigatur, nullis petitorii momentis admissis. *Mixtum* autem, sive *non purum*, dicimus, quando præter factum possessionis ipsa quoque proprietatis causa in judicium deducitur, neque illo, sejunctim ab hoc, experiri licet; veluti in possessorio jurisdictionali & regalium juris esse dignoscitur.

SCHOLION. Aliud igitur possessorium mixtum, aliud cumulatio possessorii cum petitorio; illud nimirum magis necessitatis, hoc voluntatis est, nec necessario cum petitorio conjungitur; secus ac in possessorio mixto obtinet, quod admixtam habet proprietatis causam, uti dicitur *in L. 2. §. 2. π. de interdict.*

§. XLIX. Neque cum possessorio mixto, confundenda coloratio possessorii; possessionem enim qui colorat,

qualem qualem tantum juris possidendi ex titulo & jure reali causam adducit, non ut in ea sese fundet, sed ut justitiæ possessionis suæ majorem fidem conciliet; unde *colorem*, sive *colorationem* possessorii qualem qualem, id est, nullis aut incompletis probationibus innixam, tituli seu causæ possidendi allegationem esse constat.

SCHOLION. Hinc est, quod, qui possessorio agit, nonnisi cum protestatione tituli & juris realis allegatione idem coloret, ne plenæ ejusdem probationi sese immittere & petitorio potius agere cogatur.

§. L. Sententia in possessorio lata perpetuam possidenti securitatem haud tribuit, quin potius in petitorio, *quod superest* (§. XLVII.), succumbens, eandem adversario suo dimittere necessum habet (§. XXIV.); unde sententia in possessorio irreparabile plane præjudicium aut gravamen minime infert. Deinde probationes in possessorio, cum solum factum possessionis, actuum possessoriorum valorem, aut vitia respiciant, tantis difficultatibus, quantis probationes in petitorio subjacent, minime obsitæ sunt, nec *per tot* ambages in possessorio ad veritatem via patet. Quibus si addas insignia, quæ supra enumeravimus (§. XXXI. sequ.), possessionis commoda, quæ possessionis causam subito terminari suadent, possessoria judicia promtiori atque celeriori processu, quam petitoria finienda esse, facile consenties, & ipsa possessorii natura insinuat. Quapropter, cum *processum summarium* dicamus, quo breviori præ ordinario via proceditur, & celerior judiciarius ordo observatur: omnia judicia possessoria quodammodo *summaria* esse, hoc est, celerius possessionis, quam proprietatis causas judiciali sententia definiri, apparet.

SCHOLION. Hoc igitur sensu JCti, quando omnis judicii possessorii causam summariam appellitant, veluti: JASON in *L. prope-*

perandum n. 10. *C. de Judic.* MENOCH. *de recuper. poſſeſſ. n.* 24. *ſequ.* MARANTA *de ord. judic. diſt.* 9. *n.* 43. probe idem notante CARPZ. *de Proceſſ. Tit. I. Art. V. n.* 45. ubi qualificate ſaltem & certo reſpectu petitorii, quod difficilis eſt probationis, longasque & multas dilationes, nec non proceſſus atque lites diuturnas admittit, idem fieri innuit.

§. LI. Subſtantialia tamen proceſſus in poſſeſſorio non minus, quam in petitorio probe cuſtodienda, libellus offerendus, petitio ab actore formanda, reus a judice citandus, lis conteſtanda, qualitas poſſeſſionis, ſcilicet an violenta, an clandeſtina, an precaria, quæ junior, quæ antiquior ſit, per actus poſſeſſorios probandum, atque, probatione demum ex amuſſi perfecta, ferenda ſententia. Unde *poſſeſſorium* hocce, in quo qualitas & antiquitas poſſeſſionis juxta formam proceſſus ſollemnem probatur, *ordinarium* nuncupant, ad differentiam *ſummarii*, *ſummariſſimi*, *interimiſtici*, atque *momentanei*, in quo judex, juris ordine non ſervato, ſine longo litis ſufflamine ſolum inquirit, quis quomodocunque præſentem poſſeſſionem docere poſſit, ad hunc effectum, ut interim, qui pendente de poſſeſſione controverſia poſſidere debeat, interlocutorio decreto definiat. Etenim quando ambo litigantes de poſſeſſione momentanea inter ſe diſceptant, metusque ſubeſt, ne ad arma mutuo veniant, atque ita pacem publicam lædant, judicis eſt, ut officium ſuum interponat, ultimumque quietum poſſeſſorem (actus namque ultimi violenti non attenduntur (a) interea defendat, donec in poſſeſſorio ordinario aut antiquiorem poſſeſſionem, aut vim, clandeſtinitatis, vel precarii vitium adverſarius plene docuerit. Proin, cum in hoc ſummario cauſa poſſeſſionis finaliter non definiatur, ſed tantum pendente lite proſpiciatur, ut conſtet, quis actoris, quis rei partes ſuſtinere debeat: ſententiam in ſummariſſimo latam proviſionalem

sionalem solum interimisticam, atque momentaneam esse apparet (b).

SCHOLION. Qua ratione possessorium summarium in jure Canonico atque Romano fundatum sit, erudite ostendit *illustris* BOEHMERUS *J. Eccl. Protest. Tom. I. Lib. II. Tit. XII.* §. 8. *seq.* §. 9. ibique perversitatem praxeos notat, quod hoc remedium summarium, quod non nisi incidenter tractandum fuerat, ordinario pene processu expediatur; id ipsum tamen Ordinat. Camerali, in qua distinctionis possessorii ordinarii, & summarii expressa mentio fit, improbante. *P. II. Tit. XXI.* §. 3. ibi: **Und alsbald darauf** summarie **ohne einigen gerichtlichen** Procefs **oder ander weitläufftigen Ausführung der Sachen zu erkennen/ welchem Theil die** Possession **oder** Quasi **einzugeben/ oder zu** inhibiren **seye/ sich derselbigen bis zu endlichen Austrag des Rechtens** in possessorio (ordinario), **oder** petitorio **zu enthalten.**

(a) MEVIUS *P. II. Dec.* 188. *n.* 3. *P. III. Dec.* 91. P. IV. *Decis.* 97. *n.* 5. STRYCK. *U. M. lib. XLIII. tit. XVII.* §. 2.
(b) CARPZ. *de Process. Tit. I. Art. III.* §. 5. *n.* 52.

§. LII. Atque ex his facile concipitur, in quo *possessorium* ordinarium differat a summario, seu *momentaneo*; nimirum I. in summario de nudo facto *possessionis*, & actu ultimo possessorio quieto quæritur, nulla alia attenta possessionis qualitate, an nimirum actus possessorii priores violenti, possessio clandestina vel precaria sit, utpote quæ omnia in possessorio ordinario discutienda reservantur, ubi demum, an quis vi, clam, vel precario possessionem nactus fuerit, utra possessio antiquior, pluribusque, ac melioribus actibus possessoriis probari possit, quæritur. II. In summario probationes tumultuario, nulloque sollemni ordine perficiuntur, celeriterque proceditur; secus in ordinario, ubi plenioribus probationibus opus est. III. Sententia in ordinario lata est definitiva, in summario vero, juxta dicta §. præcedenti, interlocutoria solum, & provisionalis. IV. Possessorium

ſorium peculiare judicium conſtituit, unde remedia poſſeſſoria & interdicta ab actionibus in petitorio inſtituendis non una ratione differunt, ſummarium vero tanquam punctum incidens (§. LI.) expeditur, & partem velut poſſeſſorii ordinarii, aut etiam petitorii præparatoriam conſtituit. &c.

§. LIII. Vidimus hactenus, &, quantum per inſtituti rationem licuit, enucleavimus poſſeſſoriorum fontes, qualitates, & indolem; plane ut, quæ poſſeſſiones, inſtituto poſſeſſorio, judiciali auctoritate manuteneri, atque beneficiis reliquis poſſeſſionis dignæ reputari debeant, prono inde conſecutionis filo deducere liceat. At vero eam nunc prolixitatem ſtudio declinamus, paucis ſolum, quod ad ſcopum magis facit, examinaturi, quæ poſſeſſiones manutenibiles haud ſint, & quinam poſſeſſores fruſtra ad poſſeſſorium confugiant.

§. LIV. Ac primo quidem in poſſeſſione non defenditur, qui manifeſto rem adverſarii propriam poſſidet, aut quam ſubito, & liquidiſſimis ſtatim probationibus ſuam eſſe adverſarius probat. Etenim cum vitio poſſeſſionis liquide probato ipſa inſimul poſſeſſio corruat (§. XXIV.): id omnium maxime de vitio tali verum erit, quod omne poſſidendi jus enervat (§. XXV.), & poſſeſſorem in aperta mala fide conſtituit, cujus quippe petitum palpabilem iniquitatem, atque alienæ rei inſiſtendi pruritum ſaperet. Judicis igitur hoc caſu erit poſſeſſorem, ut rem ſine mora proprietario reſtituat, atque de poſſeſſione decedat, judiciali ſententia adigere.

SCHOLION. Hoc igitur caſu petitorium (ut ajunt) abſorbet poſſeſſorium; hoc eſt, non opus eſt, ut peculiari ſententia in poſſeſſorio lata poſſeſſor defendatur, proprietario, de cujus jure ſeu dominio non minus, quam de poſſeſſione poſſeſſoris clare

conſtat,

constat, ad petitorium remisso. Tricas atque frivolas ejusmodi litium protelationes non fert æqua judiciorum constitutio, &, ubi liquide constat de proprietatis causa, ibi judex, omissa causa possessionis, judicare debet de proprietate, multis JCtorum auctoritatibus (a), & juris textibus (b) idem firmantibus.

(a) HONDED. *Volum I. Consil.* 23. *n.* 38. MENOCH. *Remed.* 15. *n.* 369. LAUTERBACH in comp. *π. Tit. de interd. p.* 591. *Item in Colleg. Theor. pract. d. Tit. §.* 16. COTHMAN. *Vol.* 3. *Resp.* 38. *n.* 286.

(b) *Cap.* 5. *X de Caus. possess. & propriet. L.* 14. *§. fin. π. de Except. rei jud. L.* 9. *pr. π. de Rei Vind.*

§. LV. Porro, cum in possessoriis judiciis vel de *retinenda*, vel de recuperanda, adipiscendave possessione controvertatur, neutro obtinebit, in quo personalis possidendi inhabilitas deprehenditur, supposito, quod de ea liquido constet. Eadem hic, quæ in casu præcedenti (§. LIV.), generalis ratio, scilicet possessionis vitium obstat; sic e. g. laicus rem spiritualem vere talem possidendi incapax esse *dignoscitur*. Quare si in ejusdem possessione constitutus turbatusque, de retinenda, dejectus autem ab eo, ad quem pertinet, de recuperanda possessione agat, frustra victricem sibi sententiam promittit. Similiter subditus, qua talis, jurium majestaticorum incapax est. Quare in possessione jurium majestaticorum subditum adversus Principem minime defendendum esse planum est, & in sequentibus pluribus evictum dabimus.

SCHOLION. Incapacitatem scilicet intelligimus, quæ ex ipsa rei possidendæ, & personæ possidentis qualitate conjunctim concipitur, ita ut, ne per alium quidem, possideri eadem valeat. Sic furiosus, & infans, licet proprie possidere nequeant (§. VII.), ea tamen incapacitas tantum per accidens, & mere personalis est;

est; unde, quæ ad ipsos pertinet possessio, eam per alios, tutores scilicet atque curatores, explicari nil impedit.

§. LVI. Cum præcedenti propositione fere coincidit, quando dicimus: manuteneri non deberi possessionem rerum, quas leges civitatis penes certas personas esse prohibent; lex namque possidentem, quo minus tales res possideat, inhabilem reddit. Quapropter, cum inhabilitatis in possidente vitium manutenentiæ obstet: talium rerum possessores instituto possessorio in possessione minime defendendi erunt. Pone jus aliquod commercio privatorum seu subditorum exemtum, legeque civitatis publica summo magistratui privative adscriptum esse. Quid, obsecro! possidentem hoc casu contra legem civitatis publicam & fundamentalem occupata possessio relevabit? quam hoc ipso, quod civitatis legibus obstrictum se se noverit, iniquam, & malæ fidei usurpationem esse ignorare nequit, aut saltem non debuit (a).

SCHOLION. Intellige tamen, si ipse Princeps, aut cujus leges civitatis & jura summi Magistratus integra servari interest, possessionem talem aut agendo, aut excipiendo impugnet, eandemque Principi & reipublicæ vindicet. Quod si enim inter duos privatos de jure aut re alias ad jura Principis spectante lis versetur: Princeps, salvo jure suo, utrius possessio justa & manutenenda sit, in possessorio pronunciat: neque enim de suo jure, sed de facto possessionis litigantium subditorum sententiam dicit; de quo casu vide CHRISTOPH. HEROLDI *Observ. forest. in* FRITSCHII *Corp. I. Venat. forest. Obs. IV. & V. p* 1140. *&* 1146.

(a) *L.* 12. *C. de J. & fact. Igno. L.* 10. *π. de bon. possess.*

§. LVII. Possessionem, quam publica civitatis jura atque leges improbant, *resistentiam juris pati* dicimus. Enimvero possessio, quam publicæ civitatis leges improbant, quæ-

que juri communi adversatur, in possessorio nudo manutenetur minime (§. LVI.). Quare nec possessionem, quæ juris resistentiam patitur, seu cui jura resistunt, in possessorio defendi constat.

SCHOLION. Inde est, quod, qui in ejusmodi possessione manuteneri cupit, titulum seu causam possidendi docere debeat; rescribente ita summo Pontifice *in Cap. I. de Præscript. in 6. Episcopum, qui Ecclesias & decimas, quas ab eo repetis, proponit, licet in tua sint constitutæ diœcesi, se legitime præscripsisse allegare oportet, cum jus commune contra ipsum faciat, hujusmodi præscriptionis titulum & probare. Nam licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumtio non habeatur, sufficiat bona fides: ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumtio contra eum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.* Confer. quoque *Cap. 7. de Privil. in 6.*

§. LVIII. Qui in judicio possessorio ab adversario suo violente, clandestine atque precario possidere perhibetur, in manifesta mala fide atque vitiosa possessione constituitur (§. XXVII.). Quam cum judex, de vitio plene informatus, non defendat (XXIV.): nec possessionem, quam quis vi, clam, vel precario ab adversario tenet, instituto possessorio salvis justitiæ regulis manuteneri posse constat.

SCHOLION. Diserte hanc regulam probat *lex* 1. *pr. & §. ult. ff. Uti possidetis* ibi: *Si vero ab adversario, non debeat eum propter hoc, quod possidet, vincere, has enim possessiones non debere proficere palam est.* Item §. 4. *Instit. de Interdict.*

§. LIX. At vero, inquis, cum vitia possessionis non præsumantur (§. XXVIII. & XXIX.), præsertim vero vitia

tia realia nonnisi in petitorio probentur (§. XLVI.), videtur, saltem possessores rerum & jurium, ad rempublicam pertinentium, aut aliunde possideri prohibitarum in possessorio judicio manutenendos esse, donec Princeps, aut cujus alias interest, in petitorio vitium reale ex lege, aut inhabilitate personæ probatum dederit; corruere alioquin, quod in genere supra (§. XXXII.) demonstratum fuit: possessionem liberare ab onere probandi, item (§. XLVII.) possessorium sua natura præcedere petitorium. Verum ad hæc facilis est responsio. Primum enim quod attinet, stabilita supra (§ cit. XXXII.) propositio omnino in salvo subsistit. Liberantur utique possessores ab onere probandi; possessionis enim nullitas, inhabilitas & possidendi incapacitas ex lege, & jure civitatis communi adstruenda, nec ante possessor, ut de possessione decedat, aut eandem dimittat, jure adigitur. Alterum quod concernit, ipsi in subjuncto alleg. §. XLVII. Scholio hanc limitationem expressis verbis addidimus, scilicet: nisi proprietatis causa in promtu demonstrari, & ad liquidum perduci valeat.

SCHOLION. Conferas omnino, quæ supra (§. LIV.) demonstrata dedimus; quæ ipsa heic loci ab objectione liberanda esse censuimus. Quod si etiam aliud in spoliato fors obtineat, atque actio spolii etiam adversus dominum detur: illud peculiare plane, & in odium spolii ita constitutum est; perinde ut J. civili violentus rei, etiam propriæ, invasor ejusdem dominio cadit (a).

(a) *L. 7. C. Unde vi.*

§. LX. Hæc igitur ut eo melius intelligantur, probe notandum, quod, quando Princeps, seu respublica, (de hujus enim juribus ac rebus privative propriis præcipue impræsens solliciti sumus.) ex notoria civitatis lege & observantia rem, nonnisi a Principe, seu civitate, possideri ap-

tam avocat, sibique ac reipubl. vendicat, Principis & civitatis jus in petitorio semper clarum, liquidum atque manifestum sit. Quæ enim fortior, aut liquidior probatio esse potest, quam quæ ex ipsis juris publici visceribus, & indubiis reipublicæ legibus prono consecutionis filo derivatur, quæque nemini obscura aut incognita haberi debet? Quapropter cum vitii realis ex defectu proprietatis, ipsius rei, personæ possidendi incapacitate oriundi probatio ad petitorium pertineat (§. XLVI.): Principem, seu rempublicam, res vel jura, quæ per publicas civitatis leges, & natura sua penes subditos esse nequeunt, avocantem, repetentem, sibique asserentem sive agendo, sive excipiendo in petitorio claro & liquido versari constat.

SCHOLION. Nec te moveat, quod Princeps, seu respublica competentia sibi ex lege, nec ab aliis in republica possideri apta hæcce jura ac res non sollemni semper processu, & consueto juris ordine demonstret. Ecquid enim, obsecro! dum pro Principe & republica notoriæ leges, jus publicum tam universale, quam particulare, & in aprico jacens rei ad Principem privative spectantis qualitas loquitur, longo litis sufflamine opus? *præsertim*, quando nullum possessionis suæ titulum subditus *allegare*, aut probare valet. Supponimus tamen, ut per se patet, res tales atque jura nonnisi privative a Principe ac republica, aut saltem nonnisi ejusdem voluntate possideri, propriasque haberi posse. Quænam tales sint, tum demum determinare possumus, quando infra de regalibus Principis & reipublicæ juribus dispexerimus, & in eorundem naturam curatius inquisiverimus.

§. LXI. Unde, quoniam petitorium clarum & liquidum semper absorbet possessorium (§§. LIV. & LIX.): petitorium Principis ex legibus civitatis publicis & jure communi semper clarum atque liquidum, dum res privative ad se & rempublicam spectantes a subditis avocat, nullo non tempore possessorium absorbere liquet.

§. LXII.

§. LXII. Porro, cum juxta hactenus deducta Princeps & respublica jura ſua atque res, quarum privati aut plane incapaces ſunt, aut quas nonniſi voluntate ſummi imperantis habere queunt, ex legibus & jure civitatis communi, conſequenter ex fundamentis ad petitorium ſpectantibus omnium efficaciſſime repetit (§. LX.): nunquam poſſeſſorio judicio adverſus ſubditum experiri opus habet; non quod jure aliquo aut lege a remediis poſſeſſoriis arceatur Princeps, ſed quod, firmis ſemper, certisque reipublicæ juribus, ad extraordinaria hæc juris ſubſidia confugere opus non habeat, & in reipublicæ quodammodo dignitatem, Principisque majeſtatem impingeret, in facto magis, quam in jure ac legibus eximia reipublicæ jura fundare.

SCHOLION. Aliud obtinere in rebus ad Principis privatum patrimonium ſpectantibus, item in rebus ſingularibus fiſci, quarum in republica commune cum ſubditis commercium eſt, infra oſtendemus. Interim in anteceſſum hæc monenda duximus, ne ab hypotheſi propoſitionis noſtræ diſcedens, inanes tibi objectiones, & dubia moveas.

§. LXIII. Princeps in rebus, ac juribus ad ſe, & rempublicam ex legibus reipublicæ fundamentalibus & jure communi ſpectantibus ſive agendo, ſive adverſus ſubditum excipiendo in petitorio ex ſua parte claro & manifeſto verſatur (§. LX.). Sola igitur poſſeſſio ſubditum agentem adverſus Principem non relevat, ſed adverſus fundamenta petitorii Principis, hoc eſt, jus commune & leges publicas excipere, & vel nullas easdem, vel ſaltem intuitu ſui non obligatorias eſſe monſtrare cogitur, ut per ſe patet. Enimvero, hoc ipſum dum probare aggreditur, ſe ſe petitorio immiſcet (§. XLIV.). Non poteſt igitur non ſubditus in controverſiis cum Principe circa jura & res reipublicæ proprias petitorio implicari. Quare, cum poſſeſſorium merum nul-

la petitorii fundamenta, nisi ad colorandum possessorium (§ XLIX.), admittat (§. XLVIII.); in mixto autem necessario cum causa possessionis conjungenda sint (§. eod.): subditum, seu privatum, in ejusmodi controversiis cum Principe sive agendo sive excipiendo nunquam possessorio mero, sed mixto experiri evidens est.

SCHOLION. Huc quoque trahenda quæ §. præced. in scholio advertimus.

§. LXIV. Qui petitorio justam se possessionem habere docet, eandem ex proprietatis atque dominii jure sibi competere probat (§. XLIV.). Quapropter cum subditus in controversiis cum Principe circa jura & res regulariter ad publicum Principis, & civitatis dominium spectantes *non* nisi petitorio, aut possessorio mixto agere valeat (§. LXIII.): possessionem suam ex proprietatis, & competentis sibi dominii jure doceat necesse est. Enimvero in dominii atque proprietatis jure, modo legitimo in nos translato, hic loci titulus consistit (§. XIII.). Quare subdito in hisce *controversiis* possessionis suæ causam (§. XI.), atque *titulum probandum* esse manifestum est.

SCHOLION. Quæ in genere hic demonstramus mox ad regalia felici successu applicabimus, & ex horum natura, atque legibus plenius elucidabimus. Interim, quos hic præstantissimos JCtos nobis adstipulantes numeramus, vix charta capit. POSTHIUS *de Manuten. Obs.* 44. *n.* 29. (ubi veram suam sententiam declarat,) ita loquitur: *Sed magis ordinate procedendo solet in hac materia hujusmodi afferri distinctio: aut inferior, seu is, qui habet possessionem particularem, & juris communis resistentia vult manuteneri contra suum superiorem ratione jurium, quæ ad solum superiorem de jure communi pertinent, ut ad Principem, Cameram, Episcopum, fiscum, & pro quo est præsumtio; & tunc sola possessio non sufficit pro manutentione, sed requiritur etiam titulus, saltem præsumtus, & summarie probandus, nec*

quo-

quoad ſuperiorem ullo tempore jus acquirit poſſeſſor, ut titulum non oſtendat. Ubi tamen adverte, quod, quæ ratione ſummariæ probationis ſtatuit, non alio effectu probemus, quam quod non ſubito, nec inauditus, qui ſummarie titulum probat, dejiciendus ſit; minime vero, quaſi præterea aliud nihil, neque plene titulum docere teneatur. SPOERMACHER *in Juſtit. Vulner. P. II. C. IV. n. 4. & 5.* GUTIEREZ *in Pract. Quæſt. Lib. 3. qu. 19.* ubi docet, quod, ubi de juribus ad Principem pertinentibus agitur, & quoties pro Principe eſt præſumtio, tunc non ſit locus interdicto ex ſummaria poſſeſſionis probatione, niſi probetur titulus, qui elidere valeat juris præſumtionem. JARGOW *de Regal. Lib. III. C. XI. §. 10.* BRUNNEM. *ad L. 3. C. de Juriſd. Om. Jud. n. 8. & 9.* PACIAN. *de Probat. Lib. II. c. 20. n. 27. 48.* 50. STRYCK. *de neceſſit. edendi Titulum. poſſeſſ. C. III. n. 35.* ubi dicit: *Non dari poſſeſſorium purum, ſi ratione regalium agatur, ſed poſſeſſorium mixtum requiri, quod judicii petitorii exitum ſortitur, dum ſimul proprietatis habetur ratio, ob neceſſarium tituli deductionem arg. Cap. licet 9. ✠ de probat. ibique Canoniſtæ*, PETRUS PAUL. *Pariſ. L. II. Conſ. 98. n. 16.* KNICHEN. *de Jur. Territ. c. 5. n. 12.* MEISCHNER. *Tom. I. Deciſ. Cameral. n.* 8. KLOCK *de Contribut. Cap. XX. n. 263. ſeqq.* ubi hanc regulam hac viva ratione ſuaderi ait: *Quia cum jus commune præſumat contra talem poſſeſſionem, reputando eam injuſtam, vitioſam &c. & ſic adſiſtat uni & reſiſtat alteri, inde fit, ut ex ſola poſſeſſione (cum hæc precaria præſumatur*, MENOCH. *conſ.* 30. *n. 61.* VIRGIN. de Boçat. *de Manut. in poſſeſſ. c. 9. n. 4.) abſque probatione tituli non debeant hujusmodi poſſeſſores defendi, niſi poſſeſſionem, quam aſſerunt, juſtificent, exhibendo titulum ſaltem coloratum &c.* & paulo poſt. *Juris enim reſiſtentia vehemens multa ſingularia in jure & foro conſtituit, & inter alia potiſſimum duo operatur: Unum eſt, ut cogatur quis oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis, quam prætendit habere contra juris diſpoſitionem.* CAPYC. *Deciſ.* 77. REBUFF. *de Mater. poſſeſſor. Art. 1. gl. 1. n. 21.* CURT. JUN. *Conſil. 90. n. 2.* KNICHEN. *de J. Territ. C. 5. n. 156. ſeq.* CARDIN. THUSC. *pract. concluſ. 439. n. 5. Ubi etiam hanc regulam, poſſeſſorem ſcilicet non teneri docere de titulo ſuæ poſſeſſionis, limitat eo caſu, quando actor probaſſet intentionem ſuam contra reum poſſeſſorem, quia tenetur docere de titulo ſuo. Alterum &c.*

Qui-

Quibus alios plures tum veteris, tum recentioris ævi JCtos addas.

§. LXV. Quod si subditus titulum, hoc est, jus dominii atque proprietatem rei ad Principem alias, & rempublicam in regula spectantis non doceat, Principis ac reipublicæ jus firmum subsistit ac immotum (§. LX.), nec alia præter jus civitatis commune probatione opus habet. De jure igitur possidendi reali, & intrinseco (§§. XI. & XIV.) Principis ex parte una, & vitio possessionis ex parte subditi aperte constat. Quare subdito possessionis suæ titulum non docente possessionem ejusdem nullam nulliusque valoris esse evidens est (§§. XXIV. & LIV.).

SCHOLION. Unde recte hoc casu sentit Illustr. de COCCEJI *in Jure controverso*, quando *Lib. XLIX. Tit. 14. qu. 2.* ait: *Quod, si possessor præter nudam possessionem nullum titulum alleget, privandus sit possessione. Nam hic de petitorio constat; fundata enim est intentio fisci in jure communi. Quoties autem de petitorio constat, frustra de possessorio disceptatur. Quin hæc possessio in re aliena, quæ concessionem Principis supponit, vitiosa est, donec possessor titulum probet.* Et paulo post in causa conventus Huysburgensis, cui fiscus circa jurisdictionem dubium movit, in Curia Halberstadiensi judicatum fuisse refert.

§. LXVI. Quare, cum, quæ nulla, aut vitiosa est possessio, optimo jure a possessore avocetur (§. XXIV. LIV. seq.): Princeps atque respublica, siquidem de vitio possessionis ex defectu tituli, sive quod plane nullum habeat, sive quod eundem edere cum contumacia detrectet subditus, possessionem rei atque juris regulariter ad se, vel rempublicam spectantis citra injustitiæ notam avocat; nec turbatum propterea se se subditus conqueri potest, qui in ejusmodi controversiis necessario titulum sibi edendum, probandumque esse, scire debebat.

SCHO-

SCHOLION. Confirmant hanc ſententiam præter allegatos ſupra (§. LXIV.) A A. RHETZ *Inſt. Jur. Publ. Lib. II. Tit.* 18. *n.* 4. RUTGER. RULAND. *de Commiſſ. P. II. L.* 5. *c.* 19. *n.* 5. WURMSER. *de Inſtr. edit. Obſ. Un.* STRYCK *de Neceſſit. edend. Tit. poſſeſſ. C. III. & IV.* Idem in *Diſſertat. de ſententia contra fiſcum ferenda* ubi §. 29. concludit : *Unde quando poſſeſſor regalium vel fiſcalium, ſi conſtet, illa eſſe talia, titulum edere per contumaciam non vult, ad inſtantiam fiſci juſte regalium, & fiſcalium quaſi poſſeſſione privari poteſt.* Per allegatos eodem loco magno numero DD.

§. LXVII. Cumque ſubditus rerum atque jurium, quorum nullo unquam tempore penes ipſum exiſtere poſſeſſio jure valet, nullum in petitorio, aut poſſeſſorio mixto producere poſſeſſionis ſuæ titulum potis ſit, ut per ſe liquet (§. LVI.); Principis autem, & reipublicæ omni modo interſit, ne, quæ neceſſario, & oſſibus velut Principis ac reipublicæ cohærent, jura inde avellantur, minime vero omnium a ſubditis uſurpentur: Principem in avocanda, ſibique aſſerenda rerum ejusmodi atque jurium poſſeſſione ex officio procedere, neque opus habere patet, ut prævia cauſæ, quam ſubditus in hiſce juribus nullam habere poteſt, cognitione veteres poſſeſſores, vel meliore nomine uſurpatores, migrare jubeat.

§. LXVIII. Titulum itaque, cauſam & jus poſſeſſionis ſuæ docere cum ſubditus neceſſe habeat (§. LXIV.), qualis ille in ſpecie ſit, ut inquiramus, nunc ſupereſt. Utque ex intimioribus jurisprudentiæ principiis eundem eruamus, præmittimus, I. quod, cum legislatorem Principem & in genere qualemcunque reipublicæ ſummum moderatorem in condendis legibus, atque ordinando ſtatu publico, ad id præcipue mentem ſuam convertere deceat, ut cum publico bono privatorum quoque civium ſalus integra conſiſtat, res, & jura circa easdem commercio privatorum

torum nulla facile eximenda, & in publicum Principis & civitatis dominium transscribenda sint, nisi aut status publici conservatio & congrua summo reipublicæ Capiti sustentatio, aliæve ex utilitate communi depromtæ rationes idem suadeant. II. Tanquam experientia notum sumo, jura illa & res ad publicum Principis & civitatis dominium ex fundamentali reipublicæ lege spectantes non multas numero, atque ita maximam partem comparatas esse, ut in reipublicæ easdem, & Principis privativum dominium publica lege transscribendas esse, ex peculiari earundem natura & indole nollo negotio colligere liceat: veluti, dum *jus* matallifodinarum auri & argenti, jus venandi &c. Principi atque reipublicæ publica civitatis lex addicit, quod *Principis* & reipublicæ hæc jura esse conveniat, nemo juris *publici* universalis gnarus ex eorundem natura non pervidet.

§. LXIX. His præmissis concludimus primo, quod, cum ex supposito (§. LXVIII.) rerum istarum, atque jurium proprietas & possessio subditorum commercio ex publica & fundamentali civitatis lege exemta, com*munisque* boni gratia in principem sive rempublicam *translata* sit, non Principis solum, sed ipsius quoque civitatis & subditorum, eas res atque jura Principi, qua summo reipublicæ moderatori, illibata servari vel maxime intersit, licet forsan hinc inde privatis quoque utilitatem ea præstare apta sint, regula, quod commune civitatis bonum privato præferendum sit, non minus hic, quam in aliis causis publicis locum sibi vindicante. Omnes igitur alienationes, occupationes, & invasiones rerum ac jurium, Principis & reipublicæ utilitatibus dicatorum, pro maxime odiosis habendas, nec facile sine præsenti tum Principis, tum reipublicæ detrimento fieri posse liquet.

§. LXX.

§. LXX. Porro, quoniam res & jura ſupponimus, quæ ob prægnantes publici boni cauſas ex eorundem natura facile eruendas, nec non propter inſignia commoda alia in Principis & reipublicæ proprietatem in perpetuum transſcribere utilitas publica poſtulat: contingere vix poteſt, ut ſubditus ejusmodi juris poſſeſſor, illud ex fundamentali reipublicæ lege ad Principem pertinere ignoret, tam ipſa ejus peculiari ab aliis rebus in commercio exiſtentibus indole, quam conſtitutione, lege & obſervantia publica idem ipſi luculenter manifeſtante. Quapropter, cum mala fide poſſideat, qui cum domini ſcientia ſuo nomine rem detinet: non poterit non ſubditus ejusmodi rei ac juris publici poſſeſſor, niſi legitimo modo id ſeſe impetraſſe compertum habeat, pro malæ fidei poſſeſſore reputari.

SCHOLION. Habemus igitur hic caſum, ubi fortior, quæ pro dominio Principis & reipublicæ ex legibus claro militat, præſumtio, præſumtionem, quæ alias pro poſſeſſore eſt (§. XXIX. Schol.), vincit, atque enervat; uti jam ſupra (§. cit.) innuimus. Ceterum ex ipſa propoſitionis noſtræ hypotheſi pateſcit, non indiſtinctim hæc de rebus ad Principem & rempublicam ſpectantibus, ſed de iis ſaltem, quæ ob peculiarem ſuam naturam & multifarias, quas publico præſtant, utilitates Principi privative relinquendas eſſe, rectior juris publici univerſalis doctrina ſuadet, intelligenda eſſe, veluti ſunt regalia, quorum mox fontes ſcrutaturi ſumus. Sic merces, quæ in commiſſum cecidere, bona, quæ ut indignis ablata, & in fiſcum relata ſunt, non Principis & reipublicæ propria eſſe apparet. At vero, quoniam tales res regulariter in privatorum dominio & proprietate exiſtunt, & non niſi indirecta legis virtute & peraccidens in reipublicæ ac Principis dominium pervenerunt, durum foret, adinſtar rei ſanctæ, omni easdem commercio civium ita eximere, ut aliis nunc plane juribus æſtimanda, nullo unquam tempore acquiri, aut poſſideri per modum rerum aliarum ab iis valeant. Sane ſiquis penſitet, has res ejusdem cum rebus, quotidie in commercio exiſtentibus, naturæ, planeque iis ſimiles eſſe, facile conſentiet,

non posse citra confusionem & incommoda plurima tam diversa circa easdem jura constitui, licet pinguioribus præ rebus aliis res fisci privilegiis frui, a rectiori politica minime alienum sit, & leges civiles multa singularia circa fisci compendia sanxisse compertum sit.

§. LXXI. Ex dictis (§. LXVIII.) ulterius consequitur, quod, cum res, quas ex lege civitatis publica, & fundamentali Principi appropriandas esse diximus, alterius a rebus aliis, in dominio privatorum existentibus, sint naturæ & indolis, nulla inter summum imperantem seu Principem, & inferiorem, seu subditum, dominiorum hic incertitudo extimescenda sit. Quid ex lege Principis, ac reipublicæ sit, subditus facile discernit: nec, quæ jura, *quas* Principi res leges fundamentales addicant, dubium *ipsi fe*dere poterit. Nullum hic confusionis cum rebus privatorum periculum subest, tam lege, quam rei ipsius indole ab hujus dominio, ac possessione subditum arcente. Pone subditum, in possessione constitutum, metalli fodinarum auri & argenti quas jura civitatis Principi & reipub*licæ pri*vative tribuunt: hoc casu, ne aut Principis, aut *subditi* jus in incerto hæreat, verendum est minime. Deficiente siquidem titulo justo & dominii translativo, jus Principis ipsa publica lege in aprico semper constituitur: sicut ex adverso hoc casu de nullitate possessionis & defectu proprietatis ex parte subditi aperte constat. Quæ, quæso! dominiorum incertitudo, ubi lex, ubi jus commune eadem figit, stabilit, atque determinat, &, si alius ad se ejusmodi rei dominium pertinere prætendat, illud tanquam exorbitans & extraordinarium plenissime demonstrare necessum habet: ut alias nunc rationes prætereram, propter quas dominii hujus in regula ad Principem pertinentis, incertitudinis timor pene omnis evanescit.

§. LXXII.

§. LXXII. Ex eo porro, quod tum nativa rerum atque jurium horum indoles, tum leges & jus civitatis publicum Principi eorundem proprietatem ac dominium aſſerant; legibus vero, potiſſimum quæ ſummi imperantis jura, & ſtatum publicum definiunt, ſubditi exactam teneantur præſtare obedientiam, patet, quod ipſa civium & ſubditorum obligatio ſubjectitia res Principis & reipublicæ in ſalvo collocet, ita ut integra fide, quam Principi ſuo debent, rerum harum poſſeſſiones involare minime audeant; quo tamen enixiori vinculo ſubditos vinciat, & ne publicis his juribus audaces manus admoveant, efficiat, juramenti homagialis eosdem nexu illigat; plane ut nihil intermiſiſſe Princeps dici queat, quo jura hæc ſua, atque reipublicæ ab omni invaſione & injuſta occupatione ſubditorum ſuorum immunia ſervet; nec proin, dum ſubditus in eorundem poſſeſſionem contra leges, contraque fidem datam involat, nulla Principi negligentia imputanda venit.

§. LXXIII. Multo minus Principi in cuſtodiendis ſuis hiſce juribus remiſſior tum diligentia imputari valet, quando, quos in provinciis ac præfecturis publicis rebus curandis præficit, expertos, vigilantes, viroſque probos ſeligit, atque ſub juramenti vinculo, ut ex fide in partibus ſibi concreditis rempublicam, ejusque jura adminiſtrent, inculcat. Egit enim tunc ex parte ſua Princeps, quod facere poterat, neque patitur vaſta, queis quotidie implicitum ſe cernit, negotiorum moles, ut ſingulos ipſe reipublicæ angulos pererret, & cunctorum rationes, velut paterfamilias gregis, & armenti ſui numerum, ſubducat: neque etiam hocce divinitatis dono inſtructus eſt, ut omnium corda ſcrutetur, ut probitatem miniſtrorum velut bilance ponderet, aut futurum etiam pervideat. Quare nullum Principi, aut reipublicæ ex negligentia adminiſtratorum emergere,

aut imputari damnum poterit (a). Quid! an tu rempublicam, aut, qui eandem repræsentat, Principem jure suo, & possessione excidere existimas, si, qui initio probum, diligentem, ac fidelem sese comprobarat administrum, mox in pejus ruens, cum publicarum rerum, & jurium reipubl. invasoribus colludens, aut remissior in officio factus, amicum forsan, cognatum, patronum, vel potentiorem, cui contradicere non audet, in rebus Principis impune grassari patiatur. Minime gentium: sed possessio talis vitiosa potius, nulla, clandestine, sub- & obreptitie obtenta optimo jure reputatur.

(a) Vid. omnino GODOFRED. LUDOV. MENCK. *Dissertat. de præscriptione immemoriali, hominum licet memoria deficiente, per documenta elidenda.* §. 1. X. ibi: *Si in genere domino rei cujusdam per incuriam, dolumve administratoris nullum infertur damnum L. 11. & 12. C. de acquir. vel amittend. possess. multo minus Princeps & respub. hoc favore privandi erunt.*

§. LXXIV. Nec sane citra præsentissimum *jurium* Principis & reipubl. periculum huic principio *inhæreri poterit*; utpote, quo dolis & fraudibus Principem & rempublicam circumveniendi amplus campus aperitur, quoque admisso nihil minus, quam regalia Principis jura in salvo collocata sunt; id quod obscurum esse non potest iis, qui, qua sœpe calliditate regalium usurpatores ministri aut officialis facilitate abutentes, eumque aut donis, aut precibus, vel aliis modis vafre corrumpentes in clandestinam ac furtivam se se possessionem intrudant, experientia forsan non una vice edocti animo revolvunt. Ut proin firmo stet talo, quod (§. LXXII.) stabilivimus principium, negligentiam ministrorum & officialium, præsertim in præfecturis & provinciis, in amissione regalium in præjudicium neutiquam trahendam esse.

§. LXXV.

SCHOLION. Nervose hanc in rem scribis præcit. modo MENCKEN. *d. l. §. IX.* Cujus verba huc apponere lubet: *Harum personarum autem res, si præscribuntur, acquiruntur multoties, si præscribens vel ipse ex numero est administratorum, vel cognatione, & affinitate illis, quibus cura & inspectio rei debetur, junctus, vel familiaris inter illos intercesserit amicitia. Detrimenta, quæ respubl. capit, sæpius hinc oriuntur, conniventibus his, quorum fidei administratio credita est, & abutentibus cognatis & amicis horum auctoritate. Nemo est, qui contra hos defert, siquis deferat, tot difficultatibus se implicatum videt, ut lubens abstineat. Hac autem ratione ob administratorum suorum culpam, his viventibus agere impeditur respubl. & post excessum administratorum non raro in ignorantia factorum persistit; unde bona ejusdem sensim, pedetentimque immemorialiter præscribuntur &c.* add. D. WILDVOGEL *Dissert. de negligent. Minstri Principem non obligante.*

§. LXXV. Præscriptionum fundamenta partim in dominii incertitudine, secutura, si nullus unquam temporis lapsus possessores securos redderet, plenumque iis dominium tribueret, partim in negligentia, & remissiori rerum custodia, quam amissione dominii post definitum temporis spatium leges puniunt, partim denique in translatione, aut derelictione rei & juris sui tacita consistere, apud omnes constat. Enimvero in rebus Principis & reipubl, de quibus hic sermo, nullam ex his rationibus offendimus. Non præsumitur derelictio, aut alienatio a republica facta (§. LXIX.); dominii incertitudo nulla subest, nec unquam fere timenda (§. LXXI.); nec denique Principi, ac reipublicæ in possessione & dominio earundem amittendo, respectu saltem ad subditos habito, ulla negligentia imputanda (§. LXXII. seq.). Quibus si, possessores harum rerum & jurium subditos in mala plerumque fide constitutos esse (§. LXX.), addas, præscriptionum civilia jura perperam ad res & jura Principis publica, quando de iisdem ab

infe-

inferiore adversus superiorem præscribendis quæstio est, applicare evidens est.

SCHOLION. Nec est, quod obmoveas, fiscum tamen & rempublicam in controversiis cum subditis jure privatorum (a), consequenter præscriptionum quoque hic jura locum invenire. At vero uti in rebus fiscalibus, de quibus supra (§. LXX. Schol.) mentionem injecimus, salvis fisci privilegiis, id lubentes concedimus, ita ex adductis demonstratisque hactenus rationibus in rebus Principi & reipubl. perpetuo jure adscriptis, & partem velut summi imperii constituentibus id largiri nullo modo possumus. At instas, quod tamen ad consuetudinem contra legem inducendam 10. vel 20. anni sufficiant; quid ni igitur tanto temporis lapsu res quoque Principis & jura reipubl. acquirantur (b)? Sed quis non videt, his solum, ubi de juribus privatorum sermo est, locum esse, in publicis vero civitatis juribus *nullo* constare robore? In juribus & legibus privatorum summi Imperantis tanti non refert, quo jure cives utantur, modo legalis ipsi constet auctoritas & reipublicæ accommodatum sit. Quare facilius tolerari poterat, ut in juribus privatis, quam ut in publicis contra Principis jura, consuetudo aut præscriptio admitteretur. Conferri hic omnino meretur THOMASII *Dissertat. de Præscript. Regalium ad jura subditorum non pertinente: Cap. III.*

(a) *L. un. C. de Conduct. & procurat. prædior. L. 25. & L. 7. C. de J. Fisci.*

(b) Vid. CONRAD. ab EINSIEDEL *de Regalib. Cap. IV. n. 73. sequ.*

§. LXXVI. Fundamenta præscriptionis, qualem inter gentes & populos liberos extra societatem civilem, sive in statu naturali independentiæ obtinere demonstrat HUGO GROTIUS (a), aliique juris naturalis DD. cum iis, quæ (§§. LXIX. sequ.) innuimus, fere coincidunt. Unde eadem prorsus ratione in controversiis subditorum cum Principe circa jura & res quas ex lege civitatis publica Principis & reipublic. factas esse dignoscitur, præscriptionem juris gentium,

tium, & quæ in statu naturali obtinet, exulare evincimus. Sed accedit & alia fortissima ratio, quod nimirum Princeps & subditus, quos inter respectus superioris & inferioris, imperantis & parentis intercedit, in statu naturali æqualitatis viventes considerari neutiquam possint. Quare jam multa, quæ subdito ante cum Principe communia fuere, cessare jura, nemo non videt; quorsum etiam præscriptio rerum ac jurium, quæ lex civitatis publica & communis observantia imperantium esse vult, pertinet. Subditus, qui recte suo defungitur officio, ex lege obedientiæ, consequenter qua subditus jura hæc tanquam Principi, atque reipublicæ proprie agnoscere tenetur; & vicissim Princeps & respubl. jure ac virtute imperii, consequenter qua superior, utilitatis communis gratia harum rerum sibi dominium adscribit: & dum pro superiore semper leges præsumuntur loqui, dum semper interpellant, semperque injustitiam ejus possessionis arguunt, non videtur subditum bona unquam fide publica Principis & Reipublicæ jura possidere posse. Ex dictis igitur demonstratisque ad nauseam elucescit, operam suam & oleum perdere subditum, qui in controversiis ejusmodi cum Principe in præscriptione subsidium quærit.

SCHOLION. Atque hocce a nobis stabilitum principium probe velim teneant, qui plusquam supina oscitantia, dum Principem inter & subditos subortas lites indistinctim ex juris Justinianei lacunis definire contendunt, linea Principem & subditos vix non parallela collocant. Æquitati omnino consentaneum est, ut Princeps iis in rebus, in quibus respectus superioris deficit, sed pari cum subditis conditione habetur, pari quoque jure utatur. At vero, quando Princeps & respubl. qua talis, cum inferiore litigat, alia præterea fundamenta ex jure publico tum universali, tum particulari repetenda venient (b).

(a) *De J. B. & P. Lib. II. Cap. IV. §. 1.*
(b) *Idem cit. l. §. 12.*

§. LXXVII. Quoniam itaque neque civilia (§. LXXV.) neque naturalia præscriptionum jura (§. LXXVI.) inter Principem & subditos, quando de rebus, quas hi ex lege civitatis possidere nequeunt: acquirendis sermo est, locum obtinent: patet, præscriptionem modum non esse, quo subditus jure sibi ejusmodi res quæsitas esse demonstret. Inter titulos igitur, quibus in controversiis hisce cum Principe de jure suo doceat subditus (§. LXIV.), præscriptio neutiquam referenda venit.

SCHOLION. Quæ hic dubia adversarii movent, iis refutandis non immoror; nullum siquidem tanti mihi momenti visum est, cui dissolvendo posita hactenus fundamenta non sufficiant: præcipuis tamen sententiæ contrariæ argumentis infra respondebitur, quando demonstrata hactenus ad regalia applicaturi *sumus*. Neque etiam obstat, quod tamen ipsi inter titulos jurium ejusmodi acquisitivos præscriptioni immemoriali locum faciamus (§. LXXXVI. infra); etenim possessionem, hominum memoriam excedentem, concessionis potius, quam præscriptionis classe collocandam esse, ex dicendis suo loco plenius elucescet.

§. LXXVIII. Eliminata itaque e classe titulorum, quibus subditus res & jura Principis publica sua faciat, præscriptione (§§. LXXVI. sequ.), nullo jam negotio, non nisi speciali concessione a Principe, sive republica eadem impetrari, atque acquiri posse, intelligimus. Pertinent hæc jura ad Principem ex lege, & ex ipsa constitutione status publica privatorum commercio exemta sunt. Quapropter, cum præter Principem, seu in genere præter legislatorem, nemo valide exceptiones a legibus instituat, publicis præsertim juribus deroget: in sola Principis & legislatoris voluntate sufficienter declarata, & subsecuta subditi acceptatione rationem acquisiti harum rerum ac jurium dominii sufficientem quærendam esse patescit.

SCHO-

SCHOLION. Quot modis fieri possit hæc concessio, non jam inquirimus. Tam actibus inter vivos, donationibus, pactis, infeudationibus & investituris, quam ultimæ voluntatis dispositionibus, modo ne publicæ leges obstent, hujus generis jura impetrari posse, facile liquet.

§. LXXIX. Titulus idoneus & sufficiens is dicitur, ex quo acquisitio dominii seu proprietatis rei cujusdam plene & sufficienter intelligitur. Enimvero ex sola Principis concessione plene & sufficienter concipimus, quomodo res aut jus aliquod ex lege publica ad Principem aut rempublicam pertinens a privato acquiratur (§. LXXVIII.). Sola igitur concessio a Principe facta, est titulus sufficiens & idoneus, quo jura & res ad Principem & rempublicam ex lege pertinentes acquirantur.

§. LXXX. Absque editione tituli non manutenetur subditus, nec contra Principem in possessione defenditur (§. LXIV.). Quare, cum solus titulus in rebus ac juribus hujusmodi sit concessio a Principe facta (§. LXXIX.): concessionem hanc a subdito, qui in possessione sua adversus Principem instituto aut possessorio mixto, aut petitorio manuteneri cupit, docendam atque probandam esse liquet.

§. LXXXI. Porro, quoniam titulo non probato subditi possessio nulla est (§. LXV.), eamque Princeps a possidente jure avocat (§. LXVI.): per modum corollarii inferimus, concessione non probata, subditi possessionem, quam non nisi ex concessione habere potest (§. LXXIX.), nullam, atque sine mora ab eodem avocandam, eique, cui de jure competit, nimirum Principi, tradendam esse.

§ LXXXII. Alienationes rerum & jurium, ad publicum Principis dominium spectantium, odio plenas, nec ad

sine prægnanti ratione deveniendum esse, largiuntur omnes, queis publicum magis, quam privatum commodum cordi est. In dubio itaque contra alienationes rerum & jurium reipublicæ regulariter facienda præsumtio. Quare, cum concessionem, de qua diximus (§. LXXVIII.), ejusmodi alienationem esse pateat: in dubio contra concessionem regulariter utique præsumendum erit.

SCHOLION. Inde est, quod concessiones has strictissime accipiendas, interpretandasque esse JCti fere omnes inculcent, ita ut, quantum unquam fieri potest, minimum juribus Principis decedat. CARPZ. *decis. ill. P. III decis.* 287. MYNSING. *dec. XIV. Resp.* 2 *n.* 41. *sequ.* Princeps quippe in his concessionibus semper præsumitur esse parcissimus. SIXTINUS *de Regal. Lib. I. cap.* 5. *n* 76. PETR. HEIG *P. I. qu.* 15. *n.* 59. *&* 60. GRIBNER. *Opusc. Tom. I. Sect. II.* §. 23. Quando igitur de alienatione aut concessione facta liquido non apparet, res reducitur regulariter ad suum statum, & contra subditum pronunciatur.

§. LXXXIII. *Immemoriali tempore possidere* dicitur, de cujus possessione, quod aliquando eandem non habuerit, nulla memoria extat. *Memoriam* vero *nullam extare* tum denique dicimus, quando facti, quod scire interest, veluti in casu nostro, non possessionis, seu possessionis ab alio, quam qui possidet, habitæ notitia nulla ratione erui, & in apricum produci valet. Unde quid *possessionis immemorialis* nomine veniat, facile colligimus. Qui immemoriali tempore possidet, ejus possessio ita comparata est, ut non solum, quousque hominum memoria pertingit, semper possederit, sed & de facto contrario, quod nimirum non possederit, nec per documenta, nec per res judicatas, aliave ratione doceri valeat; quod unquam extra possessionem fuerit, non liquet, sic, ut pro re nata & pro substrata materia per mille æque ac per centum aut ducentos annos eundem possedisse præsumere possis.

SCHO-

SCHOLION. Ex dictis elucescit, quod ad possessionem immemorialem non sufficiat, ut, qui contrarii recordentur, homines tantum deficiant, seu, quod idem est, ut per testes solum in vita existentes, quousque eorum pertingit memoria, possessor se in possessione tranquilla fuisse probet; requiritur praeterea, ut factum contrarium per documenta & instrumenta non doceatur. Unde nisi leges memoriae vocabulum ad eam solum, quae per homines in vivis existentes haberi potest, expresse restringant; uti in *L. 2. π. de aq. & aqu. pluv.* factum fuisse videtur: generali temporis significatui inhaerendum. Memoriam factorum nanciscimur non tantum per dicta & facta hominum, qui talia sensibus ipsi perceperint, vel ab aliis, qui perceperunt, audiverint, sed & per documenta, instrumenta, & alia fide non minus digna antiquitatis monumenta in rerum anteactarum notitiam pervenimus. Thesauri sane per documenta aeque ac per testimonia & depositiones hominum revocari posse memoriam, apud JCtos in confesso est: cur illud non peraeque in possessione obtinere debeat, non apparet, & contrarium mox pluribus docebimus. Quid! quod nec veteribus generalis haec memoriae acceptio inusitata fuerit; uti testatur BARNAB. BRISSON. *de verb. sig. L. 2.* voce *memoria*, & apparet ex A. GELLIO *N. Att. Lib. IV. C. 3 & 6.* Leges ipsae, in quibus temporis immemorialis fit mentio, plerumque generaliter loquuntur. Neque memoriam per documenta suscitandam exclusisse videtur Epitomator LABEONIS PAULUS *L. 28. π. de probat.* quando ait: *Immo cum in arbitrio quaritur, memoria facti operis exstet, nec ne: non hoc quaritur, num aliquis meminerit, quo die, aut quo consule factum sit, sed num hoc aliquo modo probari possit, quando id opus factum sit.* Leges obstantes, alias resolutas & argumenta adversariorum confutata vide in alleg. MENCKENII *Dissert. de praescript. immemoriali &c* §. II. & III. simulque ex §. IV., non eandem, vetustam, & immemorialis temporis possessionem esse, adverte, illa, multo hac latius patente, & ad praescriptionum species multo plures sese referente, ac proin pro materia substrata intelligenda.

§. LXXXIV. De effectibus possessionis immemorialis quando dispicimus, id primo obtuitu liquet, in rebus, quarum subditus vel ex ipsius rei natura, vel ex lege prorsus in-

capax factus fuit, quarumque possessionem nullo unquam tempore penes certas personas esse jura patiuntur, temporis immemorialis possessionem nullius plane momenti esse, nec manutenentiæ effectum operari; hoc ipsum enim dum admittis, in hypothesin propositionis impingis, & subditum earum rerum, certo saltem modo, capacem esse supponis, quod absurdum. Nil igitur proderit possessio quantocunque etiam tempore continuata; siquidem nullum temporis momentum concipi valet, quo non injustam, improbam, atque reipublicæ noxiam eandem leges reputarint. Quandocunque, & ubicunque legislator, Princeps, sive judex possessorem talis rei offendit, propter intrinsecam possidentis incapacitatem, & expressam legis prohibitionem possessionem ejus nullam, & injustam esse jure enunciat; talem autem defendendam esse, quis dixerit? Jurisdictionis ecclesiasticæ, qualem sacra pagina, concilia & canones definiunt, laicus prorsus incapax est. Jura majestatis & summi imperii subditus, qua talis, per rerum naturam propria habere nequit. Quid ergo proderit subdito aut laico, etiamsi per mille etiam annos, qua subditus, qua laicus, hæc *jura* exercuerit? Nil certe aliud, quam ut, si bonam *suam* fidem docuerit, ab usurpationis pœna immunis evadat, possessione subito & sine mora dejiciendus.

SCHOLION. Exempla ejusmodi incapacitatis, contra quam nullus titulus, nulla possessio allegari valet, in jure plura occurrunt. Sic in *L.* 2. *C. de Fundis limitrophis* HONORIUS & THEODOS. jubent, ut quicunque castellorum loca quocunque titulo possideant, ea cedant, ac deserant. Sic Judæos fundos & agros in republica possidere plurimorum locorum statuta vetant, quos proin immemorialis temporis possessio parum juvabit. Confer omnino Illust. BOEHMER. *Jur. Eccles. Protest. Lib. II. Tit. XXVI.* §. 43. ubi ait: *Allegari non posse hanc vetustatem in iis rebus, quæ possideri ab allegante nequeunt. Hoc enim ipso, quod possideri ab allegante nequeant, statim ostenditur,* ille-

illegitime olim ea ipſa eſſe acquiſita, ſi vel maxime ſpecificata originis notitia & memoria deficiat.

§. LXXXV. Quod ſi, quas Principis, & reipublicæ dominio addici communis utilitas flagitat (§. LXVIII.), res & jura legislator publica ſanctione in proprietatem civitatis ita tranſcribat, ut omnem omnino in iisdem privatorum poſſeſſionem atque jus nullum, irritumque eſſe jubeat, neque eorundem poſſeſſores, qualicunque temporis lapſu ſubnixos, defendi velit, niſi expreſſam Principis & reipublicæ conceſſionem docuerint, eamque legem continua, & non interrupta obſervantia ita corroborarit, ut vim ejusdem ac poteſtatem citra ſupinam culpam ignorare ſubditorum nemo queat: tum perinde, ut in caſu præcedenti (§. LXXXIV.) rerum atque jurium horum poſſeſſio, ut ut immemorialis eſſe perhibeatur, atque hominum memoriam longe excedat, neque etiam ex documentis de contrario liqueat, omni deſtituetur efficacia, nec ad manutenendum ſubdito horum jurium poſſeſſori proficiet. Namque, dum legibus civitatis ſubditus vivere obſtringitur: ea, quæ publicæ utilitatis cauſa ſancita fuere, facto ejusdem contrario tolli atque enervari indecens utique, ac indecorum foret. Ut jam taceam, quod in ordine ad impediendam poſſeſſionum hujusmodi immemorialium, furtim non raro & clandeſtine initio obtentarum (§. LXXIII.), vim, Principes vigilantes jurium reipublicæ proviſores, ſalutares ejusmodi leges ut plurimum edicant: quas hanc ipſam ob cauſam ſancte cuſtodiendas eſſe, ſana ratio dictitat.

SCHOLION. Eatenus itaque probamus THOMASII (Opuſc. XI.) ſententiam, omnem omnino, etiam immemorialem præſcriptionem in acquiſitione ejusmodi jurium in ſubdito improbantis; quatenus vero diverſum ab eodem ſentiamus, ſequentia manifeſtabunt. Enixam ejusmodi, atque expreſſam voluntatem legislatoris, præſcriptionem omnem, conſequenter

ter qualemcunque possessionis vim, irritantis, contineri idem (Ib. C. III. §. IV. sub fin.) existimat *L. 6. C. de Præscript. XXX Ann.* qua adversus functiones & collationes publicas nullius cujuscunque temporis præscriptionem admittendam esse, statuitur. Item *L. 2. C. Ne rei dominicæ vel templorum.* Ubi talis possessio, tanquam perperam & contra leges obtenta, improbatur; in quo ipsi adstipularemur, modo non de temporum ibi, verique nominis præscriptionibus sermonem esse, probabilius alii evicissent. Neque tamen hodie desunt casus, in quibus hæc cum fructu, præsertim in vindicandis reipublicæ juribus, applicari possint.

§. LXXXVI. At vero pone ex adverso, rem aut jus aliquod in regula quidem ad Principis & reipublicæ dominium publicum spectans, ita tamen comparatum, ut *a subdito* possideri non plane implicet; pone nullam *prostare* publicam legem, quæ qualemcunque hujus juris possessionem, ne immemoriali quidem exclusa, Principis expressa concessione destitutam, irritam ideo, nulliusque roboris esse pronuntiet; pone ulterius, non insolens fuisse olim, nec esse hodiedum, ut in certis reipubl. districtibus *subditi*, nobilioris præsertim ordinis, hocce jus ex *Principis* concessione possideant. Quod si sub his circumstantiis, eaque reipublicæ facie juris ejusmodi possessor pro se immemorialem possessionem habeat (§. LXXXIII.); quod si nemo sit, qui contrarii recordetur, nec Principem unquam in possessione fuisse, aut subditum vitiose possidere cœpisse, ex chartis & documentis publicis appareat: magna sane hoc casu oritur probabilitas, possessorem, ejusque antecessores justo & legitimo idem modo, ex concessione scilicet Principis & reipublicæ, nactum fuisse, instrumentis, & documentis incendio forsan, bello, aliove casu deperditis. Verum est, quod pro Principe & republica lex, & regula, favor publicus, odium alienationis (§. LXIX.) & contra concessionem

nem facienda præsumtio (§. LXXXII.) loquatur: sed vincit has præsumtiones sub his circumstantiis temporis vetustas; meliusque facit Princeps, ut jure suo, probabili saltem, cedat, quam ut æque probabiliter justum possessorem ac dominum depellat; id quod naturalis ratio suadet, ipsaque æquitas, & inter duas præsumtiones collidentes exceptionem recte instituendi regulæ dictitant. Ut proin sub his, quas determinavimus, circumstantiis immemorialis possessio in rebus & juribus, in regula alias ad Principem & rempublicam spectantibus, concessionis loco merito habeatur, talemque docens legitime ejusmodi jura impetrasse reputetur.

SCHOLION. Habes hic paucis fontes jurium & privilegiorum, quibus ICti possessionem immemorialem ad invidiam usque mactant. Non possumus tamen illorum sententiæ accedere, qui tantæ eandem efficaciæ esse autumant, ut omni licet præscriptione, & possessionis effectu excluso, hæc non exclusa censeatur. In juribus, & rebus privatis, atque vulgaribus vix, aut raro ejus allegatione opus est, cum brevioris multo & determinati temporis lapsu horum jura extinguantur. Non nisi igitur in publicis, aut aliunde privilegiatis juribus locum habet, quorum favor tantus subinde esse potest, ut prudentissima lege omnis possessionis, expressa concessione non suffultæ, virtus & efficacia tollatur (§. LXXXV.); quo casu immemorialis temporis lapsus parum proficiet. Non temere, nec sine causis ponderosissimis talem legem condendam esse, lubens largior: ast ideo omnem omnino sanctionem, omne privilegium contra possessionis immemorialis vim, iniquam pronuntiare non ausim. Vid. CACHERAN. *Conf. XXVII. n. 26.* Sola præsumtione hujus possessionis beneficia nituntur, ut demonstravimus §. LXXXVI. hæc si fortior sit pro juribus Principis & reipublicæ (quod in casibus, & rebus publicis particularibus contingere sœpius potest), an tu iniquitatis legislatorem taxabis, qui reipublicæ jura non nisi expressa concessione possideri vult (§. eod.)? Absit nefas!

§. LXXXVII. Concessio Principis in acquirendis rebus, & juribus, in dominio Principis publico existentibus, titulum sufficientem & idoneum præstat (§. LXXIX). Quapropter, cum immemorialis temporis possessio sub his, de quibus diximus (§. LXXXVI.), circumstantiis, præsumtam Principis concessionem inducat (§. eod.): eandem quoque possessori titulum idoneum & sufficientem suppeditare dubio caret; neque, quo manuteneatur, subditus de alio titulo docere necessum habet (§. LXXX.).

SCHOLION Miror ergo, esse adhuc inter ICtos, qui possessionem immemorialem simpliciter rejiciunt, & cum THOMASIO in *Dissert. de præscriptione regalium ad jura subditorum non pertinente.* GEORG. BAYERO in *delin Jur. Civil. ad Tit. π. de diversis temp. præscript.* p. 568. *Illust.* D. a LUDEWIG in *Dissertat. de Dispari nexu Civitat. Imp. cap. VI.* §. 29. seqq. V. C. JOA. LAURENT. FLEISCHER. in *Instit. Jur. Feudal.* Cap. *X.* §. 40. nullum eidem inter titulos, quibus subditus ejusmodi jura sua esse probet, locum relinquunt. Præscriptionem equidem in his juribus a subdito acquirendis non obtinere, ipsi supra (§§. LXXV. & LXXVI.) demonstravimus. *Ast* inde non sequitur, non etiam id operari diuturnitatem *possessionis*, aliis præsertim non infimi momenti circumstantiis accedentibus, ut concessio legitime olim impetrata esse præsumatur; quorsum collimat RÆVARDUS *in Triboniano* §. 9. quando ait: *Ut id jure possideam, cujus acquisitio memoriam excedit non tam lex efficit constituta, quam humanis mentibus velut tabellis aneis insculpta naturalis constitutio.* Atque *Illustr.* BOEHMER *Jur. Eccles. Protest. Lib. II. Tit XXVI.* §. 39. verbis: *ipsa utique ratio naturalis dictitat, vetustatem, cujus originis memoria non extat, validissimam inducere probationem, eum, qui jus quoddam possidet, optimo titulo & jure esse munitum non vero lapsu temporis demum acquisivisse.* Sententia illa, quæ præscriptionem immemorialem (melius, præsumtum ex possessione immemoriali titulum) prorsus negat, recte judicante V. C. AUGUST. GOTLOB PETERMANNO in *in Dissert. de valore possessorii summariissimi contra Principem S. R. I. &* §. *XIV.* Machiavellismum

sapit,

sapit; dum impio Principi facultatem largitur, bona subditorum pro lubitu arripiendi. Adhibito, quod inculcavimus (§. LXXXV. & LXXXVI.), temperamento, subditis immemoriali tempore ejusmodi jura possidentibus neque graves sumus, neque in jura reipublicæ & Principis impingimus.

§. LXXXVIII. Porro, ex eo, quod ex possessione immemoriali concessio Principis præsumatur (§. LXXXVI.), nec a tempore demum, quo possessionis, memoriam excedentis, probatio suscipitur, jus nascatur, sed olim jam legitime impetratum fuisse verosimilis judici probatio fiat, contra quam, ex supposito, nulla alia fortior præsumtio militat, patet, quod temporis immemorialis possessio novum jus non producat, sed antiquum, atque legitime impetratum præsumtive saltem, & verosimiliter judici probet; ac proin possessionem, hominum memoriam excedentem, non acquirendi, sed probandi solum modum esse liquet.

SCHOLION. Plenius hæc deducit *illustr.* BOEHMER *cit. l.* atque auctoritatibus firmat. Confer quoque MENCKEN. *alleg. Dissert. de præscript. immemoriali &c.* §. XII, XV. & passim.

§. LXXXIX. Per præscriptiones certo temporis lapsu dominium, aut jus quoddam acquiritur; uti ex jure Digestorum, & Codicis notum est. Enimvero per temporis immemorialis possessionem novum jus non acquiritur (§. LXXXVIII.), sed antiquitus impetratum præsumtive probatur (§. eod.). Proprie igitur loquendo ad præscriptiones non pertinet. Ratio sane usucapionis a possessione immemoriali toto cœlo diversa est. Qui usucapit, definito temporis spatio rem alienam non interrupte & bona fide possidens, ejusdem demum fit dominus, quem antea non nisi bonæ fidei possessorem, & dominum saltem putativum fuisse certum est: qui vero immemoriali tempore possidet, ideo

manutenetur, quod jam olim titulo & modo dominii acquisitivo rem acquisivisse præsumatur (§. LXXXVI.). Nullum hic definitum est temporis spatium, ex quo ipsi res adjudicatur; solus ex vetustate præsumtus titulus possessorem securum reddit: ut adeo nonnisi improprie loquantur, qui præscriptionis nomine eandem insigniunt; nisi forsitan in juribus & controversiis privatorum allegetur, ubi per excellentiam præscriptiones alias continet.

SCHOLION. Atque inde apparet, cur in genere supra (§§. LXXV. & LXXVI.) a juribus & rebus, ad publicum Principis dominium pertinentibus, omnem præscriptionem amoverimus, salvis, qui ex immemoriali possessione oriuntur, effectibus. Tempus, memoriam excedens, jure civili nullibi ad præscriptiones referri probe notavit illustr. BOEHMER. *cit. l. §. 39.* ex *L. 1. in f. π. de aqu. & aqua pluv. arcend. L. 2. π. ibid.* ubi dicitur: *Quod vetustas semper pro lege habeatur, litium minuendarum causa.* Item *L. ead. §. 5. ib. Agger manufactus jure factus censetur, cujus memoria non extat*, item §. 7. *Fossa, cujus memoria non extat, æquiparatur cum ea, quæ jure facta est. L. 23. in f. eod. L. f. eod.* Item *ex L. 3. §. 4. π. de aqu. quotid.* verbis: *Ductus aquæ, cujus origo memoriam excessit, jure constituti loco habetur*, aliisque juris testibus contrarium potius elucescit. Jure demum canonico *C. 1. de præscript. in 6.* cujus verba supra (§. LVII.) retulimus, tempori immemoriali præscriptionis nomen inditum fuit: unde tandem in praxin, & usum evaluit; modum tamen loquendi juris civilis servat *Cap. 26. de V. S.* ubi INNOCENT. III. Comiti Tholosano pedagia, salinaria, guidagia interdicta esse respondit: *quæ non apparerent Imperatorum vel Regum vel Lateranensis concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine a tempore, cujus non extat memoria, introducta.*

§. XC. Titulum possessionis suæ, seu concessionem juris, in regula ad Principem pertinentis, subditus, qui manuteneri vult, docere atque probare tenetur (§§. LXIV. & LXXX.). Quare, cum possessio immemorialis tituli loco sit,

ſit; aut ſaltem ea probata conceſſio facta eſſe præſumatur (§. LXXXVI.): poſſeſſionem quoque immemorialem ſubdito, qui in ea ſe fundat, probandam eſſe, quis dubitet?

§. XCI. Probatur autem poſſeſſio immemorialis non per teſtes ſolum, ſed & inſtrumenta & documenta fide digna, teſtium rotulos juris ordine confectos, & in genere omnia ea, quibus leges vim probandi dederunt, atque requiſitis legalibus (a) inſtructa ſunt. Teſtes quales eſſe debeant, ex ipſa rei probandæ natura facile elicitur; ſcilicet ætate graves, qui rerum geſtarum notitiam habere queant, qui deponant, ſe nunquam aliter vidiſſe, nec audiviſſe, verbo, ex quorum elogiis de contrario poſſeſſionis facto, aut initio nihil eluceſcat, ſed memoria hominum, in vivis exiſtentium, ſuperiorem eſſe poſſeſſionem appareat. Id quod itidem documenta, ſi iisdem ad probandum tempus immemoriale utatur ſubditus, in ore gerere debent; ſcilicet, quod in diplomatibus & chartis antiquis ſemper poſſeſſor nuncupetur, actus poſſeſſorii in ſcripturis authenticis conſignati, vel jam olim rite probati fuerint, & his ſimilia. Quibus a parte adverſa, Principe ſcilicet, aut fiſco, non eliſis, poſſeſſorem ſubditum ſeu landſaſſium utique manutenendum, & ab omni ulteriori actione abſolvendum eſſe liquet.

SCHOLION. Ætatem in teſtibus requirunt 54. minimum annorum KLOCK. *Tom. I. conſ.* 15. *n.* 2. *ſeq. & Tom. IV. conſ.* 83. *n.* 12. WESENBEC. *P. VII. conſ.* 137. *n.* 140. SIXTIN. *de Regal. Lib. I. Cap.* 5. *n.* 153. D. LEYSER *de præſcript. immemor. Cap. I. n.* 6. & alii; ut nimirum poſt pubertatem adhuc de 40. annis deponere valeant. Verum, cum præſcriptio, ſeu potius poſſeſſio immemorialis, nulli certo ac definito tempori adſcripta ſit, ſed ſolum ejusdem requiſitum eſſentiale ſit defectus memoriæ ſeu reminiſcentiæ, qui decem annis, immo pauciori temporis intervallo contingere poteſt, ſenioribus forſan, qui rei notitiam habuere, demortuis, inſtrumentis vero ac documentis injuria bel-

li, incendio, aliave ratione deperditis: nullam testibus ætatem figimus, sed quos aptos judex æstimat, nec a partibus cum ratione rejiciuntur, admittendos esse statuimus, ita tamen, ut quantum fieri potest, ætate graviores præ junioribus eligantur.

(a) *L. 15. Cod. de fid. instr.*

§. XCII. *Memoriam initii probat*, qui per genuina, & vera probandi media judici, aut cujus interest, quo tempore, quaque ratione aliquis possessionem nactus fuerit, fidem facit. *Memoriam facti probat*, qui, quod jus, & possessio rei, quam quis impræsens possidet, olim ad se pertinuerit, legitime demonstrat.

SCHOLION. Ita JCti hos terminos accipiunt. Conf. ill. POEHMER. *cit. l.* §. 13. MENCKEN *cit. Dissert.* §. 7. STRYCK *de jure sensuum Dissert. VIII. c.* 3. *n.* 13. *sequ.* HORN. *class. II. n.* 3.

§. XCIII. Quodsi Princeps, aut ejusdem fiscus, memoriam initii possessionis, quam subditus immemorialem esse prætendit, per idoneos testes probet: hoc ipso *subditi* possessionem immemorialem haud esse ostendit; *quomodo* enim immemorialis dici poterit, quam penes *subditum* nondum fuisse testes recordantur? Quapropter, cum nonnisi immemorialem possessionem juris, ad publicum Principis dominium pertinentis, ex benigna impetratæ olim concessionis præsumtione manuteneri monstraverimus (§§. LXXXVI. & LXXXVII.): possessionem, cujus initium Princeps per testes docuit, in hypothesi ad manutenendum haud sufficere, nemo dubitat (§§. LXV. & LXXI.).

SCHOLION. Veritatem hujus propositionis largiuntur, quotquot præscriptione solum immemoriali regalia a subditis acquiri posse defendunt; ut ut memoriam tantum hominum admittant, rejecta ea, quæ per documenta & scripturas revocatur (§. LXXXIII. Schol.). CARPZ. *in processf. Tit. XIII. Art. III. p.* 6. *&c.*

6. & *J. P. Forenſ. C. XVI. def.* 47. *n.* 16. *ſequ.* LINCKER. *Tom. I. Reſp. II. n.* 126. MYNSING. *Cent. I. Obſ.* 30. & *Cent. IV. Obſ.* 53. R. P. SCHMIER. *J. Canon. Tom. I. Tract. II. Cap. I. n.* 84. & *ſequ.*

§. XCIV. Immemorialis poſſeſſio cum dicatur, cujus initii aut contrarii non ſolum, qui recordentur, homines non extant (§. LXXXIII.), ſed & de cujus origine prætcrea alia ratione non conſtat (§. eod): patet, immemorialis poſſeſſionis nomen haud mereri, de cujus origine, quando, quaque occaſione quis eandem adeptus fuerit, per documenta fide digna liquet. Antiquam, vetuſtam, immo vetuſtiſſimam eandem dicas, per me licet, modo ne immemorialis eidem titulum perperam tribuas (§. eodem in Schol.). Enimvero non niſi temporis, memoriam hominum effugientis, id beneficium eſt, ut conceſſionis loco habeatur (§ LXXXVI. & LXXXVII.). Poſſeſſionem itaque juris, a ſubdito non niſi ex conceſſione Principis poſſideri apti (§. LXXIX.), ut ut vetutiſſimam, probato ejusdem per documenta initio, ad manutenendum parum aut nihil roboris conferre indubium eſt. Præſumtioni amplius locus non eſt, ubi de veritate conſtat, ſecundum notoria juris principia. Pone Principem jus aliquod ad publicum ejusdem & reipubl. dominium ſpectans revocantem, objectam a ſubdito immemorialis temporis poſſeſſionem per documenta elidere, atque ex inſtrumentis & aliis ſcripturis plenam probandi vim habentibus ad liquidum perducere, quod ante 40. 60. 100. 200. aut plures annos jus illud inter bellicos tumultus, nulla prævia Principis conceſſione, occuparit, & hucusque negligentia officialium, aut eorum, quibus juribus reipublicæ invigilandi cura incumbebat, detinuerit. Teſtes nulli adſunt, qui hujus initii memoriam tenent. Sed an non idem documenta præſtant? An minor his, quam teſtibus auritis, quales tamen in probatione memoriæ ad-

mittunt

mittunt, fides habenda? Neutiquam, sed pro circumstantiis multo illis, quam his, pleniorem rerum gestarum fidem fieri pro certo teneo, nec subditum, ducenti licet aut trecenti anni elapsi fuerint, manutenendum esse existimo.

SCHOLION. Eandem quoad initii memoriam nobiscum sententiam tenet STRYCK *de J. sensuum Dissert. VIII. Cap. 3. n. 13. sequ.* HORN. *classe II. n. 3.* Illustr. BOEHMERUS *cit. loc. §. 41.* Ubi documenta nulla admittentium sententiam iniquam non tantum, sed multorum praeterea absurdorum feracem pronunciat: *Namque* (ait) *ita contingere potest, ut intra quinquennium vetustas & immemorialis praescriptio nasceretur, peste forsan tot hominum millia consumente in ea provincia, ut memoria omnis hominum deleta & extincta foret. Quid ergo? Si actor instrumentis possit ostendere acquisitionis initium a paucis retro annis factum fuisse, reus vero in praescriptione immemoriali se fundaret, quod nulla hominum memoria extaret: an hic propterea absolvendus esset? an probato non jure possessoris actori jus suum hoc modo auferendum? Minime gentium.* Confer. Idem T. *I P. I. Consultat. Resp. 36. n. 17. 18. & sequ.* Accedit & illa, quam supra (§. LXXII. sequ.) excussimus, fortissima ratio, quod negligentia saepe officialium regalia haec Principis jura perdicum eant. Unde, (quidquid in rebus vulgaribus obtineat, quod hic non moramur,) aequissimum est, ut Principi saltem & reipublicae memoriam, consequenter vitium possessionis per documenta revocandi facultas relinquatur; *iniquum foret* (ait MENCKEN. *alleg. saepius Dissertat. §. XI.*) *hac ratione privare rempublicam jure suo, illamque citra suam culpam sentire damnum, si documenta, tanquam unicum, quod saepe superesse potest, remedium a contrarii probatione arceantur, hac per testes impossibili reddita &c.* Quae adversarii dubia movent, eodem loco nervose resoluta offendes. Vid. quoque R. P. FRIDERICH *de decimis n. 452. sequ.*

§. XCV. Facti memoriam contrariam quando Princeps, seu fiscus ejusdem contra subditum per testes probat, tunc intra hominis memoriam in possessione juris ad se & rem-

rempublicam in regula pertinentis se fuisse insimul ostendit, & per consequens subditi possessionem immemorialem haud esse, palam facit (§. LXXXIII.); quomodo enim immemoriale dicas, cujus contrarii in vivis existentes homines recordantur? Quapropter, cum sola immemorialis possessio sub circumstantiis supra explanatis concessionis loco sit (§. LXXXVII.); hæcque sola ad manutenendum sufficiat (§. LXXIX.): subditum hoc casu in possessione defendi minime posse evidens est.

SCHOLION. Hujus quoque propositionis veritatem nemo in dubium vocat. Non illi, qui ad præscriptiones temporis immemorialis lapsum referunt (§. LXXXIX.), huncque ex memoria tantum hominum in vivis existentium æstimant; utpote qualem hic non subesse, testes ex supposito manifeste probant: non etiam ii, qui propter præsumtam solum ex immemorialis temporis possessione concessionem possidentem nobiscum defendunt (§. LXXXVII.). Etenim quæ pro possidente hic præsumtio esse potest? qui ne in possessorio quidem judicio hoc casu defendi valeret, titulata antiquiore possessione Principis per testes clare demonstrata.

§. XCVI. An ex adverso, facti memoria ex documentis suscitata, idem obtineat, atque, dum Princeps ex antiquis diplomatibus, Imperatorum concessionibus, aliisque rerum gestarum monumentis se & in possessione, & in exercitio juris controversi fuisse, manifestum facit, subditus possessionis immemorialis beneficio quoque excidat, difficilioris est discussionis. Communiter hanc non obesse subdito statuunt (a), quam diu de initio possessionis documenta non testantur (§. XCV.). Possessionis memoriam, non juris olim habiti suscitandam esse, dicunt, ut concessionis factæ præsumtio corruat; absurda alias consecutura plurima: quod e. g. subditus, qui per mille annos tranquille & bona fide possedit, producto forsan diplomate, aut concessionis,

sionis charta antiqua de possessione decedere cogi queat; id quod summam iniquitatem saperet, idemque foret, ac si possessionis immemorialis beneficia nulla prorsus admitteres. Verum his non obstantibus alii in contrariam euntes sententiam, tantam hisce documentis vim tribuunt, ut, si de jure Princip's ex documentis clare constet, omnem posteriorem possessionem, expressa Principis concessione destitutam, nullam, invalidam ac vitiosam esse pronuntient. Nec sane temnendæ sunt, quas pro sua hac sententia rationes afferunt, uti ex allegata MENCKENII dissertatione videre licet. Jus Principis, ajunt, esse clarum, & manifestum; jus subditi non nisi probabile & præsumtum: non posse igitur non hoc priori cedere. " Totius præscriptionis immemorialis fundamentum esse præsumtionem justi tituli, " quo munitus contra omnes debiliori jure nitentes tutus " sit. Sed quia jura itidem præsumunt, illum adhuc esse " dominum, qui olim fuit, neminemque ex nudæ posses" sionis principio contra dominum defendunt, duas hic " præsumtiones concurrere. Nunc autem præsumtionem " justi tituli, legitimæque acquisitionis ob lapsum temporis " in possibilitate tantum fundatam esse, hanc autem do" minii ex documento in veritate & lege. Priorem itaque " tanquam debiliori fundamento innixam cedere teneri po" steriori firmiori. Sufficere ergo, ut sola memoria facti do" cumento insit, neque opus esse, ut contrariam quoque " initii memoriam contineat (b). Adde, quod temporis, & possessionis immemorialis nomen mereri non videatur, de cujus contrario, & quod alius, nimirum Princeps, posséderit, liquido apparet.

(a) Vid. Illust. BOEHMER. *cit. locis.* STRYCK *de J. Sensuum*, aliique supra (§. XCII. Schol.) allegati AA.

(b) *Alleg. Dissert. de Præscript. immemor. per documenta elidenda §. 7. sequ.*

§. XCVII.

§. XCVII. Et ſane, ſi verum dicere fas eſt, tanti nobis ponderis utriusque partis rationes videntur, ut, utrius ſententiæ manus demus, dubii & ancipites hæreamus. Urget ex una parte poſſeſſionis immemorialis, quam ſupra ſuppeditavimus (§. LXXXIII.), notio, quæ poſſeſſionem aliam non admittere videtur, quam de cujus contrario nulla ratione conſtat. Loquitur pro reſuſcitatione memoriæ per documenta publicus favor, & in dubio adverſus conceſſiones facienda præſumtio (§. LXXXII.). Ex altera parte, admiſſis indiſtinctim documentis, nulla attenta temporis diuturnitate poſſeſſores regalium & rerum, in regula ad Pincipis & Reipubl ſpectantium, in perpetuam incertitudinem conjicere videmur, ut inconcinna alia præteream, quibus hanc ſententiam portas pandere apparet. At vero, quoniam ſubditum inter & Principem ratione rerum & jurium, ex lege civitatis publica ad rempubl. & Principem ſpectantium, ortæ controverſiæ ex jure naturali, atque jure publico tum univerſali tum particulari magis, quam ex civilibus legibus dirimi convenit, ac proin liberior hic æquitatis ductum ſequendi campus patet, tentabimus, an non media inter utramque ſententiam via incedentes, tam eorum, qui ad probandam facti memoriam documenta nulla, quam illorum, qui ea indiſtinctim admittunt, ſcopulos devitemus. Agedum! diſtinguamus inter *probationem memoriæ facti per documenta qualificatam*, & *non qualificatam*. *Illam* dicamus, quando princeps ſeu fiſcus præter jus & poſſeſſionem antiquam, quæ documento ineſt, ex adminiculantibus aliis probationum fontibus, puta, ex actis archivalibus, antiquis protocollis, & cataſtris publicis, rebus judicatis, aliisque rerum geſtarum monumentis, nullam poſt documentum, usque ad litem præſentem, conceſſionem factam, aut impetratam fuiſſe probabiliter adſtruit; id quod colligi inde poterit, quod a tempore documenti

menti concessiones omnes accurate consignatas probet; quod jurium ejusmodi possessores quolibet tempore exacte annotati reperiantur; quod subdito aut landsassio sæpius contradictum, quin plures interea temporis actus possessorios a Principe exercitos fuisse ex actis & chartis antiquis doceat. Non *qualificatam*, seu *nudam* memoriæ facti per documenta probationem eam nuncupemus, ubi præter documenta adversus subditi possessionem immemorialem nihil producitur, sed ex his solis a fisco impugnatur.

§. XCVIII. His præmissis probatam per documenta memoriam facti qualificatam neutiquam insuper habendam esse, sed subditum, ut possessione decedat, jure adigi posse, facile evincimus. Præterquam enim, quod stricto *possessionis* immemorialis significatui inhærendo, ne immemorialis quidem hoc casu possessio salutari valeat (§. LXXXIII.), ex eo, quod de concessione, subdito seu landsassio facta, acta publica & possessorum indices a tempore documenti curatissime confecti nihil edicant; quod interrupta sæpius aut contradicta saltem fuerit possessio; quod a tempore *documenti* ad præsentem usque litem exiguum adeo *intervallum* intercesserit, ut de concessione, siqua facta fuisset, non possent non prostare monumenta quædam, omnis, quæ pro subdito militabat, præsumtio impetratæ olim concessionis corruit; nec gravate feret, si fortiori Principis juri cedere cogatur, licet initium possessionis, quaque occasione, negligentia & conniventia ministrorum, eandem nactus fuerit, docere Princeps haud valeat. Sufficit quod, toto illo intervallo non potuisse non esse vitiosam possessionem, summa probabilitate adstruxerit, quæ concessionis interea factæ præsumtionem omnem enervet.

SCHOLION. Hucusque igitur viri celeberr. MENCKENII aut clariss. ejusdem Candidati, LOSSII, sese nobis sententia probat & docu-

documenta quoque, facti memoriam revocantia, ad infringendam poſſeſſionis immemorialis efficaciam admittimus.

§. XCIX. Aliud dicendum, ſi productum a Principis fiſco documentum probationes adminiculantes nullæ comitentur; ſi a tempore diplomatis ſubditus per plura ſæcula tranquille, non interrupte, & pacate poſſederit; ſi conceſſiones ita accurate conſignatas fuiſſe probari nequeat, ut propterea in caſu ſubſtrato non factam fuiſſe, probabiliter concludi valeat, &c. Etenim, licet proprie & ſtricte loquendo, producto ejusmodi documento poſſeſſio ſubditi immemorialis amplius dici haud poſſit (§. LXXXIII.); cum neceſſario documento poſterior ſit, & ab hoc minimum cœpiſſe debeat: quoniam tamen totum illud plurium ſæculorum intervallum uſque ad litem ipſi motam pro ſubdito loquitur, & omnes pro conceſſione interea impetrata præſumendi rationes adhuc in ſalvo ſubſiſtunt (§. LXXXVI.), merito ſub his circumſtantiis poſſeſſionem ſubditi immemoriali prorſus æquivalere ſtatuimus, præſertim cum a tempore documenti de vitioſa origine ne veroſimiliter quidem conſtet. Nunquid conceſſionum, & confirmationum diplomata interea temporis incendio, ætate, aut caſu alio fatali, perinde ut in poſſeſſione immemoriali ſtricte tali, deperdita fuiſſe potuere? non ſecus ac ſi documentum nullum extaret; ut taceam quod ita nude admiſſis documentis omnis fere poſſeſſionis immemorialis vis & poteſtas corrueret, & ſimpliciter ea admittentium ſententia vix a Machiavelliſmi nota liberari valeat (§. LXXXVII. Schol.): Pone ſubditum in poſſeſſione conſtitutum antiquiſſima, ita ut a plusquam 500. annis de eadem docere poſſit, initium vero plane in abſcondito lateat. Producit fiſcus documentum ante hos nongentos annos confectum, ex quo jus a ſubdito poſſeſſum ad Principem pertinuiſſe liquido apparet, aliis

autem probationibus adminiculatoriis (§§. XCVIII. & XCIX.) prorsus destituitur. An propterea subditus per octingentos forsan annos tranquillus possessor dejiciendus erit? Nemo, nisi aliæ publici boni rationes concurrant, hoc sanus dixerit. Si, stricte loquendo, illud intervallum immemoriale non est, in ordine tamen ad effectus possessionis immemorialis ex adductis rationibus omnino pro tali habendum erit.

SCHOLION. Unde apparet, quatenus cum BOEHMERO, STRYCKIO, HORNIO, aliisque, nullam facti memoriam per documenta admittentibus, faciamus. Mediam hanc viam tutissimam remur, & rectæ rationi convenientissimam. Si quis meliorem monstraverit, sequi non aspernabimur.

§. C. Jactis his principiis generalibus, in rem nunc præsentem veniendum, monstrandumque erit, non invita Themide dicta, & demonstrata hactenus ad regalia Principum applicari; quo ipso sententiæ, quam initio dissertationis nostræ (§. V.) adoptavimus, indubium constabit *veritatis* robur, neque aliis, ad dispellenda adversariorum *tela, armis* opus erit. Agedum ipsos regalium fontes, quantum & temporis ratio patitur, & ad scopum præsentem facit, paucis indagemus.

§. CI. Palmarii itaque fundamenti loco ex juris publici universalis doctrina præponimus, quod, sicut congenita homini naturalis in explendis rite officiis suis insufficientia ad saluberrimum societatum civilium institutum manu quasi duxit, & coadunationem virium sub civili imperio tanquam medium, defectum singulorum supplendi efficacissimum ipsa naturalis ratio innuit, ita idem ipsum rectæ rationis lumen in quolibet coetu civili summos Magistratus constituendos esse jubeat, in quos communi consensu, ea omnia,

nia, quæ ſalutem & tranquillitatem communem promoverent, ordinandi, conſtituendi, exequendique poteſtas conferretur. Summa hæc poteſtas, ſummique Magiſtratus conſtitutio cætui civili ita eſſentialis, & neceſſaria eſt, ut, qui hac deſtitutam ſibi rempublicam fingit, monſtroſam potius chymæram in cerebro concepiſſe dicendus ſit (a).

(a) Confer. in Tom. II. Opuſculum *de eo, quod jure publ. Univerſali, & particulari Imp. R. G. circa ſuffragia Majora juris eſt.* §. *1.* & multis ſequentibus aliis.

§. CII. Summo huic in republica magiſtratui, quem Principis impoſterum generali nomine indigitabimus, civitatem regendi, conſervandi, inſtaurandique curam incumbere per ſe liquet, & officium ejus luculenter declarat (§. CI.). Pluribus igitur eundem juribus inſtructum eſſe oportet, queis ſine in recte gubernanda republica verſari nequit, & quæ totidem veluti partes poteſtativas ſummi, quod penes ipſum eſt, imperii abſolvunt. Complexus hic jurium, Principi vigore ſummæ poteſtatis competentium, *majeſtas* cum dicatur, jura illa *majeſtatica*, *ſummi Imperii*, vel *ſupremæ poteſtatis* nuncupant.

SCHOLION. Summi quoque imperii jura *regalia*, & quidem ad diſtinctionem regalium minorum, de quibus mox, *majora* vocari noto notius eſt; haud dubie, uti ait THOMASIUS (a), quia eo tempore, quo hæc vox in uſu eſſe cœpit, nomen regalium admodum frequens erat, ac in regibus omnium optime hæc jura conſpici poterant.

(a) Diſſertat. *de præſcript. Regal. ad jura ſubditorum non pertinente Cap. I.* §. 7. Ubi ſimul diverſos hujus vocis ſignificatus offendes.

§. CIII. Omnium ſummæ poteſtati competentium jurium calculum hic inire opus non eſt. Interim qui ſocieta-

tis

tis civilis & summi imperii indolem perspectam habent, ea facile determinare poterunt. Omnis quippe facultas, qua sine recta reipublicæ gubernatio, & civilis coetus conservatio non subsistit, quæque ex civili imperio essentialiter fluit, in censum jurium majestaticorum referenda: sic jus ferendi leges, jus ordinandi judicia, jus constituendi magistratus subalternos, jus conferendi dignitates, jus irrogandi pœnas, jus indicendi & imponendi collectas, jus belli, jus pacis, jus fœderum &c. summi imperii, sive majestatis partes essentiales esse constat; cum sine hisce juribus integra in summo Magistratu seu Principe potestas nullo modo concipiatur.

SCHOLION. Quod autem DD. in fingendo jurium summæ potestatis numero tam varient, ita ut cum CHASSANÆO *ducenta* & octo alii, alii plura, alii pauciora referant (a), *ea haud* dubie ratio est, quod quidam non nisi genera enumerent, aliis, ad singulas sub generibus contentas species eundo, in infinitum pene eorundem numerum augentibus. Jus ferendi leges, jus ordinandi judicia, jus collectandi &c. genera sunt, quorum si singulas species enumeras; v. c. jus leges interpretandi, jus mandata, edicta, & rescripta edendi, jus privilegia *concedendi*, jus aggratiandi, jus concedendi veniam ætatis, *jus ordinationes* politicas condendi, &c. quæ sub jure *ferendi* leges continentur, non potest non vastus evadere jurium majestaticorum numerus (b). Accedit quod ad jura summæ potestatis multa vulgo referant, quæ non nisi ad regalia proprie sic dicta pertinent.

(a) CARPZ. *de Regal. C. I. Aphor.* 10.
(b) Illust. D. SCHEFFER. *de Regalib. in specie S. R. I. Cap. IV.* §. *12. & 13.*

§. CIV. Ut salus reipublicæ communis actu promoveatur, & Princeps, seu summus magistratus, efficaciter suo defungi valeat officio, sumtus haud modicos faciendos esse, res ipsa loquitur. De reditibus igitur, & proventibus certis

tis & ſtabilibus, ceu nervo rerum gerendarum Principi proviſum ſit, neceſſe eſt. Enimvero, quo ſine publica civitatis ſalus, & ſummi magiſtratus officium non conſiſtit, illud ad jura majeſtatis referendum (§. CII.). Quare in hunc quoque cenſum jus, reditus Principi certos ac fixos conſtituendi, ſtabiliendique, referendum eſſe conſtat.

SCHOLION. **Adde, quod & recreationi, & innocuo Principis oblectamento pro penſatione aliquali curarum, quas pro publica ſalute quotidie ſuſtinet, non nihil dandum ſit.**

§. CV. Porro, quoniam penes Principem, ſeu ſummum Magiſtratum, ſumma reipublicæ poteſtas reſidet (§. CI.); hæc autem ut externis etiam ſimulacris civibus ſe ſe conſpicuam præbeat, ſummopere refert (a): ſupremo quoque magiſtratui, majeſtatem, ejusque ſubjectum, Principem prærogativis, eminentiis, titulis atque juribus, ſummitatem ejus externe manifeſtantibus, augendi, jus competere certum eſt.

(a) **Perill. L. B. de WOLFF.** *Polit. Cap. V. §. 466.*

§. CVI. Duo hæcce majeſtatis jura fontes nobis commonſtrant, ex quibus, ceu rivulis, *jura regalia*, in ſpecie ita dicta, ſive *minora*, prono alveo derivemus. Jura quippe, prærogativæ, & eminentiæ, quibus in ſignum ſplendoris externi, & ſummitatis manifeſtandæ cauſa Principis & reipublicæ majeſtatem augere convenit (§. CV.), ex intrinſeca ſummi imperii eſſentia determinatæ non ſunt; cum alias nullum in iis conſtituendis Principis officium eſſe poſſet. Pro arbitrio igitur & voluntate ſummi magiſtratus, atque populi determinendæ veniunt. Pari ratione, quibus in rebus proventus, & reditus Principi & reipublicæ neceſſarii conſtituendi; quæ hunc in finem jura, quas res in

specie, atque in individuo privative in reipublicæ proprietatem transcribere oporteat, ex summi imperii essentia minime liquet. Species ergo, & individua jurium istorum & rerum ipsi Principi atque summo magistratui ulterius figenda relinquuntur. Has itaque prærogativas, hasce & eminentias, queis majoris splendoris gratia Princeps summum imperium auget, item jura, quæ tum communis, tum propriæ (§. CIV. Schol) utilitatis causa privative in suam atque reipublicæ proprietatem virtute summi imperii transscribit, *regalia* dicimus; quorum adeo fontes, natura & indoles obscura amplius esse nequit.

SCHOLION. Dicuntur hæc jura regalia a subjecto summæ potestatis, cui cohærent. Rationem supra (§. CII. Schol) innuimus. Qui majestatica jura *regalia majora* vocant, hæc *minora*, item, quoniam utilitatis plerumque & redituum causa constituta sunt, *regalia fisci* appellitant; licet, si propius summæ potestatis indolem rimemur, fisci utilitates multo latius pateant, & multos verorum jurium majestaticorum effectus comprehendant; veluti sunt mulctæ, bona quæ in commissum cadunt, *hereditates*, quæ ut indignis auferuntur, & plura alia, quæ *tanquam* fructus & utilitates jurium summæ potestatis considerari queunt. Qualiacunque tamen Principis jura utilia sub regalium nomine comprehendi, notum est; nec praxis eam differentiam adeo anxie observat; in quo nec nos erimus difficiles, cum paribus fere juribus fruantur.

§. CVII. In Principe jus seu facultatem, constituendi regalia, concipimus (§§. CIV. & sequ.). Eatenus igitur regalia summæ potestatis effluvia esse apparet. Postquam vero summo imperio voluntate summi magistratus annexa fuere, in censum quoque jurium, Principi qua tali competentium, & ipsa referenda veniunt, atque inde regalium nomen induunt.

§. CVIII.

§. CVIII. Interim tamen a juribus majeſtaticis proprie ita dictis (§. CII.) multis modis regalia hæc jura differunt. Hæc per ſe & ſua natura partes ſummi imperii integrantes non conſtituunt, neque ex ejusdem eſſentia fluunt (§. CVII.). Unde ſalvo quoque ſummo imperio abeſſe poſſunt: quæ de majeſtaticis juribus omnia ſecus ſe habent. Illa, ſi Principis voluntate & publica civitatis lege in numerum regalium relata haud fuerint, non alia cenſentur a juribus privatorum, eorumque quilibet civium capax eſt: v. c. jus metallifodinarum, ſi in ſe & intrinſece ſpectetur, abſtrahendo a civitatis publica lege, in privatorum proprietate eſſe non implicat, nec eſſentialiter ad jura reipubl. pertinet. Unde regalia hæc adventitia ſummæ poteſtatis jura eſſe, apparet.

§. CIX. Ad ſummi magiſtratus officium pertinet, ut civium & ſubditorum ſalutem pro virili promoveat, & in poſſeſſionibus præſertim, atque tranquillo uſu rerum ſuarum iis quam minime gravis accidat. Quapropter in regalium quoque conſtitutione majeſtaticum hocce officium ſancte cuſtodiet. Prærogativas & eminentias, quibus majeſtatem auget, tales eſſe oportet, quibuscum jura ſubditorum in ſalvo ſubſiſtant: quando res & jura quædam in ſuam & reipublicæ proprietatem jure perpetuo tranſcribit, indeque regalia efficit (§. CVII.), ab iis rebus ordiatur, quæ in privatorum nondum dominium tranſierunt, neque neceſſariæ vitæ ſuſtentationi inſerviunt: in illas res jus & dominium privativum ſibi aſſerat, quibus aut facile carent ſubditi, aut quæ, ſi in privatorum quoque eas uſu & commercio eſſe intereſt, multo tamen melius Principis & reipublicæ opera excoluntur, atque perficiuntur, multoque commodius per manus Principis ad privatos tranſeunt. His regulis probe cuſtoditis, quin optimo jure ſibi Princeps & respublica regalia conſtituant, dubium non eſt.

SCHOLION. Quibus qualitatibus res & jura, privative Principi transcribendas, præditas esse oporteat, ex dictis simul elucescit. Conferantur quæ supra (§. LXVIII.) hac de re edisseruimus.

§. CX. Quæ proin jura, quasque res in specie Princeps sub regalium nomine, & vi juris majestatici constituendi regalia (§. CVII.), proprias sibi facere, & privatorum commercio eximere valeat, ex indigitatis (§. præcedenti) regulis facili nunc opera eruere, atque ulterius determinare possemus, nisi ea tractatio ab instituto aliena foret. Jus in omnis generis metalla & mineras, jus in feras, pisces & aves, jus in thesauros, jus in bona vacantia, jus in bona, a nullo adhuc occupata, jus in prædia deserta, jus in flumina & insulas in iis natas, jus in alveum, jus in accessiones fluminum & litoris, jus in sylvas & foresta, & alia ejusmodi plura in hunc censum trahenda esse, & a Principe tanquam regalia jura & sibi & reipublicæ privative vindicari, nullo inde negotio colligimus.

SCHOLION. Id tamen velim advertas, multum in *constituendis* regalibus arbitrio Principis & populi relictum *esse*; nec in omni republica eadem deprehendi. Varia ea, atque diversa sunt, pro natura & situ locorum, nec non pro rebus, quas quælibet terra producit. Non omnis siquidem fert omnia tellus. Variat quoque regalium numerus pro diversitate formarum regiminis: sic in monarchiis, & mixtis quibusdam regiminum speciebus plura longe, & extantiora, quam in democratiis aut aristocratiis offendimus; eoquod externus majestatis splendor in illis plura multo, quam in his summitatis symbola requirat: multa quoque, quæ in democratiis aut aristocratiis libera cuivis, & inoccupata relinquuntur, in monarchia Princeps optimo sibi jure vindicat. Conferatur omnino ULR. HUB. *de J. Civit. Sect. IV. Cap. IV. n. 48.* ibi: *Sed populi, Principibus suis adsignaturi certos reditus, nihil prius invenere, quam quod sine ullius injuria vel damno dare poterant. Nullius scilicet res, ut sunt metalli fodinæ, feræ bestiæ, volucres, pisces, id est, jus venandi, aucupandi, piscandi,*

di, denique naufragorum bona, quæ a nemine vindicarentur; item thesauri inventoribus acquirendi, etsi illa secundum usus gentium varios aliter, aliterque se habeant. ZIEGLER *de J. Maj. Lib. II. C. XIX.* §. *15.*

§. CXI. Subditus, qua talis, est persona summo civili imperio subjecta. Qui vero regalia majora, sive majestatis jura, qua talia, possidet, civili in alium imperio pollet. Subditus igitur qui est, non simul, qua talis, civilis imperii particeps esse, neque majestatis jura possidere poterit; cum nemo sibi ipsi imperare valeat, atque, eodem respectu, imperantem simul & subditum esse implicet. Idem etiam hac ratione elucescit. Regalia majora, sive jura majestatis, qui possidet, eo ipso summi magistratus & imperantis personam gerit (§. CII.). Quatenus igitur majestaticis juribus instructus est, eatenus per rerum naturam subditi personam gerere nequit, & vicissim. Unde subditum, qua talem, jurium summi imperii prorsus incapacem esse, in propatulo est (§. XXVI.).

SCHOLION. **Studio dixi, subditum horum jurium, qua talium, incapacem esse; namque subordinate & tanquam jura eximia dependenter a summa potestate eadem a subdito haberi, minime implicat.** Vid. ZIEGLER ***J. Majest. Lib. I. Cap. II. §. 18.***

§. CXII. Quoniam itaque subditus, qua talis, intrinseca, regalia majora possidendi, incapacitate laborat (§. CXI.): nunquam ejus possessionem pro manutenibili haberi posse, facile colligitur (§§. LV. LVI. & sequ.).

§. CXIII. Nec minus inde consit, nunquam hoc casu judicio aut petitorio, aut possessorio subditum experiri posse, intrinseca ipsi incapacitate, & defectu tituli semper obstante. Jure igitur & ex officio eandem Princeps avocat, atque nulla prævia causæ cognitione, spuria & malæ fidei (§. XXI.) subditum possessione dejicit (LXVII.).

§. CXIV. Pari ratione, nullam hoc casu subdito suffragari præscriptionem, ex demonstratis supra (§. LXXV.) satis elucescit. Quin, cum jura majestatica subdito, qua tali, ne concedi quidem ulla ratione valeant (§. CXI.): ne quidem in immemoriali possessione (§ LXXXVI.) subsidium aliquod quærere poterit; &, etiamsi per mille annos regale maj. exercuerit, nec tamen subditi unquam personam exuerit, jure de possessione, quæ toto illo intervallo nonnisi spuria, aut putativa fuisse potuit, dejicitur (§ LXXXIV.).

§. CXV. Porro, quoniam criminis læsæ majestatis, vel superioritatis, reum se facit, qui contra Principem & rempublicam dolo aliquid malo machinatur (a); in summam autem reipublicæ potestatem vel maxime committat subditos, qui vafre & dolo malo jura summi imperii usurpat: a læsæ majestatis vel superioritatis, crimine absolvi eundem non posse evidens est.

SCHOLION. Hinc est, quod LL. civiles pœnas acerrimas in Majestatis violatores, & jurium suprematus usurpatores statuerint. Qui privatus pro potestate quid sciens dolo malo gesserit, lege Julia Maj. tenetur *L. 3. π. ad L. Jul. Majest. & tot. tit. Cod. de privatis carcer.* Qui vectigal novum instituit, incidit in pœnam legis Jul. de Ambit. *L. un. §. 3. π. ad L. Jul. de Ambit.* & legis Jul. de vi publica *L. 12. π. ad Leg. Jul. de vi publ.* Qui monetam clandestinis sceleribus exercet, capitis pœnam subit, *Tit. Cod. de falsa monet. Ordinat. criminal. Art. 111.* Qui regale jus armorum usurpant, ex lege majestatis puniuntur *L. 3. π. ad L. Jul. Majest.* item ex L. Julia de vi publ. *L. 1. 2. & 3. d. t.* Quin idem in reliquis summi imperii juribus obtineat, dubium non est.

(a) *L. 1. §. 1. π. ad L. Jul. Majest. §. 3. Inst. de Jud. publ.*

§. CXVI. Quod si vero subditus non qua talis, sed qua co-imperans, & status reipublicæ, participans de summo

mo regimine, aut plane ut independens a ſumma reipubl. poteſtate, jura ſummi imperii exerceat, tum diſtinguendum, an bona, an mala fide doloque eorundem quaſi poſſeſſionem nactus fuerit. Poſteriori caſu idem, quod §. praecedenti de uſurpatoribus jurium majeſtatis diximus, obtinebit, & dejiciendus non ſolum (§. LXVI), ſed promeritis inſuper pœnis regalium invaſor afficiendus erit. In caſu priori diſpiciendum rurſus, utrum regalium horum poſſeſſor, ſummi magiſtratus, aut ejus, cujus intereſt, conſenſu in conſortium imperii venerit, bonaque venia exemtionem a civili nexu meruerit, aut ſaltem, an in immemoriali iſtius conſortii, vel independentiæ poſſeſſione conſtitutus eſſe deprehendatur; an vero omnia ſecus ſe ſe habeant. Si primum, manutenendum eſſe poſſeſſorem res ipſa loquitur, & ex ſupra demonſtratis (§. LXXXVI) affatim intelligitur. Non enim jam poſſeſſor qua ſubditus, ſed quaco imperans, & imperii conſors, aut qua independens prorſus, & peculiaris reipublicæ caput jura majeſtatica tenet, atque exercet. Poſſe autem, qui fuit ante ſubditus pacto ſummi imperantis expreſſo, aut tacito, quod ex temporis immemorialis lapſu colligitur (§. eod.), in civilis imperii conſortium adſciri, & eatenus e ſubditorum claſſe eximi, quin plane independentem ipſi in civitate, aut provincia ſua poteſtatem concedi, ut ſic a civitatis veteris nexu penitus liber, ſuique juris evadat, quis dubitet? Aliud vero dicendum, ſi nullam, nec conceſſionem, nec immemorialis temporis lapſum allegare, atque probare potis ſit. In his ſiquidem juribus vel maxime obtinere debent, quæ de jurium ad Principem & rempublicam ſpectantium, ſine expreſſa Principis conceſſione aut immemorialis temporis lapſu vitioſa poſſeſſione demonſtrata dedimus (§§. LXXXI. ſequ.).

SCHOLION. Per expreſſas ejusmodi conventiones, & immemoriales poſſeſſiones, quæ teſte HUGONE GROT. *de J. B. & P. Lib.*

P. Lib. II. C. IV. §. 2. *sequ.* fere inter gentes præscriptionum, seu potius acquisitionum tacitarum terminum constituunt, regiminum formas immutari quotidie, novasque respublicas exurgere, experientia docet. Conferatur omnino UL. HUBER. *de J. Civit. Lib. I. Sect. III. Cap. VIII* ubi *n. 4.* multisque sequentibus, qua ratione summæ potestatis jura in alios transferri vel non transferri valeant, exponit: *Quod igitur* (ait) *jura Majestatis alienari, & cum aliis communicari non posse diximus, eo non pertinet, ut Regem vel Optimates alios in partem imperii accipere posse negemus, sed quod Rex & summa potestas, quæ talis manens, illa jura cum aliis communicare vel alienare non posse intelligitur &c.*

§. CXVII. Enimvero, quando supra (§. CXI.) subditum, qua talem, jurium majestaticorum, sive regalium majorum incapacem esse demonstratum dedimus, id non obstat, quo minus salva subditi qualitate subordinate, & dependenter a summa potestate regalia, etiam majora, propria habeantur. Etenim, si Princeps, virtute majestatici sui officii, in provinciis, urbibus, & pagis temporarios magistratus constituit, qui, quod ipse in persona nequit, suo nomine peragant, & vicaria opera in concreditis sibi partibus rempublicam administrent, quid prohibet, quo minus subordinata hæc administrandi jura, consequenter jurium majestaticorum exercitia, in unum, alterumve subditorum, aut etiam in certas familias jure perpetuo transferat, quin, cum certis etiam reipublicæ districtibus, & prædiis ita conjungat, ut tanquam jura realia ad quoslibet possessores transeant? Unum sane peræque, ac alterum fieri poterit: an autem perinde expediat, ea discussio huc jam non pertinet. Quod si vero posterius præplacuerit, tum subditus, qui jure proprio, subordinate tamen & dependenter in ipsum translato, supremæ potestatis aliquam partem in prædio suo exercet, summo propterea imperio neutiquam exemtus esse censeri debet. Summæ potestatis inspectioni semper

bono-

Digitized by Google

obnoxius manet, ita ut si concesso sibi jure male utatur, nec exercitium ejusdem ad publici boni rationes exigat, abusum istum Princeps ex officio corrigat, factamque concessionem pro circumstantiis etiam revocet. Quapropter subditum perpetuum quidem, & ad heredes transitorium, aut prædio etiam connexum, a Principe tamen dependens jus, nomine supremæ potestatis, & subordinate in certo reipublicæ districtu officio quodam majestatico defungendi, utilitatesque inde provenientes in suos usus convertendi, habere, nec concessionem ejusmodi absurdi quidpiam involvere, evidens est.

SCHOLION Conferuntur hac ratione variæ jurisdictionum species, jus statuta condendi, jus politiam ordinandi, jura collectandi, & alia plura, quæ regulariter summo Principi propria sunt, & non nisi per magistratus temporarios administrantur, quorum tamen concessiones suprematus jura, *les droits de la Souveraineté*, intaminata relinquunt. In Germania, Gallia, Italia, & plerisque Europæ regnis subordinata, & dependentia a suprema potestate regalium majorum exercitia jure perpetuo in subditos & Landsassios translata, aut prædiis annexa frequentissima sunt, ut exemplis dicta illustrare plane supervacuum sit.

§. CXVIII. Regalia jura alia non sunt, nisi quæ summæ potestati cohærent (§. CII. Schol.), & vel ex ipsa summi imperii essentia fluunt, atque *regalia majora* vocantur (§. ibid.); ad quam classem quoque jura summæ potestatis utilia, velut sequelæ, pertinent (§. CVI. Schol.); vel ex libera Principis & reipublicæ voluntate constituuntur (§. eod.), & tanquam decora, atque utilia summæ potestatis compendia sub regalium minorum nomine Principi adjiciuntur. Quare, cum subditus summa potestate præditus haud sit (§. CXI.): summæ potestatis jura subordinate solum & dependenter in ipsum collata regalium

Digitized by Google

nomen non mereri, facile constat. Id quod majestatici hæc jura habent, illud omne fere penes Principem & rempublicam permanet (§. CXVI.). Quidquid ea splendoris, & eximii subdito seu landsassio possessori conciliant, id omne a nobilitate objecti, & quod a summa potestate penitus divelli nescia, ad eandem se se necessario referant, provenit.

SCHOLION. Interim tamen hæc ipsa objecti nobilitas & dependentia illa necessaria a summo imperio effecit, ut & in subdito subordinata hæc majestatis jura regalium nomine salutarentur. Ut proin tria, aut potius quatuor regalium genera nanciscamur, quæ probe secernere debent ii, qui confusiones in hac materia devitare volunt. Ad *primam classem* pertinent regalia majora (§. CII.), seu jura summi imperii. Ad *secundam classem* referimus jura percipiendi utilitates, quæ exercitium ipsum *jurium* majestaticorum, seu regalium majorum consequuntur (§. CVI. Schol.). Ad *tertiam classem* spectant regalia proprie, sive in specie ita dicta minora (§. CVI.). Jura denique summæ potestati subordinata, proprio tamen & perpetuo jure a subditis seu landsassiis possessa, *quarta* sibi *classis* vendicat.

§. CXIX. Id tamen adhuc monere consultum duximus, quod, quando jura summæ potestatis omnia, *tam majora* (§. CI. seq.), quam minora (§. CVI.), in subditum nobilioris ordinis jure perpetuo conferuntur, ita ut in vasto & amplo satis, quem proprio jure tenet, districtu illimitata pene summi imperii jura exerceat, nec administratoris amplius, sed proprio potius jure imperantis persona defungatur, subordinata, quæ possidet, summi imperii jura regalium tum nomine per excellentiam, & in proprio velut significatu (§. CII. Schol.) dignanda veniant; quippe, in quibus ea exercentur, territoria & provinciæ novarum jam rerumpublicarum, vinculo quodam dependentiæ cum superiori republica connexarum faciem induunt.

SCHO-

SCHOLION. Quæ paucis hic innuimus, ad penitius eruendam jurium statibus Imperii competentium & territoriorum indolem viam nobis sternunt; sed nos brevitatis, & angustiarum temporis memores frænum continemus. Id saltem advertisse juvat, quod hanc ipsam ob causam, quod statuum Imp. sublimis potestas per varia temporum intervalla ex tenuibus admodum initiis paulatim, & per modum alluvionis succrescens, ad hoc tandem summitatis fastigium evecta, legibusque fundamentalibus roborata majestati vere analoga effecta fuerit, quæ apud populos & civitates prorsus independentes jura majestatis, item regalia majora dicuntur, apud status Imperii jurium territorialium nomine efferantur. Id quod vel ideo observari interest, ut, quando de statibus Imperii sermo est, respectu ad subditos & Landsassios suos habito, omnia, quæ in rebuspublicis aliis, juris esse reputentur. Habent siquidem status imperii regalia majora in sensu quasi proprio; nec minus provenientes inde utilitates jure sibi vindicant, atque regalia minora vigore competentis sibi superioritatis in suam, & territoriorum utilitatem pro lubitu ordinant, atque constituunt (§§. CIV. CV. & CVI.)

§. CXX. Jura summi imperii atque superioritatis sarta Principi, illibataque servari, vel maxime refert: sane ut propter exemtionum pericula, & rationes alias quam plurimas ne subordinatum quidem eorundem exercitium subditis, ac landsassiis jure perpetuo, & proprium quasi relinquendum sit. Licet enim supremum Principis jus semper in salvo maneat (§. CXVII.): multis tamen modis per dependentes ejusmodi regalium majorum concessiones abusibus ansa datur, atque reipublicæ utilitates suæ nimium quantum subtrahuntur. Alienationes itaque, aut translationes ejusmodi in subditos factæ, nequaquam præsumendæ, multo minus jurium majestaticorum exercitium pro re, a Principe pro derelicta habita, censeri poterit (§. LXIX.). Sed nec negligentia Principi imputari poterit, si fine expressa sua voluntate landsassius, aut subditus juris regalis majoris, seu majestatici exercitium tanquam proprium, dependen-

ter licet a superiori, his casibus sibi asseruerit; cum si negligentia aliqua ministrorum Principi noceret, hic brevi tempore omni fere se exercitio, & superioritatis territorialis fructibus exutum videret (§. LXXII. sequ.). Quid? quod nulla hic dominiorum incertitudo timenda, quæ non malam subditi fidem saperet, utpote quem præstita superiori fides, & obedientia Principi debita, ut a talibus iuribus manum abstineat, commonet (§. LXIX. & LXX.). Quare eliminatis, quæ tanquam præscriptionis causæ allegari poterant, fundamentis omnibus, a modis acquirendi jura majestatis, seu superioritatis subordinata, omnem merito, proprie ita dictam, præscriptionem proscribimus (LXXV.).

SCHOLION. Idem quoque de præscriptione, quatenus *Juris gentium* est, obtinere debet (§. LXXVI.); nisi forte cum immemorialis temporis possessione coincidat (§. CXVI. Schol.): quo casu, quid juris sit, supra (§. LXXXVI.) docuimus.

§. CXXI. Prono inde alveo consequitur, & per modum corollarii infertur, quod nulla jurisdictionis species, nec merum, nec mixtum imperium, nec jus leges *ferendi*, aut statuta condendi, jus habendi atque ordinandi *varia* judiciorum genera, nullum genus collectandi, vectigalia, aut tributa exigendi, & ex adverso nulla immunitas, nullaque exemtio, qua juris cujusdam majestatici aut territorialis exercitium imminuitur, atque infringitur, a subdito, seu landsassio, præscriptionis via acquiri valeat. (§. CXX.).

SCHOLION. Quoniam præscriptionem immemorialem eo, quo supra (§. LXXXIII. sequ.) explanavimus modo, in effectu admittimus (§. LXXXVI.), id saltem nominis improprie eidem tribui statuentes (§. LXXXIX.): omnes omnino DD., qui non nisi immemoriali præscriptioni locum hic faciunt, nobis adstipulantes habemus. Horum autem catalogum quis pertexeret? Tu vide sis CHRISTOPH. HEROLD. *Observat. forens. obs.* 2.

in

in FRITSCHII *Corp. Juris Venatario-forest.* item Auctorem. Der gründlichen Bewährung deß/ der Königl. Majest. von Groß-Brittanien reliqu. in dem Herzogthum Lüneburg zustehenden/ Jagd-Regals *Cap. VI.* §. 2. Ubi celeberrimorum JCtorum, & facultatum juridicarum, quotquot fere Germania habet, calculo nostram hanc sententiam comprobatam offendes. Nec diversum sentire possunt, nisi qui majestatis & superioritatis jura vilipendentes, cum rebus, in commercio privatorum existentibus, eadem confundunt. Non sumus (ait D. LAUTENSACK in Dissert. *de inepta ratione decidendi controversias juris publici ex legibus Romanis & Jure Can.* §. XLIX.) hodie tam superstitiosi amplius, ut magis, quid DD. opinentur, quam quid veritati congruat, spectemus.

§. CXXII. Porro, eadem ratione, qua supra (§. LXXV.), profligata e classe titulorum & modorum, jura Principis & reipublicæ acquirendi, præscriptione, solam, qua impetrentur, Principis concessionem superesse demonstravimus (LXXXVIII.): neque subordinata hæc, & a summa potestate necessario profluentia jura (§. CXVII.), alia, quam concessionis a Principe factæ, via impetrari, atque propria haberi posse, liquido patescit.

SCHOLION. Quæ de concessione non facile præsumenda supra (§. LXXXII.) demonstrata dedimus, huc quoque trahenda erunt; cum omnium minime Princeps liberalis fuisse censeri debeat in alienationibus jurium, quæ si suprematum atque superioritatem non tollunt (§. CXVII.), exercitium tamen, & officium ejus majestaticum miris modis impediunt, & communis salutis procurationem non una ratione difficilem reddunt. Unde in dubio semper contra concessiones jurisdictionum, aliorumque jurium, quorum saltem exercitium jure perpetuo in landsassios transferri valet, pronunciandum erit (§. eod. Schol. ibique allegati).

§. CXXIII. Princeps in avocandis a subdito seu landsassio juribus, ex sua natura, vel ex lege, ad rempublicam spectantibus, semper petitorio claro & liquido (§. LX. & LXI.),

subditus autem, ea retinere volens, in petitorio, vel in possessorio mixto, nunquam mero (§. LXIII.) versatur, ac proin titulum docere necesse habet (§. LXIV.), quo non probato possessio ipsius nulla est (§. LXV.), eaque subditum nil relevat (§. LXVI.). Quapropter, cum jura hæc eximia atque summæ potestatis exercitia, cum consequentibus eadem emolumentis, vel maxime Principi & reipublicæ propria sint (§. CII. & CXVII.): nec in his aliud juris esse apparet. Frustra subditus in hac regalium jurium (§. CXVIII. Schol.), specie ad possessorium provocat; frustra absque probatione tituli manuteneri se posse credit; frustra in alio acquirendi titulo, quam in Principis concessione refugium quærit: ut proin hanc docere nescium possessio parum relevare queat (§. LXVI.).

SCHOLION. Trahendæ huc auctoritates JCtorum, quos supra (§. LXIV. & sequ.) allegavimus. Ceterum applicationem hujus propositionis in praxi esse fœcundissimam, nemo non videt: sed nec difficilis ejus usus est, cum, quæ Principis jura ex essentia & natura supereminentis, quæ penes ipsum est, potestatis fluant, pervidere facile liceat.

§. CXXIV. Cum tamen in rebus ac juribus, in regula, & ex commui civitatis lege, ad Principem & rempublicam pertinentibus, nisi subditus earundem plane incapax (§. LXXXIV.), aut lege aliud provisum sit (§. LXXXV.), immemorialis temporis possessio concessionis loco sit (§. LXXXVI.), eaque, probata subditus jure manuteneatur (§. XC. seq.): subditum quoque, seu landsassium, qui per tempus immemoriale in quieta & non interrupta subordinati ejusmodi regalis juris possessione se fuisse probat, manutenendum esse dubio caret.

SCHOLION. Quid circa probationem possessionis immemorialis subdito observandum sit, quaque ratione Princeps memoriam non

non per testes solum, sed & documenta, & acta publica jure revocet, iisdem locis (§. XC. XCI. & XCIII. seq.) affatim a nobis explanatum fuit: ut proin, quando & qua ratione subditus, seu landsassius, in possessione jurisdictionis, juris collectandi, juris statuta & leges condendi, aut alterius eminentiorum horum jurium, quorum exercitium in regula ad Principem pertinet, possessione defendi, quidque hunc in finem probare debeat, liquide patescat, nec singulas jurium horum, supremæ Principis potestati subordinatorum, species percurrere necesse sit. Sed neque id inculcare opus est, quod, quæ hactenus de juribus his, ad quartam regalium classem (§. CXVIII. Schol.) spectantibus demonstrata fuere, easdem plane ob causas ad regalia secundæ classis (§. eod. Schol.), sive utilitates, quæ regalium majorum ceu fructus & sequela sunt, si subditus in eorundem possessione manuteneri cupiat, applicanda, nec aliis ex fontibus circa hæc exortæ controversiæ definiendæ sint. De regalibus igitur minoribus, seu tertiæ classis (§. eod.), quid obtineat, ut inquiramus, superest.

§. CXXV. Rationes regalium minorum, in republica constituendorum, in eo sitæ sunt, ut proventibus certis fixisque respublica & Princeps instructus sit (§. CIV.), nec non, ut major summæ ejusdem potestati decor & splendor concilietur (§. CV.). Sine proventibus ac reditibus rempublicam subsistere posse, aut summæ potestatis splendorem non modis omnibus augendum esse, quis dixerit? Media igitur sunt, eaque necessaria, queis sine nec explicari summæ potestatis jura, nec eorundem decor integer subsistere valet.

SCHOLION. Recte proin de hisce juribus scribit D. ab EINSIEDEL in tract. *de Regal. Cap. I. n.* 29. verbis: *Reliqua regalia ad majestatem etiam quidem, sed alio spectant modo: nimirum non essentiam, sed existentiam tantum ejus concernunt, ac, ut illa finem hunc assequi melius possit, media prabent faciliora, eidemque in genere, vel juribus ejus essentialibus inserviunt.* Confer. quoque D. AUGUST. GOTTL. PETERMANN. *Diss. de Valore* pos-

possessorii summariissimi contra Principem &c. §. 4. & §. 11. item auctor deductionis supra (*§.* CXXI. Schol.) allegatæ *Cap. III.* §. 19. cum ibi citatis.

§. CXXVI. Princeps igitur, seu penes quem τὸ Κῦρος in republica residet, plena in constituendis regalibus potestate gaudet (§. CX.); præsertim si, quæ actu jam in proprietatem privatorum concesserunt, subditis illibata relinquat, nec fundorum dominos iis, quæ pleno ipsis jure quæsita sunt, exuat; nec populi aut procerum consensu opus habet, nisi fundamentalis civitatis lex aliud præseferat. Eodem sane jure, quo leges condit, quo magistratus ordinat, quo fœdera, quo pacem sancit, eadem quoque potestate regalia sibi & reipublicæ jura constituit; perinde siquidem ut sine magistratibus & legibus, sic absque regalibus respublica consistere nequit (§. CXXV.).

SCHOLION. Hæc minus dubia videbuntur, si modo perpendimus, in republica vix dari res nullius, sed omnia aut singulorum esse, aut Principis & reipublicæ, ita ut, quæ in privatorum dominio non sunt, Principi propria esse censenda sint, juxta HUGONIS GROTII *de J. Belli & Pacis Lib. II. Cap. II. §. 4. & Cap. III. §. 5. & 19. junct. Cap. VIII. §. 9.* PUFFENDORFFII *Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. C. VI. §. 4. & C. VII. §. 12.* BOEHMERI *Jur. Publ. Univers. Part. Spec. Lib. II. Cap. X. §. 567.* & GRIBNERI in Differt. *de Præjudiciis Princip. Imperii ex abusu juris Justinianei Cap. III. §. 4. lit. b.*, aliorumque veriorem juris publ. philosophiam. Si Imperatores Romani in asserendis sibi rebus, extra dominium & commercium quasi privatorum constitutis, minus providi, aut, si mavis, benigniores fuere, id Principibus aliis, & in specie territoriorum dominis ne hilum derogat. Aliud etenim Teutonicis nationibus placuit, qui, cum Principibus ac Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possent, cujusmodi sunt res omnes, quæ in dominium nullius pervenerunt. *Unde* (ut laudati modo GRIBNERI *cit. l.* verbis

bis utar) *non minus jure Romano abutuntur, qui nihil asseri Principibus posse existimant, quod non sibi olim vindicaverit Justinianus, qui eam ob causam jus Principum circa adespota, res communes, nullius, vocant in dubium.* Item §. 6. *Si Justinianus, si alii Romanorum Impp. aliquid de jure suo remiserunt, & se potestate sua uti nolle declararunt, id Principibus nostris fraudi esse non potest &c.* Confer. AUCTOR *Deduct.* sæpius alleg. (§. CXXI.) *Cap. III.* §. 19. *p.* 133. Item THOMAS. *Differt. de Regal. fisci Principum Cap. I.* §. 4. & 8. ubi adversariorum sententiam late refellit. De Germania speciatim id erudite & docte, pro more suo, ostendit celeberr. D. REINHARTH *in Differt. de rebus in Dominio publico existentibus* §. 11.

§. CXXVII. Ex dictis, demonstratisque jam facile concipimus, quod, quando Princeps actu hanc suam in constituendis regalibus potestatem exercens res quasdam, atque jura, expressa, vel tacita civitatis lege, privative sibi ac reipublicæ asseruit, tum subditi ab eorundem proprietate, possessione, usu, atque exercitio jure excluduntur. Enimvero a quibus rebus subditi publica & fundamentali civitatis lege excluduntur, in iisdem *juris communis & legum publicarum resistentiam pati eos dicimus.* In juribus itaque, quæ sive expressa sive tacita Principis voluntate in classem regalium minorum relata fuere, subditos non minus, quam in regalibus majoribus, juris resistentiam pati evidens est.

SCHOLION. Hoc ipso, quod subditi a regalibus minoribus excluduntur, leges quoque & jura possessionem eorundem in subdito improbant, ac proin hæc ipsa juris quoque resistentiam patitur (§. LVII.); qui terminus in jure incognitus haud est. Tu vide sis allegatum (§. cit.) juris canonici textum; item quos §. LXIV. in Scholio nominavimus DDres.

§. CXXVIII. Sanctum cum dicamus & inviolabile, quidquid sine atrocioris criminis nota lædi nequit, seu quod peculiari quadam ratione adversus hominum injurias muni-

Digitized by Google

tum est: majestatem, atque summam Principis potestatem sanctam & inviolabilem nemo non enunciaturus est; utpote in quam, quæ committuntur, crimina omnium atrocissima habentur (a). At vero supremæ Principis potestatis partes, adventitias licet (§. CVIII.), regalia quoque minora constituunt (§§. CVII. & CXXV.). Quare & hæc sancta, atque inviolabilia esse apparet.

SCHOLION. Regalia quippe majora, sive majestatis jura, essentiali quadam & intrinseca sanctitate atque inviolabilitate præfulgent, quam publicæ civitatis leges & Principis voluntas regalibus minoribus, eo ipso, dum partes easdem supremæ potestatis efficit, conciliat. Reipublicæ scilicet, & essentialium summi imperii jurium nervus sunt (§. CVI.); quo sine totam civilem compagem flacescere necesse est.

(a) *L.* 1. *π. ad L. Jul. Majest.* ZIEGLER *de Jur. Majest. Lib. I. Cap. II.* §. 2.

§. CXXIX. Subditus, dolo malo usurpans regalia majora, in crimen læsæ majestatis vel superioritatis incidit (§. CXV.). Enimvero regalium minorum, postquam lege civitatis publica ad jura Principis & reipub. relata fuere, eadem est ratio. Sancta igitur sunt & inviolabilia (§. CXXVIII.), atque in iisdem ipsa simul essentialia summi imperii jura læduntur (§§. CIV. CV. & CVI.). Quapropter regalium quoque minorum dolosos usurpatores læsæ majestatis, seu superioritatis, criminis reos se se facere in aprico est.

SCHOLION. Siquis e. g. metalli fodinarum, salinarum, aut venandi jura, publica civitatis lege & communi observantia ad utilitates Principis & reipublicæ translata, dolose exerceat, eaque sibi afferere nefarie præsumat, hunc a læsæ majestatis, sive superioritatis, pœna immunem pronunciare, quis nisi ipse boni publici osor ausit? recte judicante ZIEGLERO *de Jur. Majest. Lib. II. C. XVII.* §. 37. Quod, si quis privatus usurpare talia velit,

velit, quæ regalia attingunt, cavere ſibi debeat, ne in graviſſimum læſæ majeſtatis crimen incidat per *L. 3. π. ad Leg. Jul. majeſt.* quod evitare vix poterit, niſi conſentientem ſibi quodammodo habeat Principem. Illuſtr. D. ab EYBEN *de Jure venandi §. XVI. n.* 4. cum ibi allegatis, ipſe licet quoad jus venandi contrarium ſentiens.

§. CXXX. Atque inde eluceſcit, quam ſollicite curare debeant ſubditi & landſaſſii, ne in ſacra hæc Principum jura involent, aut temerarias regalibus manus admoveant. Nativa certe, ipſique ſocietati civili coæva obligatio ad finem communem, ſalutem ſcilicet publicam, pro viribus concurrendi, eaque omnia grata, rataque habendi, quæ a ſumā poteſtate conſtituta, atque ordinata fuerint, hoc ipſis officium inſinuat. Accedit, quod regalium conſtitutio ipſa ex ſummo imperio profluat (§. CXXVI.), propterea que ſancta, & inviolabilia a ſubditis merito habenda ſint; ac proin, ſi non pœnarum metus (§. CXXIX.), internum ſaltem conſcientiæ dictamen & defæcatior civilis ratio jurium, ad Principem & rempublicam ſpectantium, detentores non ſolum, ut ab omni uſurpatione abſtineant, ſed &, ut illegitime acquiſita ocyus demittant, impellere debebat. Aliter qui ſentiunt, ii perpendant velim, quod ſicut privatorum fundos & prædia citra atrox uſurpationis & contrectationis crimen invadere nemini licet, ita a potiori, qui regalia Principis & reipublicæ jura temerarie ſibi arrogant, rerum, ad ſe non pertinentium, improbi uſurpatores audiant.

§. CXXXI. Quin, cum cuique res ſuas a quocunque poſſeſſore avocandi vindicandique jus competat, id peculiari quadam ratione in officiis Principis poſitum eſt, ut ſua & reipublicæ jura intaminata ſervet, &, quæ nulla legitima via ad privatos pervenerunt (§. LXXV.), ſine mora inde avocet. Subditos in tranquilla bonorum ſuorum poſ-

sessione cum sumtibus haud modicis Princeps defendit. Ecquis igitur, ut suum quoque reipublicæ vindicet, asseratque, ægre feret? præsertim, si res illæ, atque jura rectæ administrationi justitiæ tanquam media inserviant (§. CIV.), ac sine iisdem non possit non emarcidus, inermis ac debilis reipublicæ status evadere. An non summa ea stoliditas est, id invidere Principi, quod probi omnes volunt, ambiuntque: suum ut cuique tribuatur?

SCHOLION. Nova ratione hoc Principis officium inde propalescit, quod pleraque regalia minora ad domanium reipublicæ spectent; teste CHOPINO *de Domanio Gallico Lib. I. tit. II. §. 3.* BRUCKNERO *de Domanio Regni Germ. Cap. VI. §. 10. sequ.* Seckendorff im Teutschen Fürsten-Staat *P. III. C. I. §. 4. p. 365.* Enimvero, domanium reipublicæ ut integrum *servet*, atque collapsum restituat, vel maxime Principi incumbere, & finis, & ratio constitutorum domaniorum innuit.

§. CXXXII. Regalia minora, qua specifice determinata (§. CVI.), cum summo civili imperio essentialiter non cohærent, sed ex libera Principis & reipublicæ *voluntate* demum adjiciuntur (*§.* eod.). Quo minus igitur *in manibus* privatorum sint, & a subditis possideantur, nil obstat.

SCHOLION. Idque experientia satis comprobat; quin in multis regionibus jura, quæ in aliis regalia sunt, adeo libera cuique relinquuntur, ut ne ad eximia quidem reipublicæ, aut privatorum jura referantur. Ceterum, quæ supra (§. CXVIII.) demonstravimus, quod scilicet regalia majora subordinate, & dependenter in subditos aut landsassios translata stricte loquendo, quatenus penes subditum sunt, ne regalium quidem nomen mereantur, ea a fortiori ad regalia hæcce minora applicanda erunt; & si aliud usus servat, ejus ratio haud dubie inde repetenda, quod in rebuspublicis, ubi jura hæcce regalia ex lege ad Principem & rempublicam pertinent, subditis nonnisi subordinate & dependenter, perinde ut jura majestatis superiora (§. CXVII.), eadem concedi soleant, consequenter propter dependentiam, & ne-

cessariam relationem ad superiorem, in subdito etiam & landsassio regalium nomine dignentur; in favorem potius, & ad manifestanda Principis jura, quam in subditi, aut landsassii prærogativam aliquam.

§. CXXXIII. Modos acquirendi regalia minora quod attinet, primo quidem, ex iisdem plane, quibus supra (§. LXIX. seq. item §. CXX.) usi fuimus, fundamentis, præscriptionem arcessimus; utpote, quæ cum constanti & perpetua subditorum, regalia Principi suo relinquendi, ac dimittendi obligatione (§. CXXX.), cum regalium necessitate (§. CIV.), sanctitate & inviolabilitate (§. CXXVIII.), cum Principis continua possessionis, legitime non impetratæ, interruptione (§. CXXXI.), & necessario inde secutura possessorum mala fide (§. LXX.) neutiquam consistit.

SCHOLION. Hæc sententia, ut æquissima est, ita post excultam magis juris publici universalis doctrinam præstantissimos JCtos patronos nacta est. Quos inter PAURMEIST. *Tr. de Jurisdict. Lib. I. Cap. XXIII. n. 28.* SUTHOLT. *Disput. VI. thes. 13.* THOMASIUM in *Dissert. de Præscript. Regal. ad Jura subditorum non pertinente Cap. III. §. 3.* a LUDEWIG in *Opusc. miscell. Lib. I. Opusc. VII. §. 29. 30.* BEIERUM *in specimine Jur. Germ. Lib. II. Cap. II. §. 38. sequ.* HORNIUM *in Architect. de civit. Cap. IX. §. 19.* D. HEINECCIUM *in Elem. jur. civil. ad π. tit. de usurpat. & usucap. §. 225.* D. FLEISCHERUM *in instit. juris Feudal. Cap. IX. §. 50.* nominasse sufficiat; qui cum eandem quoque suam sententiam ad præscriptionem immemorialem extendant, multo magis de præscriptione, proprie ita dicta, intelligendi erunt. Civilia de præscriptionibus jura huc trahentium opinionem inter abusus juris Justinianei recte refert celeberr. GRIBNERUS in *Dissert. de præjudiciis Principum imperii ex abusu juris justinianei Cap. III. §. 6. lit. c.* non iniquum esse pronuntians, ut Principes in his alio, quam inter privatos statutum est, jure utantur.

§. CXXXIV. Perinde igitur, ut de regalibus majoribus evicimus (§. CXXII.), sola, qua regalia minora impetrentur, Principis concessio superest. Hæc possessionis legitimæ & justæ titulum, & rationem sufficientem continet (§§. LXXIX. & cit.). Hoc ipso enim, quod jura quædam publica civitatis lege, vel tacita etiam observantia in Principis ac reipubl. proprietatem privative & exclusive transscripta, atque in numerum regalium relata fuerint, per rerum naturam modi, quibus inde avellantur, alii, quam præscriptio, & concessio Principis atque reipublicæ concipi nequeunt. Quare demonstrato, quod præscriptio in acquirendis a Principe regalibus locum non inveniat (§. LXXV. sequ. & §. CXX.), quid, nisi beneficium, & concessio Principis restat? Omnem aliam subditis & landsassiis viam publicæ, atque fundamentales reipublicæ, nec non territoriorum leges præcludunt.

SCHOLION. Atque inde patet, quanti momenti sit, ut de veritate propositionis, qua præscriptionem adversus Principem in regalibus nullam obtinere demonstramus, plene convicti simus. Qui nullis privatis commodis ducti, nec, nescio qua vesana opinione fascinati, in juribus hisce eximiis æquali pene cum privatis Principem linea collocantes, ex genuinis principiis, & legum publicarum fontibus, controversias circa regalia, Principem inter & subditum dijudicant (§. CXVII.), veritatem ejusdem facile capient. Confer, quos §. præced. in Schol. nominavimus, idem nobiscum sentientes JCtos, aliaque, quæ in antecedentibus passim adduximus, DDrum testimonia.

§. CXXXV. Sed nec, si Princeps aut respublica vigore competentis sibi circa leges ferendas supremæ potestatis, publici boni causa, & ad præcludendas clandestinas in regalia sua jura invasiones, atque usurpationes, omnem possessionem, expressa Principis concessione destitutam, ne imme-

immemoriali quidem exclusa, prorsus enervarit, adeo, ut, qui concessionem a Principe factam docere nequit, regalium possessionem sibi dimittendam esse scire debeat (§. LXXXV.), immemorialis tum possessio subditum aut landsassium quidpiam relevabit (§. eod.), frustraque hoc casu subditus alio, quam concessionis expressæ, medio regalia possidendi incapax redditus, in temporis, memoriam defugientis, lapsu subsidium quæret.

SCHOLION. Quod autem Princeps possessionis etiam immemorialis, titulo alio destitutæ, effectum pro circumstantiis tollere jure valeat, jam supra innuimus (§. LXXXVI. in Schol.). In regalibus certe juribus nihil talis prohibitio iniquitatis sapit, modo non ad præteritas quoque temporis immemorialis possessiones trahatur. MENCKEN. in *Dissert. de Præscript. immemor. per documenta elid.* §. 14. BURSAT. *consf. XXIII. n. 23.* LYNCKER *Tom. I. Resp. II. n. 140.* & multis sequentibus, ubi hanc sententiam prolixe defendit, atque DDrum auctorit. firmat. Sed si nondum finita, vel ne quidem cœpta, sed post legem istam inchoata, aut completa, h. e. immemorialis facta fuerit: tunc irritam eam, nulliusque roboris pronuntiamus; nec ad demonstrandum possessionis vitium alia probatione, quam allegatione legis, opus erit.

§. CXXXVI. Aliud autem dicendum, si nulla ejusmodi lex irritans prostet, aliæque circumstantiæ (§. LXXXVI.) concurrant, ex quibus pro concessione, olim impetrata, præsumtio facienda sit. Hoc enim casu, & sub his circumstantiis memoriam excedens possessio pro concessione, pro privilegio atque exceptione a regula ut habeatur, æquitati consentaneum esse luculenter evicimus (§. eod.).

SCHOLION. Auctoritates JCtorum si desideras, allegatum supra (§. CXXXI. Schol.) HEROLDUM, nec non auctorem *de-*

ductio-

ductionis, ibidem citatæ, adi. Nos in veritate plana, cui intrinseca sua certitudo constat, nolumus esse diffusiores. Quæ §. CXXIV. in Schol. innuimus, & in antecedentibus (§§. LXXXVIII. & seq. usque ad §. C.) late probavimus, ad regalia quoque minora hic applicanda esse, per se liquet.

§. CXXXVII. Porro, quoniam jus commune, & fundamentales reipublicæ leges, ex prægnantibus, ut vidimus, publici boni rationibus regalia minora Principi, & reipublicæ privative addicunt (§. CVI. & CXXV.): jus, proprietatem, ac dominium, quod Principi in eadem competit, in regula semper planum, ac liquidum esse apparet; nec ad demonstrandum jus suum alia re opus habet, quam ut publicam, cives & subditos omnes stringentem legem, communemque observantiam producat. Hæc dum Principem atque rempublicam rei, aut juris cujusdam solum & privativum possessorem constituit, quis, obsecro! in regula, & nisi de exceptione a legislatore facta indubitato constet, præter Principem & rempublicam citra criminis notam alii idem asserere ausit (§§. CXXIX. & CXXX.)?

SCHOLION. Principes, & status imperii jura superioritatis territorialis atque regalia ab Imperatore & imperio feudali partim, partim allodiali jure recognoscere, ex publici juris doctrina notum est. Unde probaturi regalia sua, concessiones quoque Imperatorum, & investiturarum literas producere solent; licet, quæ in specie in quolibet territorio in hunc censum referenda sint, ex peculiaribus territoriorum legibus, & observantia cujusque loci ulterius discendum sit. Cum enim statibus imperii in territoriis suis, vigore competentis sibi supereminentis potestatis, nova quoque regalia constituendi facultas haud dubie competat (§. CX. & CXIX. in Schol.): mirum non est, si & hac parte non eadem ubique territoriorum facies esse deprehendatur. Confer omnino SAMUEL STRYCK in *Dissert. de necessitate edendi titulum possessionis. Cap. III. n. 17.*

§. CXXXVIII.

§. CXXXVIII. Neque illud obſcurum eſt, quod, cum regalia minora maximam partem in ſupremæ poteſtatis ſplendorem, & in reipublicæ Principisque emolumentum conſtituta eſſe dignoſcantur (§. CIV. ſequ. & CXXV.), rerum autem, & jurium, quæ tanquam publicæ ſalutis media Principi & reipublicæ privative propria adſcribuntur, alienationes & conceſſiones non facile ſuſcipere conveniat (§. LXXXII.), Princeps in conceſſionibus & translationibus regalium minorum, perinde ut majorum (§. CXXII. Schol.), parciſſimus ſemper fuiſſe præſumendus ſit: ſane ut in dubio pro integritate jurium Principis per univerſum territorium concluſio formanda potius, quam pro conceſſione pronuntiandum ſit; hæc ſiquidem facti eſt, & exceptio a regula, cui locus non datur, quam diu ſufficiens ad eandem inſtituendam ratio non proſtat. De exceptione igitur a regula, conceſſione intelligo, quando non liquet, regalia in regulari ſuo ſtatu, h. e. Principis propria, perſeveraſſe credendum eſt.

SCHOLION. Augent hanc præſumtionem circumſtantiæ ſœpe ſpeciales territorii & loci, v. c. quod alienationes peculiari imperii & territorii lege prohibitæ ſint: quod Princeps Epiſcopus, aut alia perſona eccleſiaſtica ſit: quod conceſſiones ejusmodi rarius fieri conſueverint, & quæ ſunt alia: ſicut ex adverſo rationes alias eandem hanc præſumtionem minuere non implicat, ad quas proin in caſibus particularibus attendendum.

§. CXXXIX. Recte inde colligimus, quod Princeps, ſeu in genere territorii dominus, ſubditi & landſaſſii, regale quoddam jus ſibi aſſerentis, poſſeſſionem, de qua, quo titulo eandem nactus fuerit, non conſtat, pro vitioſa (§. XXIII.), clandeſtina, & precaria eo usque jure optimo reputet, donec conceſſionem, aut æquivalentem ei tempo-

ris immemorialis lapsum plene docuerit: idque multo tum magis, si instituta a Principe, seu fisco ejusdem, diligenti status anterioris perquisitione, & inspectis concessionum antiquarum, atque investiturarum tabulis, de vitio possessionis, negligentia verosimiliter, aut conniventia officialium invasæ, conjecturæ augeantur, singulæ pro circumstantiis prudentis judicis, aut procuratoris fisci arbitrio ponderandæ. Est quippe hæc decantata quidem, sed verissima, tam JCtorum, quam philosophorum regula, quod, ubi ad mutationem non satis momenti est, contra hanc pronuntiandum sit (§. CXXXVIII.) (a). Unde, jure Principis in regula semper claro & manifesto (§. CXXXVII.), non potest non subditi in regalibus possessio in dubio *pro vitiosa*, Principis vero possidendi jus reale & intrinsecum (§. *XI.* sequ.) semper salvum & integrum existimari.

SCHOLION. Possessio nimirum subditi in *regalibus* juxta demonstrata (§. CXXVII.) fortissimam juris resistentiam patitur; vitium ejus publicæ civitatis leges, & jura communia propalam loquuntur, dum eandem in subdito improbant (*§. eod.*) & ad sacra Principis referunt (§. CVII. & CXXVIII.). *Sane*, cum regalia tam majora, quam minora ex lege communi ad Principem pertineant; nec alia, quam concessionis via a subdito impetrari valeant (*§§.* LXXVIII. & CXXXIV.): quis, præter Principem, de concessionibus a se factis melius informatus, aptiorque judex erit? Proin, si huic concessio nulla, aut dubia videatur; si ad petitionem non exhibeatur: citra ullam injustitiæ notam possidentem in vitiosa regalis sui juris possessione esse concludet, recta idem ratione propter jus Principis clarum (§. CXXXVII.), propter concessionum odium (*§.* LXXXII.), nec non regalium inviolabilitatem & sanctitatem (*§.* CXXVIII.) ita suadente. Hinc possessionem, cui leges & jura resistunt, pro legitima non habent, sed, nisi ostendatur titulus, *usurpatam* præsumunt, & injustam occupationem BRUNNEMANNUS ad *L.* 5. *π. de interrog. Act.* PEREGRIN. *de Jure fisci Lib. VII. tit.* 3.

tit. III. n. 21. JULIUS CAPON. *discept. forens. 47. n. 31. Tom. I.* aliique apud STRYCK. in *alleg. Differt. Cap. III. n. 3. & 8.*; ita ut stante juris resistentia, non consuetudo, non possessio, sed corruptela potius dicenda sit. ROVIT. *conf. 58.* POST. *de manuten. obser. 45. n. 14.* CANCER. *Var. Ref. P. III. Cap. 14.*

(a) HUG. GROT. *J. B. & P. Lib. II. Cap. V. §. 8.*

§. CXL. Quapropter, cum possessionem vitiosam, si quidem de vitio constet, leges non defendant (§§. XXIV. LIII. sequ.); & in specie possessio, cui jura resistunt (§. CXXVII.), pro manutenibili non habeatur (§. LVII.): subditum, seu landsassium, regalium minorum possessorem, quamdiu per concessionem Principis expressam (§. CXXXIV.) aut præsumtam (§. CXXXVI.) ad possidendum habilitatum se haud ostenderit, sed fortes potius contra ipsum præsumtiones militant (§. CXXXIX.), in possessione manuteneri non posse evidens est. Princeps potius, utpote qui pro se jus clarum & liquidum habet (§. CXXXVII.) & pro quo ipsæ civitatis publicæ leges & jura communia possessorium simul & instituunt, & absolvunt, subdito seu landsassio dejecto, eandem, ceu suam, jure optimo, & ex officio (§. CXXXI.) sibi asserit.

SCHOLION. Supponimus nihilominus, Principem, seu fiscum, nisi de injustitia facti possessionis subditi notorie constet, non manu statim forti procedere, sed quærere primum ex subdito: qua ratione in regale intraverit? an vestem habeat nuptialem, scilicet an concessione aut privilegio munitus sit? Quod si neutrum sine longo litis sufflamine demonstrare valeat; aut concessionis documenta per contumaciam exhibere detrectet: Princeps interea possessionem jure sibi vindicat, & præceptis inhibitivis, ut eadem abstineat, subdito mandat. *Licet enim* (ait D. PETERMAN. in *laudata sæpius Differtat. de Valore possessorii summariissimi &c.*) *Principi jus suum statim liquidum sibi ipsi adserere, nec subditus, quamvis antiqua possessione fultus, abs-*

que titulo restituendus est, & si Princeps haud cognita per viam ordinarii processus causa processerit. Potior quippe ratio est, ut penes Principem, quam ut penes subditum interea possessio persistat, quam hic in dubio ne salva quidem conscientia, & integra, quam Principi & reipublicæ debet, fide retinere valet (§. CXXX.). Confer STRYCK. *cit. Dissert. n. 8.* ubi cum VASQUIO, CAPIBLANCA, ROLAND. a VALLE, JOSEPHO a SESSE, aliisque statuit: non esse decernendum super possessorio summario pro eo cui jus resistit, sed providendum contrarium, ut illa abstineat, & decerni debere pro eo, qui jus pro se habet, donec contrarium probetur. Cui gemina tradit KLOCKIUS *de Contribut. Cap. XX. n. 263. sequ. cum adleg.*

§. CXLI. Quoniam turbatio in sensu proprio actum denotat, quo quis in rei usu, aut exercitio juris *sui alterum* impedit, quique adeo injustitiam redolere videtur; dejectio autem a Principe facta possessionis potius, ad ipsum de jure pertinentis, recuperatio sit (§. CXL.): patet, quod Princeps subditum, seu landsassium de possessione regalis de quo, quomodo idem nactus fuerit, non constat, pignorationibus, aut armis etiam dejiciens, &, ut ab actibus possessoriis abstineat, præceptis inhibitivis mandans, minus proprie eundem turbasse dicendus sit.

SCHOLION. Quando igitur initio dissertationis (§. I.) in formando quæstionis controversæ statu, cum aliis loquentes, *turbationis* vocabulo usi fuimus, id eo loci latius paulo accipiendum est, ita ut quemlibet actum, quo alium in exercitio juris aut facti impedimus, comprehendat, abstrahendo an jure, an injuria idem fiat. Ceterum extra regalium & jurium sublimium, eo pertinentium, limites dicta extensa nolumus. Nimirum, sicut juxta demonstrata hactenus eminentia Principum jura, alterius plane a juribus privatorum indolis sunt, utpote in quibus perpetua illa relatio superioris ad inferiorem occurrit (§. CXVIII. Schol. §. CXXXII. Schol.): ita mirari debemus minime, si non eadem, quæ inter privatos obtinent (§. XXXIII. sequ.),

sequ.), possessionis, & remediorum possessoriorum jura locum hic inveniant.

§. CXLII. Qui jure de possessione dejicitur, atque, ne actus possessorios, exercere pergat, legitime impeditur: is frustraneo successu in remediis possessoriis solatium quærit; utpote quæ injuria dejectis, turbatisque solum dari notorium est (§. LIII. sequ. item §. LVIII. Schol.). Quapropter, cum Princeps, solus regulariter, & indubius regalium possessor, subditum seu landsassium, nisi de concessione ipsi facta, aut possessione immemoriali liquido docere valeat, jure dejiciat, & ut ab actibus possessoriis interim abstineat, recte percipiat (§. CXL.): subditum dejectum, & in possessione præsumtive vitiosa turbatum, frustra ad remedia possessoria confugere evidens est. Alia ratione propositionis hujus veritas etiam inde patescit: quod, cum Princeps in claro semper, & liquido petitorio versetur (§. XL. sequ. item §. CXXXVII.), nec, nisi unica, qua idem impugnari & enervari valeat, via, difficillimæ nimirum præsumtionis (§. CXXXVIII.) concessio, aut immemorialis temporis possessio reliqua sit (§. CXXXIV. & CXXXVI.), subditus, seu landsassius, concessionis expressæ, aut ex immemoriali tempore præsumtæ, probationibus destitutus, irrita plane spe contra jus Principis manifestum in possessione se se defensum iri expectet (§. XLVII. in Schol.), petitorio Principis liquido in regalibus nullo non tempore absorbente possessorium (§§. LX. sequ.). Quid, obsecro! adversus dejectiones, aut mandata Principis inhibitiva subditus regeret? An, quod jure possideat? Concessionem ergo doceat, aut per temporis immemotialis lapsum in possessione se tranquilla fuisse monstret, &, nisi per longas tantum litis protelationes regalia Principis ulterius usurpare quærat, benignum, justum, & æquum in Principe judicem inveniet. An

ad possessionis beneficia (§. XXX. sequ.) provocabit ? An ab onere, concessionem probandi, immunem se se esse reputabit ? Nullo jure. Atque hic jam est crassissimus ille error, & absurdissima, ne dicam, in summam potestatem injuriosa petitio; quod scilicet in regalibus suis juribus cum subditis controversis possessorio se se immittere, & negativam, concessionem nimirum factam non esse, subditum immemoriali tempore non possedisse, probare Princeps debeat, pro quo tamen jura communia, regalium præeminentia, & inde resultans fortissima juris in subdito resistentia loquitur; prout in antecedentibus fuse docuimus. Missa itaque faciat subditus possessoria remedia, quando cum Principe de regalibus litigat; & officii, quod supra (§. CXXX.) *inculcavimus*, boni civis memor, nisi claras, & liquidissimas probationes petitorii (§. CXL. Schol.) in promtu habeat, possessionem, dum ulteriora probandi media aggreditur, regulari & præsumtivo regalium possessori Principi (§. CXXXVII.) interim dimittat, petitorii eventum debita cum submissione expectans.

SCHOLION. Non nova sunt, aut paradoxa, quæ *hic tradimus*: dudum ea docuere JCti perspicacissimi. MENOCHIUS *de Retin. possess. Rem. ult.* quando *n. 21.* quærit, an etiam hoc remedium detur illi, cui juris communis præsumtio adversatur? & affirmative eandem resolvit, numero tamen 24. eam limitat: nisi hæc præsumtio, quæ adversatur, sit admodum vehemens, ut illa, quæ publicæ auctoritati favere, atque patrocinari videtur, allegans eodem loco DIDAC. *practicarum quæst. Cap. XVII. n. 6.* & paulo ante, ubi scribat: huic remedio non esse locum, cum quis vult defendi in quasi possessione illius juris, quod soli Principi conceditur; in eo enim casu quasi possessionem non tribuere hoc remedium, nisi titulus doceatur: consentiente REBUFFO *in comment. ad Reg. constit. Galliæ Tom. III. tit. de Mat. Possess. Art. 2. gloss. 2. n. 26.* Eadem fere ex MENOCHIO refert, & sua facit MASCARDUS *de probat. conclus. 1109.*

1209. n. 3. ſequ. Nec ad ſummariiſſimum ſolum reſtringenda, ſed de qualicunque poſſeſſorio intelligenda dd. AA. ſententia; cum utrinque eædem rationes militent. Quatenus vero probatio tituli ſummaria ſufficiat, de eo ſupra (§. LXIV. in Schol.) ſententiam diximus. STRYCKIUS *in cit. ſæpe Diſſert. de neceſſitate edendi titulum poſſeſſ. Cap. III. n. 7.* cum multis ibi citatis DD. poſſeſſionem, cui jus reſiſtit, manutenibilem haud eſſe, ſtatuit, ex ratione, quod juxta dicta (§. CXXXIX.), uſurpata præſumatur, & injuſta. Ac licet poſſeſſionis vitia præſumi haud facile debeant (§. XXVIII. & XXIX.): illud tamen fallit, ubi publica civitatis lex, in materia præſertim regalium, ſubdito reſiſtit (§. eod. XXIX. in Schol.); utpote in quibus, juxta demonſtrata hactenus, aliter plane, quam in rebus privatis rationes ſubducendæ ſunt. Confer. quoque D. PETERMANN *alleg. Diſſert. &c. de valore poſſeſſorii ſummariiſſimi* per totum, & in ſpecie §. 12. *ſub fin.* ubi, quæ de ſummariiſſimo ante demonſtrarat, ex paritate rationis, ad quamcunque poſſeſſionem non titulatam trahit. Item Auctorem *Deductionis ſæpe citatæ* (§. CXXI.) *Cap. VI. §. XIX.* ibique multos alios eandem nobiſcum tenentes ſententiam.

§. CXLIII. Per modum corollarii inde inferimus, quod Princeps rariſſime cum ſubdito de regalibus ſuis juribus absque poſſeſſione litiget; ſed quod pendente controverſia jure ſemet optimo, propriaque auctoritate poſſeſſorem recte conſtituat (§. CXL.), obſervato potiſſimnm, quod §. eod. in Scholio adnotavimus temperamento, ne, qui ad liquidas ſui juris probationes exemplo, & ſine ambagibus faciendas ſe ſe offerunt, inauditi plane poſſeſſione migrare jubeantur. Hæc regalium, & conſequenter ſolius regulariter, legitimique eorundem poſſeſſoris, Principis prærogativa eſt, quam nemo, qui dicta hactenus penſiculatius animo revolverit, in dubium vocaturus eſt.

SCHOLION. Recte proin ſe ſe habent, quæ cum REBUFF. *cit. loc.* (§. Præced. Schol.) ſcribit DID. COVARRUV. *pract. Quæſt.*

Quæst. C. XVII. n. 6. Regem nunquam litigare sine possessione in his, quæ sibi ut regi, (quorsum regalia quoque minora referenda (§§. CVII. & CXXV.), *summo jure conceduntur* ; quibuscum consentit illa apud Hispanos celebratissima Alphonsi III. constitutio · *juxta quam* (referente STRYCKIO *cit. l.*), *sine titulo in regalibus contra Principem nulla possessio acquiri valet.* KLOCKIUS in tractatu *de Contribut. Lib. I. Cap. XX. n. 267.* inter ea, quæ juris resistentia vehemens singularia habet, secundo loco & hanc insignem prærogativam refert: *Quod ille, cui resistit jus commune, non sit manutenendus in possessione lite pendente adversus alterum litigantem, præterquam si titulum exhibeat, vel immemorialem probet præscriptionem*, allegans eam in rem *Cap. cum personæ de Priv. in 6.* BOSSIUM, CAPYCIUM, Card. THUSCUM & alios. Gemina his tradit STRYCKIUS *cit. l. n. 5.* possessorem ejusmodi lite pendente de exercitio expelli posse recte statuens. Atque ita in possessorio juris venandi in specie contra Principem pronuntiarunt JCti HELMSTAD. apud HOMBORG *Consf. 77. n. 12.* WITTENBERGENSES apud HORNIUM *in Jurispr. feudali Cap. VIII. §. 50.* aliique teste Auct. *deductionis* vom Jagd · *Regal sæpe cit.* (§. XXI.) *sub fin.* Tam rationum itaque pondere, quam auctoritatibus firmata propositionis veritas subsistit.

§. CXLIV. Sed nec omni juris etiam civilis auctoritate destituimur. Audi, quid de aqua castellana prætor edicat *lege 1. §. 38. ff. de aqua quotidiana & æst. Quo ex castello illi aquam ducere ab eo, cui ejus rei jus fuit, permissum est, quo minus ita, uti permissum est, ducat, vim fieri veto.* Hoc prætoris edictum eodem loco ULPIANUS ita explicat. §. 40. *Si ex castello permissum est, dandum erit interdictum;* §. 41. *permittitur autem aquam ex castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico ducere.* §. 42. *idque a Principe conceditur, nulli alii competit jus aquæ dandæ:* paulo post §. 45. pergens: *meminisse autem debemus, in hoc interdicto totam quæstionem finiri adsignationis; non enim præparat hoc interdictum causam, ut superiora*

inter-

interdicta, *nec ad poſſeſſionem temporariam pertinet*, *ſed aut habet jus adſignatum ſibi*, *aut non habet*, *&* *interdictum totum finitur.* En deciſionem rotundam, rei, aut juris, ad publicum Principis dominium ſpectantis, conceſſionem non niſi a Principe impetrari (§§. LXXIX. CXXII. & CXXIV.). Cave enim exiſtimes, ſpecialem hunc caſum eſſe, ad ſimilia non trahendum: alia omnia ULPIANI verba: *vel ex quo alio loco publico*: præſeferunt. Nec tu puta, aliter reſponſurum fuiſſe Ulpianum, ſi de regali jure alio propoſita ipſi fuiſſet quæſtio. Sane ut, ſi uſpiam, ampliativa hic interpretatio admittenda ſit: *quoties enim* (ait PEDIUS *L.* 13. *π. de Legibus*) *lege aliquid*, *unum vel alterum introductum eſt*, *bona occaſio eſt*, *cetera*, *quæ tendunt ad eandem utilitatem*, *vel interpretatione*, *vel certe jurisdictione ſuppleri.* *Neque omnes articuli ſingillatim aut legibus*, *aut SCtis comprehendi poſſunt*; *ſed*, *cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt*, *is*, *qui jurisdictioni præeſt*, *ad ſimilia procedere*, *atque ita jus dicere debet*, ſunt verba JULIANI *L.* 12. *π. eod.* Ut proin lex illa ex amuſſi ad regalia Principum quadret, atque ex hoc fonte de his ſimiliter quoque ſtatuendum eſſe, nemini dubium ſedere queat. Ait porro prætor, & cum eo ULPIANUS: *Si permiſſum eſt*, *dandum eſſe interdictum*, ſcilicet *unde vi*, cujus interdicta *de aqua &c.* ſpecies erant. Tu in vicem aquæ caſtellanæ, ex rationibus generalibus modo deductis, publica Principis jura, ſeu regalia ſubſtitue, & planam, indubiamque legem habebis: *Si regalia permiſſa*, *ſeu*, *quod idem eſt*, *conceſſa ſunt*, *danda eſſe interdicta*, *non aliter* (§. CXLII.): conſtare itaque debere de Principis conceſſione, jure alias poſſeſſori, ne poſſideat, vim fieri, & de regalium eundem poſſeſſione dejici; plane ſicut nos (§§. CXL. ſequ.) ex intrinſecis fundamentis evictum dedimus. Fruſtra aquæ publicæ, & in genere juris cujusdam regalis, poſſeſſor ad nudum poſſeſſorium convolat,

aut manuteneri cupit. Tota adsignationis, seu concessionis quæstio finienda. Nam aut habet jus (Regale) adsignatum (concessum) sibi, aut non habet? & totum interdictum finitur (§. LXIII.). Ovum ovo non tam est simile, quam principia hactenus a nobis stabilita cum Romani juris rationibus, & mente legislatorum congruunt.

SCHOLION. Quæ ad ulterius stabiliendam propositionum hactenus demonstratarum veritatem ex jure Rom. afferri poterant, ea brevitatis nunc studio prætermittimus: pleraque etiam suis jam locis interspersa reperies.

§. CXLV. Quum moderna regalium indoles canonum conditoribus medio ævo propius perspecta fuerit: mirum non erit, si planiora ex iisdem decisionum fundamenta repetere liceat. *Cap.* 26. X *de V.* S. Summus Pontifex Comiti Tholosano his verbis rescribit: *Præterea cum pedagia, guidagia, salinaria tibi legatus interdixerit memoratus: auctoritate apostolica duximus declarandum, illa esse pedagia, salinaria, guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateran. concilii largitione, vel ex antiqua consuetudine a tempore, cujus non extat memoria, introducta.* Dejectus fuit de possessione Comes Tholosanus, inhibitumque simul mentionatorum jurium, quæ regalia esse nemo ambigit, exercitium. Quærit itaque a summo Pontifice quænam in specie sint illa regalia, quorum possessione legitime dejectus esset, & a quibus abstinere deberet. Ad cujus petitionem Papa, ad amussim rursus principiorum, a nobis positorum (§. CXL. sq.), respondet: *quæ NB. non apparerent*; id est, quæ liquido & sine mora probare non posset, ab Imperatoribus, Regibus, vel Lateranensi concilio ipsi concessa fuisse, hoc ipso satis clare indicans, subditum, seu landsassium, qualis etiam erat Comes Tholosanus, de

dejectio-

dejectione conqueri non aliter poſſe, niſi conceſſionis ſimul aut immemorialis poſſeſſionis fidem faceret; fruſtra alias dejectum ad remedia poſſeſſoria confugere, ſolam hanc, regalium poſſeſſionem a Principe, ſeu ſuperiore recuperandi viam reliquam eſſe; ſicque pendente lite ſuperiorem jure ſemet poſſeſſorem conſtituere (§. CXLIII.), quæ omnia prono conſecutionis filo ex *cit. cap.* eliciuntur. *Cap.* 7. *de privil. in* 6. ſub finem BONIFACIUS VIII. de jurisdictione ordinariorum ita reſcribit: *Si vero privilegium, per ſe ſufficiens, quando ſolo privilegio ſe defendunt, vel ſaltem tale, quod præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet, cum præſcriptionem allegant, non exhibuerint, ut eſt dictum, cum de jure communi ordinariorum intentio ſit fundata, ſua jurisdictione uti poſſunt in eosdem libere, donec de præſcriptione canonica, ut præmiſſum eſt, fecerint plenam fidem.* Cur ita BONIFACIUS? quoniam, uti ipſe infit, intentio Ordinarii de jure communi fundata eſt; hanc decidendi rationem, cum generalis ſit, eodem, §. præcedenti, uſi ſumus, argumentandi genere ad regalia quoque ſæcularia, ſive laicalia, quorum non minus de jure communi fundata eſt intentio, trahimus; atque inde concludimus, quod, quamdiu ſubditus, ſeu landſaſſius, conceſſionem, aut temporis immemorialis lapſum docere nequit, Princeps regalia ſua jura recte poſſideat (§. CXL.), exerceatque, citra injuriam dejiciens, ac deturbans ſubditum, niſi liquidas juris ſui probationes in promtu habeat (§. eod.), fruſtraneo eodem conatu ad remedia poſſeſſoria convolante (§. CXLII.). Adeo plane, adeo liquido canonum jura nobiscum faciunt.

SCHOLION. Conferri quoque meretur *Cap.* 1. *de Præſcript. in* 6. cujus verba ſupra retulimus; ut alios nunc juris canonici textus veritati propoſitionum, a nobis demonſtratarum, non parum roboris addentes ſilentio prætereamus.

Aaaaa 2 §. CXLVI.

§. CXLVI. Porro, quoniam remedia possessoria mera subdito, a Principe de regalis possessione dejecto, præclusa sunt (§. CXLII.), non nisi petitorio eundem (§. XLIV.), aut possessorio mixto (§. XLVIII.) experiri, & jus suum atque possessionem recuperare posse, in aprico est (§. LXIII.). Enim vero tam in petitorio, quam in possessorio mixto ipsa proprietatis causa deducitur, atque titulus editur (§§. alleg.). Titulum igitur subditus quoque regalium possessor a Principe dejectus edere cogitur (§. LXIV. sequ.). Qui, cum alius, quam concessio Principis (§. CXXXIV.), aut immemorialis possessio (§. C. XXXVI.) esse nequeat: quid subditus, seu landsassius, regalium possessione *dejectus*, docere debeat, obscurum nemini esse poterit.

SCHOLION. Quæ in probatione tum concessionis tum possessionis immemorialis observanda sint, non opus est ut operose adstruamus. Interim non velim insuperhabeas, quæ de possessione immemoriali per documenta elidenda supra (§§. LXXXIII. sequ.) fuse docuimus.

§. CXLVII. Ut tandem, quæ de regalibus *in genere* hucusque demonstrata dedimus, inoffenso nunc pede ad regalia venationum jura transferamus, aliud agendum non restat, quam ut non invitis juris publici universalis regulis, moribus & legibus Germaniæ, tam universalibus, quam particularibus, territoriorum venationum, atque piscationum emolumenta ad regalia Imperatorum, & statuum jura relata fuisse evincamus. Hoc ubi præstitum a nobis fuerit, cuncta, quæ de regalibus in genere, de regali quoque venandi jure, tanquam specie, juris esse, prona illatione inferre licebit. Enimvero, quum thematis hujus pleniorem pertractationem supra peculiari opusculo: *De eo, quod jure publico tam universali, quam particulari Imp. R. Germ. circa venationes*

tiones juris eſt, perſolverimus : ſumma ſaltem demonſtrationum capita impræſens attigiſſe ſufficiet, eo fidentius, quod inter JCtos hujus ævi vix unum alterumve nobis diſſentientem numeremus, nec, niſi quos aut rudioris adhuc jurisprudentiæ rubigo infectos tenet, aut qui Romanorum civilia jura inconſiderate, & indiſtinctim ad Germaniam noſtram applicant, diverſum teneant, uti pluribus auctoritatibus ſuo loco oſtenſuri ſumus.

§. CXLVIII. Ac primo quidem, ſi ipſam venationis indolem rimemur, &, quæ cum regali hocce jure in Principis, & reipublicæ publicum dominium tranſeant, penſiculatius trutinemus; nihil ſane fuerat, quo aut facilius carerent ſubditi, aut quod commodius ſoli Principi ad utilitatem partim (§. CIV.), partim ad innocuum oblectamentum (§. eod. in Schol.) relinquerent, quodque potiori jure ipſi etiam Principes, pro ſumma, qua pollent, poteſtate ſibi adſererent (§. CXXVI.). Etenim venationes prohibendi jus ex ipſo ſummo imperio profluere, ſuo loco ad ſaturam demonſtrabimus. Unde ad normam plane regularum, ſupra traditarum (§. CIX.), conſequenter ſuffragante optima æquitatis ratione, venandi jura, ceu regale, Principi, & ſummo reipublicæ magiſtratui vindicari nemo dubitat.

SCHOLION. Conferantur omnino, quæ in Opuſc. VIII. §. 153. leguntur DDrum, idem nobiſcum ſentientium, teſtimonia Quod ſi ad jus Romanum provocas, tu ex allegatis ſupra (§. CXXVI. Schol.) AA., præſertim ex GRIBNERO Diſſert. *de præjudiciis Principum imperii ex abuſu juris juſtiniani Cap. III. §. 4. ſequ.* reſponſum cape. In republica nihil eſt, quod rebus nullius accenſeri valeat, niſi quantum Princeps, & ſummus magiſtratus vult, ita ut, quæ in privatorum patrimonio non ſunt, neque jure naturali abſoluto occupari prohibentur, ea Principes optimo jure ſibi tanquam propria aſſerant. Conf. GER-

 HARD

HARD TITIUS *in Jure Publ. Lib. II. Cap. III. §. 16. seqq.* ubi, postquam cum GROTIO *de J. B. & P. Lib. II. C. III. §. 19. & C. VIII. §. 9.* de rebus publicis in genere idem asseruisset, ad territoria Germaniæ transit his verbis: *Ex quo consequitur, idem obtinere in distinctis Germaniæ territoriis, postquam eadem superioritate territoriali animari cœperunt, adeo, ut omnes res, quæ actu a privatis non tenentur, non sint dicendæ amplius nullius, nec privatorum, sed potius, ob acceptationem generalem, publicæ. Falluntur igitur qui in civitate v. g. feras bestias dicunt res nullius; nam fuerunt quidem tales, sed statum mutarunt, per acceptationem civitatis, quam illi male prætervident.*

§. CXLIX. Quidquid igitur sit de statu Germaniæ antiquo, regum Francorum temporibus coarctatam jam fuisse venandi facultatem, & ad jura regia relatam, documentis quam plurimis edocemur. Nec aliud Imperatoribus, & Germaniæ Regibus placuisse, innumera diplomata, & chartæ, quibus feribanni, des Wildbanns/ concessiones continentur, evincunt: sed nec leges, & constitutiones Impp. ejus rei dubium relinquunt. *II. Feud.* 27. nemo retia sua, aut laqueos, aut alia quælibet instrumenta ad *capiendas* venationes, nisi ad ursos, apros, vel lupos capiendos tendere permittitur. *II. Feud.* 56. inter regalia piscationum reditus manifesto referuntur, a quibus ex identitate rationis ad venationum species alias recte argumentum ducimus, generali venationum vocabulo oscitantia fors, & inadvertentia legem concipientis prætermisso. Ut proin medio ævo venandi jura ad regalia Impp. pertinuisse, nec nisi ejus concessione aut beneficio exerceri, propriave haberi potuisse, plane indubium sit.

SCHOLION **Quodsi has leges, utpote Italis & Longobardis latas, nullius apud Germanos auctoritatis esse regeras: tu præter alia, quæ brevitatis causa transmittimus, responsi loco accipe, quod constitutiones ab Imperatoribus Germanis in Italia prolatæ,**

tæ, nisi manifesto mores Longobardorum, & Italiæ populos solos respexisse appareant, Germanos quoque obligationis vinculo obstrinxerint, in campis nimirum Roncaliis, præsentibus maximam partem Principibus & vasallis Germaniæ latæ, atque promulgatæ. Ad alias objectiones in dicta (§. præced.) dissert. respondebitur. De limitata jam apud Reges Francorum promiscua venandi licentia evolvendi SCHILTERUS *Exercit. ad π. XLV. §. 5. sequ.* HERT. *de superiorit. territ. §. 49.* D. Cancell. SCHÜZ in Dissert. *de banno ferino thes. 5.* D. de BERGER *de jure venandi pos. VIII.* D. GASSER in *Dissert. de memoria initii contra præscript. immem. §. 17.* & alii.

§. CL. Sicut autem per concessiones Imperatorum, & tacitum usum, legibus imperii roboratum, eximia territorii jura ad Principes & status Imp. pervenerunt: eadem prorsus ratione, per concessiones nimirum partim expressas, partim tacitas cum ipsa superioritate territoriali, cum qua jus regalia constituendi cohærere dignoscitur (§§. CXIX. & CXXVI.), regale quoque venandi jus ad Principes & status translatum fuisse in propatulo est, & consuetudo Germaniæ vix non universalis docet; ita ut, sit fors in uno alterove territorio contrarium, (quod tamen non memini) obtineat, illud ad casus in imperio rarissimos, & exceptiones pertineat, recte asseverante HEIGIO *in Quæst. Illust. XV. n. 33. nihil verius, & si in clara luce oculos claudere noluerimus, nihil esse manifestius, quam quod venationes hodie inter regalia computandæ sunt.*

SCHOLION. Inter JCtos recentiores vix esse quempiam, qui hanc veritatem in dubium vocare præsumat, jam supra (§. CXLVII.) innuimus; ut cum KNICHENIO potius *de Saxon. non provocandi jure* verb. *Ducum Saxon. C. V.* verb. Wälde hodie non tam de regali jure quærendo, quam quæsito tuendo disceptandum esse moneant. Tu inter alios vide sis PRUCKMANN *de Regal, §. Venatio C. I, p. totum.* Item *Vol. II. Consil. 22. n. 27.*

27. MINGIUM *de superiorit. territoriali Cap. VI* n. 78. STRAUCH. *dissert. Justin.* VI. *thes.* 30. ibi: *Hoc jus venandi Principes subditis non sine ratione ademerunt, jure scilicet imperii, sive superioritatis.* HORNIUM *in jurisp. feud. Cap. VIII.* §. 50. HOMBORG ad *tit. inst. de R. D.* §. 15. MAURITIUM *posit. J. feud. decad* 6. §. 4. ibi: *Nos venationem de consuetudine ad regalia pertinere asserere non dubitamus cum Camera imperialis assessoribus.* STRYCK. *in exam. juris feudal Cap. IX. qu.* 21. ibi: *Qua sententia, jus venandi ad regalia spectare, moribus Germania expedita est.* D. ab EYBEN *de Regal. privatorum Cap. XII. thes.* 2. verbis: *Non Germania tantum, sed & totius fere terrarum orbis consuetudo liberum illud jus venandi subditis ac privatis ademit, soloque ad Principes, & eos qui jus hoc ab eis concessum habent, transtulit.* GYLMAN. *in Reb. Jud. Lib. II. C. VIII. n.* 3. verbis: *Jus venandi, si non jure, saltem consuetudine pro regali habetur, & ego in camera imperiali hanc opinionem observatam memini.* Illust. D. de LUDOLFF. Assessor. Cam. imperialis dignissimum *Consult.* & *Decis. Tom. II. dec. VIII.* §. 10. *p.* 424. ibi: *Consequentia vero a jure superioritatis ad jurisdictionem in bona subditorum, interque ea jus venationis, nemo est in jure publico Germania adeo hospes, ut dubitare possit.* LAUTERB. Assess. olim Camera Imp. in tract. *de condominio territ.* cap. VI. §. 36. AHASVER. FRITSCHIUM *de Convenat. M. I.* §. 2. ibi: *de consuetudine autem Germania jus venandi inter regalia referri cœpit. Quod cum notorium sit, frustra a quibusdam in dubium vocatur;* cum innumeris aliis, quos allegat. AUCTOR. *deductionis* Vom Jagd-Regal *Cap. III.* ubi vix unam aut alteram facultatem juridicam in tota Germania aliter sentire ostendit: & si contraria fors alicubi consuetudo vigeat, ea ex gratia & conniventia Principis proficisci censenda sit, recte sentiente SUTHOLD. *Diss. I. de Jurisd.* §. 72, nec non HOPPIO *ad Instit. de J. N. G. & Civil.* §. 6. ad verba *omne imperium.*

§. CLI. Neque aliud in terris Episcopatus Wirceburgensis, & Ducatus Franconiæ obtinet, tam generalibus investiturarum litteris, quam concessionibus Impp. specialibus idem luculenter testantibus. Wiltbannum certe, cum depen-

dependentibus inde venationum juribus, & jurisdictionem foreſtalem Epiſcopos, Duces, per plurium ſæculorum decurſum conſtanter, & non interrupte tanquam regalia eximia, & jura, ſuperioritati territoriali annexa, ſibi aſſeruiſſe, atque exercuiſſe, indubie liquet; & fide digniſſima documenta non una probant.

SCHOLION. Conceſſionum, inveſtiturarum & documentorum tenorem ut in extenſo, aut excerpto etiam adducamus, nec ſpatium, nec tempus patitur: fiet tamen, indulgente Principe clementiſſimo alia occaſione æque opportuna deſideriis ſatis.

§. CLII. Prono itaque nunc conſecutionis filo inferre licet: quod regale venandi jus ſit pars ſuperioritatis territorialis, ſi non eſſentialis plane (§. CI. & CII.), adventitia ſaltem, & ex ſummo imperio profluens (§. CVII.): quod hanc ipſam ob cauſam inviolabile, ſanctumque haberi ſubdito debeat (§. CXXVIII.), nec hic citra læſæ quodammodo ſuperioritatis crimen dolo malo id uſurpare, aut ſibi adſerere auſit (§. CXXIX.): quod ſubditus eodem, niſi conceſſione Principis idem impetraverit, ſpeciali ratione abſtinere obligetur (§. CXXX.): ſicut ex adverſo Principis, idem ſibi, atque reipublicæ aſſerendi, in officiis poſitum eſſe dignoſcitur (§. CXXXI.).

§. CLIII. Ulterius inde concludimus, regale venandi jus nunquam præſcriptione (§. CXXXIII.), ſed ſola Principis conceſſione (§. CXXXIV.), aut immemoriali temporis poſſeſſione (§. CXXXVI.), juxta normam a nobis traditam (§ LXXXIII. ſequ.), acquiri: jus Principis in regali venandi jure ſemper clarum eſſe, & liquidum (§. CXXXVII.): ſubditi ſeu landſaſſii, poſſeſſionem in dubio præſumi vitioſam (§. CXXXVIII. & CXXXIX.): recteque propterea Principem ſibi eandem, ſubdito dejecto, deturbatoque adſerere

re (§. CXL. & CXLI.), huic vix nunquam possessorio mero (§. CXLII.), sed mixto solum, aut petitorio (§. LXIII.) idem a domino territorii recuperandi via patente: optimo proin jure subditum seu landsassium, ad editionem tituli compelli (§. LXIV.): huncque si edere in promtu, aut concessionem immemorialem docere nequeat, recte, legitimaque juris via de possessione deturbatum censendum esse (§. CXLI.).

SCHOLION. Quibus omnibus tum multo magis locus erit, si possessio subditi sit junior, dubia, sæpius interrupta, & præter generale territorii jus, speciales præterea concessionum imperatoriarum tabulæ de jure Principis edicant, idemque *firmiter stabiliant.*

OPUS-

OPUSCULUM XI.

DE SUPERIORITATIS TERRITORIALIS, NEC NON REGALIBUS JURIBUS, DOLO AUT NEGLIGENTIA MINISTRORUM ET OFFICIALIUM PRINCIPIS HAUD PRÆSCRIBENDIS.

PRÆFATIO.

Rara illa est temporum nostrorum felicitas, quod, quæ ad recte gubernandam regendamque rempublicam comparatæ sunt doctrinæ politicæ, interque illas juris publici universalis scientia, ad summum propemodum evidentiæ, ac perfectionis gradum evectæ, amplissimum viris probis atque cordatis, pro incolumitate patriæ & communi civium salute ingenii sui omnes nervos intendendi, campum commonstrent. Atque hoc ipsum virtutis atrium ingredi quoque mihi videntur, qui sublimia Principum, atque eminentiora reipublicæ jura adversus usurpatorum improbos ausus intrepidi propugnant, & ad instar athletarum totis viribus defendunt. Inutilis equidem eorundem opera studiumque vel ideo haberi poterat quod aliunde, nota, atque ex ipsa summi imperii natura & indole prone consequentia majestatis & summi imperii jura ab omnium, potissimum vero privatorum in-

vasionibus in tuto collocata, eruditorum armis propugnari haud egeant. Enimvero, quemadmodum, si de regalibus & territorialibus Principum juribus ex limpidis hisce, atque genuinis juris publici universalis fontibus statueretur, ambabus, quod ajunt, manibus huic sententiæ accederem: ita, dum contraria omnia ex quotidianis & obviis exemplis edocemur, aliud tenendum; ut præclare omnio de republica mereri illos existimem, qui invectos ex jure justinianeo in jus publicum statuum imperii nævos doctis conaminibus procul eliminare allaborant. Quanta ex peregrino hocce jure statibus imperii præjudicia, quæ damna succreverint, nemo est in patria adeo hospes, qui ignoret; & vel ex sola JCti gravissimi GRIBNERI (a) *erudita, bonique salis plena dissertatione de* præjudiciis Principum imperii ex abusu juris justiniaei *luculentis argumentis roboratur. Hæc inter agmen veluti ducit, palmarius illorum error, qui Principes atque status imperii in unam eandemque fere cum privatis classem deturbantes, ordinem processus eundem observandum esse anxie inculcant, sive cum subditis & landsassiis, sive cum paris dignitatis atque ordinis personis de regalibus & superioritatis territorialis juribus controversiæ intercedant: cum tamen vel ipsa regalium indoles, atque nativa in subditis & landsassiis eadem possidendi inhabilitas diversitatem subesse maximam innuant. Promanarunt ex hac scaturigine, ceu ex equo Trojano, plures errores alii, in judiciis non minus possessoriis, quam petitoriis conspicui. Quid enim, obsecro, aut juris publici*

ci & rectioris politicæ rationibus, aut Principum auctoritati & eminentiæ magis adversum, quam subditis & landsassiis ad possidendum exercendumque regalia nonnisi ex concessione Principis aptis, si quando per clandestinas vias, aliasque artes & machinamenta in jura reipublicæ pedes immiserint, illa ipsa ex jure communi privato possessionis conservandæ, adipiscendæ, & recuperandæ remedia indulgere, quæ nonnisi in rebus & juribus privatis, aut inter æqualis saltem ordinis personas obtinere dignoscuntur? In hunc quoque censum insignem eorum oscitantiam refero, qui negligentia ac dolo ministrorum & officialium non status tantum, sed & landsassios atque subditos, justam regalium possessionem indipisci, quin, sub hoc iniquitatis palladio usucapione plane eadem acquirere posse, falso sibi persuadent. Quorum fundamenta & pernitiosas doctrinas, dum in præsenti specimine dirutum ivi, boni me civis officio functum fuisse prorsus existimo, nil minus metuens, quam ut in assentatorum Leyserianorum (b) *computum veniam. Ex genuina enim vocis notione assentatores audiunt personæ, quæ aut ad captandam Principis gratiam, aut turpis lucelli odore illectæ, tum vitia & pravas regendi artes sui Principis laudibus extollunt, vel dissimulant saltem: tum erronea eidem principia suggerunt, queis dum insistat, cives bonis fortunisque exuantur, & conculcata justitia tyrannidi, atque iniquitati via pandatur. Ecquis vero tam stupidus amensque fuerit, ut facere id dicat eum, qui, quæ sunt Principis, Principi, quæ subditorum, subditis sar-*

ta tecta servanda esse inculcat; nec aliud quidpiam, quam invasiones in jura, & res, extra commercium privatorum positas, improbat? Quorsum boni Principis officium pertineat, eumque populi, non populum Principis gratia constitutum esse, probe novi. At, ut propterea injustas exemtiones, & jurium, ad sacra Principis pertinentium, usurpationes aequi faciam bonique, a me hucusque impetrare haud potui, nec impetrabo unquam. Quod superest, monere te volui B. L. primas has esse dissertationis lineas, quales ex calamo manarunt, praelo commissas. Siquid igitur aut minus comtum aut non exasciatum satis, dignumque delicatiori palato inveneris: id tempori condones, rogo, accedentibus forte secundis mox curis opusculum elaboratius dabimus. Vale mihique fave.

(a) *In praemio §. 8. lit. b.* ibi: *Habuit alia gravissima receptio juris peregrini incommoda: sed ausim dicere, nullum gravius fuisse, quam quod in ipsos territoriorum dominos, in ipsos Principes redundavit.*

(b) *Dissert.* de *Assentationibus JCtorum.*

DE JURIBUS SUPERIORITATIS TERRITORIALIS & REGALIBUS DOLO AUT NEGLIGENTIA MINISTRORUM ATQUE OFFICIALIUM PRINCIPIS HAUD PRAESCRIBENDIS.

§. I. JUra *superioritatis territorialis* dicimus, quae cum statuum imperii in territoriis suis competente, Imperatori & imperio subordinato regimine civili

civili eſſentiali, eoque indivulſo nexu cohærent. *Regalia* ex adverſo jura nuncupamus, quæ Principi, ſive ſummæ in republica poteſtati, propria quidem, in ſe tamen conſiderata, præſcindendo a conceſſionibus, atque inveſtituris Imperatorum, nec non uſu, obſervantia, legibus civitatis publicis, in claſſem eadem jurium reipublicæ referentibus, proindeque e commercio privatorum eximentibus, a civili imperio ſeparabilia ſunt, ſic ut jurium ſummæ poteſtatis ambitus absque illis integer nihilominus, & ſalvus conſiſtat (a).

SCHOLION I. Prioris generis, id eſt, territorialia, ſive majeſtatis, jura, in omni ſocietate civili conſpicua, & ubivis eadem ſunt; utpote quæ ipſum ſummæ poteſtatis civilis eſſentialem conceptum ingrediuntur. Nec ad rem facit, quod in imperio R. G. jura, quæ territorialia dicimus, in alieno haud raro territorio exerceantur, conſequenter ab ipſa ſuperioritate territoriali ſeparabilia videantur. Etenim, uti in genere jurium majeſtaticorum complexus, reſpectu ad univerſam rempublicam habito, idem ſemper manet, utut jura ſingula penes plures ac diverſas perſonas, veluti totidem ſubjecta activa, reſideant: ita viciſſim in præſenti quoque caſu dicendum, quod ſcilicet una ſit, maneatque ſuperioritas, licet ſingulis ejusdem effectibus unus haud ſolus, ſed communicatis cum aliis fruatur. Qua quidem ratione in imperio R. G. uſitatiſſimum eſt, ut penes quem principaliora atque potiora territorii jura reſident, ſolus domini territorialis nomen ſuſtineat (b), ceteris eximia ſua jura, per modum ſervitutis juris publici, in alieno territorio exercentibus, ad exemplum dominii vulgaris, quod, utut conſtitutis pluribus ſervitutibus admodum mutilum evadat, dominii tamen nomen conſervat.

SCHOLION II. Regalia autem jura in diverſis rebuspublicis diverſa deprehenduntur, nec numero ubivis eadem, quin varia potius ratione, pro variis populorum inſtitutis determinantur, pro arbitrio ſummæ poteſtatis, cui hac in parte plurimum relictum eſſe dignoſcitur (Opuſc. X. §. CIX. & CX.).

(a) Con-

(a) Confer. GEORG. BEIERI *themata ex vario jure selecta exercit. VI. Item supra Opusc. IX. Cap. I. §. 1. seqq.*
(b) *Inst. P. Osnab. Art. V. §. 42. & 44.*

§. II. Jura hæcce, quorum complexus universum regiminis civilis ambitum absolvit, Princeps in omnibus territorii sui partibus se solo, absque adminiculante aliorum opera exercere nequit; uti consideranti obvium est, nec multa demonstratione eget. Alios itaque in partem sollicitudinis adsciscat necesse est, queis subalternum & a nutu suo dependens territorialium & regalium jurium exercitium atque administrationem committat. Cujusmodi *personas* cum *Principis administros atque officiales* compellemus: *Principem* in regimine territoriali, & regalium *jurium* exercitio ministrorum atque officialium opera indigere, nemo non perspicit (a).

(a) *Consil Hallens. Tom. II. 45. num. 17. Item consil. 46. num. 5. & 28. illustr.* BOEHMER. *J. publ. Univers. P. Special. Lib. II.* C. 6.

§. III. Antesignanum inter hosce jurium *Principis* ac reipublicæ administros locum sibi vendicant, qui ad consilia Principis secretiora adsciti, intimiora status negotia procurant; utpote quorum sollicitæ dispectioni totius reipublicæ salus, atque vel maxime jurium superioritatis & regalium Principis utilium conservatio, ac tutamen in officiis datum esse intelligitur, formulis juramentorum, quæ sub ingressum officii sui præstare solent, nec non litteris, quas vocant, instructoriis idem abunde comprobantibus.

SCHOLION. Schemata litterarum instructoriarum, atque officiorum formulas plures exhibet SECKENDORFFIUS teutschen Fürsten Staats *P. IV.* quæ, utut in territoriis singulis diversimode sese habeant, potiora tamen, atque essentialia officiorum capita complectuntur. Ita e. g. *N. 1.* Bestallung eines Geheimden

den Raths jurium Principis territorialium & regalium conservationem, curamque enixissimam non uno loco commendatam videbis *n. c.* §. 8. ibi: Insgemein soll ihnen angelegen seyn unsere Landes-Fürstliche Hoheit über die von GOtt uns anvertraute Lande und Leute zu behaupten / und unsere Land-Stände in gebührlichem Respect gegen uns zu erhalten: Item §. 26. So es die Nothdurfft erfordert / zu Handhabung unserer Landes-Fürstlichen Hoheit und Regalien 2c. Item §. 28. So soll auch unser geheimder Rath sein Bedenken uns zu eröffnen haben/ an denen Sachen / welche zu Behauptung der Regalien / welche sonst in unserer Cammer eigentlich beobachtet werden / zielen / und gereichen / entweder da man derselben wegen neue Anstalten und Ordnungen machen / oder wider die Eingriffe und Unordnungen / die dargegen vorgelauffen seyn möchten / nachdrückliche Mittel vornehmen wolte / und sonderlich 2c. Quibus consona sunt, quæ ibidem *n.* 2. in formula instructionis pro Cancellario, & consilio regiminis leguntur §. 19. ibi: Uber unserer hohen Jurisdiction insgemein soll unser Canzler und Hof-Rath alles Ernstes halten / und davon keinem aus unsern Land-Ständen und Unterthanen einige dem Herkommen nicht gemässe Exemtion nachsehen; viel weniger zugeben / daß sie für fremde Gerichte ausser Landes / unsern Privilegien und denen Reichs-Rechten zuwider / gezogen werden; sondern 2c.

§. IV. Hæc ipsa, atque suo modo propior præsidem & cameram Principis, nec non præfectos, aliosque officiales in provinciis sollicitudo contingit; quippe quorum potissimæ officiorum partes eo collimant, ut res, jura atque regalia Principis solerti industria administrentur, atque adversus aliorum invasiones, turbationes ac usurpationes in salvo constituantur (a): præsertim vero, siquid a vicinis statibus & membris Imp. immediatis, aut a propriis subditis & landsassicis contra attentari advertant, id citra moram superiori denuntient, quo novis ejusmodi ausibus maturis consiliis, obviam procedi, atque usurpationibus in tempore pessulus objici valeat.

SCHOLION. Has officiorum partes denuo innuunt formulæ litterarum instructoriarum apud SECKENDORFFIUM obviæ *c. l. n.* 4. Beſtallung eines Cammer-*Directoris* und Cammer-Raths §. 14. ibi: Alle unſere Regalien / ſonderlich von denen in *unſere* Cammer einige Geld-oder andere Einkunft kommt / als da iſt Bergwerk / Münz / Geleit / und Zoll / Wild- und Forſt-Bahnen / und die Landes Steuerbarkeit auch unſere Fiſcal-Gerechtigkeit ſoll unſer Cammer-Rath in genauer Inſpection haben; und da er vermerkete / daß uns dieſelbe angefochten / und ſtreitig gemacht werden wollten / ſoll er uns ſolches bey Zeiten anzeigen ꝛc. Item *n. 9.* Beſtallung eines Amtmanns §. 1. Unſer Amtmann ſoll insgemein ſeine ganze Verrichtung *dahin meynen*/ und anwenden / daß in unſerm ihm anbefohlenem *Amt N. unſere* Landes-Fürſtliche Hoheit / und deren anhängige *Regalien unverruckt* / und unbeeinträchtiget erhalten • • • *auch in unſern* ſonderbahren Gerechtſamen und Cammer-Einkünften kein Eintrag wiederfahre. Item *§. 5.* Dieſemnach und was ſeine Amts-Verrichtungen ſelbſt anbelangt / ſoll er zu vorderiſt mit *ſeiner* Sorgfalt bedacht ſeyn / daß wir an unſerer Landes-Fürſtlichen Hohen Obrigkeit / und deren anhängigen Gerichtbarkeit / Steuer-Folge / und andere dergleichen Gerechtſamen in ſeinem *anbefohlenem* Amt weder von denen Unterthanen noch von *ander angränzenden* beeinträchtiget / und bevortheilet *werden ꝛc.*

§. V. Tam itaque ex fine, propter quem Princeps miniſtros atque officiales conſtituit (§. II.), quam ex litterarum inſtructoriarum, quarum ſchemata §. *præcedenti* in excerpto dedimus, formulis, qualis iisdem poteſtas competat, facile colligimus; eo nimirum unice comparata, ut ſuperioritatis & regalia jura in commune patriæ, Principis & ſubditorum emolumentum fideliter adminiſtrentur, atque ab omni invaſione, deterioriatione & prava aliorum uſurpatione immunia ſerventur. Hi fines ſunt, atque limites poteſtatis, miniſtris atque officialibus a ſuperiori concredi *ſolitæ*: neque citra ſpeciale mandatum ampliorem ipſis *datam* eſſe, ſana cum ratione quispiam præſumſerit. *Proin* mini-

niſtrorum atque officialium poteſtatem nude adminiſtratoriam, ad tuendum, atque defendendum, nec non vicario nomine exercendum, conceſſam eſſe, neminem latere poteſt.

§. VI. Quo ipſo ulterius, omnem regalium & territorialium jurium alienationem, deteriorationem, & imminutionem procul ab officiis miniſtrorum atque officialium abeſſe debere, planum evadit ac dilucidum. Exorbitans, quippe ejusmodi poteſtas cum nativa & originaria eorundem conſtitutione pugnat (§. V.), nec cum fine reipublicæ ulla ratione conciliari valet. Eſto per contractum velut mandati eosdem conſtitui (a): hujus tamen fines exacte cuſtodiendos eſſe, inſimul largiaris neceſſe eſt (b). Ecquis autem mandati aut commiſſi ſibi officii limites tranſiliiſſe non dicat eum, qui jura Principis, quæ conſervare, amplificare, & fideliter cuſtodire debeat, ſive dolo malo alienat, ſive ſegniter procurando in alterius tranſire manus patitur (c)?

(a) EYBEN. *Oper. Tom. I. de Auct. uſuque juris Juſtinianei in Germaniæ judiciis. Cap. VI. §. 15. p. 180.*
(b) *§. 11. & 8. Inſtit. de mandat. L. 3. pr. §. 3. & 4. π. eod.*
(c) *L. 63. π. de procurat.*

§. VII. Quin id potius tum ex mandati hujus certa, determinataque norma, tum ex litteris ſive formulis officiorum inſtructoriis (§. II. & III.), ſole meridiano clarius eluceſcit, Principem ſcilicet qualescunque miniſtrorum & officialium ſuorum actus ad alienationem, translationem aut deteriorationem regalium tendentes pro nullis habere & invalidis, omnique robore hoc ipſo deſtitutos declarare, quod enixiſſimis verbis, & ſub fidei juratæ nexu iisdem inculcet, ne quid in functionibus munerum ſuorum admittant, quo jura Principis & reipublicæ damno deteriorentur, poteſtate ad id officialibus neutiquam indulta (a).

SCHOLION. Errant igitur quam turpissime, qui in alienationibus & translationibus jurium territorialium & regalium, a ministris & officialibus citra speciale mandatum factis, tacitum Principis consensum & ratihabitionem intervenire sibi somniant. Cum de voluntate potius contraria juxta demonstrata liquido constet, nodus in Scirpo haud quærendus, nec ex levibus præsumtionibus inducenda voluntas, ubi veritas ex adversa parte in aprico jacet (b).

(a) *Arg. L. 21. L. 27. de administrat. tutelæ. L. 7. pr. π. de donat.*
(b) *DD. in L. optimam 14. C. de contrah. & committ. stipulat.* JOH. OTTO TABOR *Decis. 128. 19.*

§. VIII. Omissionem aut commissionem *eorum, quæ* ministris atque officialibus, vi concrediti sibi *muneris*, agenda, omittendave incumbunt, *negligentiam in officio*, Nachlässig oder Fahrlässigkeit derer Beamten / dicimus.

SCHOLION. In sensu scilicet latissimo hic definimus officialium negligentiam, quatenus omnem sub se omissionem, sive dolosam, sive culposam (§. sequ.), comprehendit. Ceterum tam agendo, quam non agendo admitti posse negligentiam, *evidens est.* Non enim agere, sive omittere, quæ officii rationes postulant, quam agere, sive admittere, quæ iisdem repugnant, perinde habendum: atque inde in publicum redundantia damna æquali prorsus sese ratione manifestant.

§. IX. Supposita generali hacce negligentiæ ministrorum & officialium notione, eandem commode in *dolosam*, atque *culposam* dispescimus. *Illam* dicimus, quando minister, seu officialis, deliberato animo, quæ vi officii agenda ipsi aut omittenda erant, insuperhabet, atque ita contra datam Principi fidem præmeditate impingit (a). *Culposa*, & *in specie* ita *dicta negligentia* nobis est, quando ministri atque officiales Principis non præmeditate quidem, ex socordia tamen, rusticitate, & segnitie ea omittunt, committuntve,

quæ

quæ juxta instructionis, sibi præscriptæ, normam, juratamque fidem, agere, aut intermittere debebant, poterantque (b).

SCHOLION. Hanc posteriorem pro ratione admissæ culpæ latæ, levis, aut levissimæ, in negligentiam latam, crassam, & supinam, aut levem, & levissimam abire constat.

(a) *L. Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa aut levi, seu curatoris minores amiserint. L. 7. C. Arbitr. Tutelæ.* CARPZ. P. *III. C. XXXIII. def.* 12. *n.* 2.
(b) *Arg. L.* 53. *§.* 1. *π. de evict. L.* 13. *§.* 2. *π. de contrah. emt. arg. L. tutor.* 3. *π. de administrat. & pericul. tutor.*

§. X. Hocce ministrorum & officialium Principis sive dolo sive negligentia (§. IX.) regalium & territorialium jurium possessionem haud raro amitti, & in aliorum, tanquam propria eadem retinere, & lapsu temporis sibi acquirere annitentium, transferri manus, experientia multoties comprobat, atque statuum imperii tam sæcularis quam ecclesiastici ordinis, eximiis suis juribus hac ratione despoliatorum exempla testatum faciunt quamplurima. Exemtionum certe, adversus dominos territoriales sæpius attentarum, si primas spectemus origines, lubrico hocce fundamento unice fere easdem subniti comperiemus: quo juris effectu, impræsens enixius indagare in animum induximus.

§. XI. Sunt autem, qui hac via in regalia & territorialia Principis jura subintrant status, aut membra saltem immediata imperii, Nobiles, puta, immediati, sive subditi & landsassii: nam & hos ex dolo & negligentia officialium compendia sæpe sibi quærere, & lenta velut alluvione regalia Principis suis adscribere juribus, notum atque pervulgatum est.

SCHOLION. Hæc differentia personarum, in jura principis sese ingerentium, probe attendenda. Neque enim perinde est, an

ſtatus imperii; an vero ſubditus & landſaſſius regalia adverſus Principem præſcribere velit; uti ex mox dicendis uberius apparebit.

§. XII. Porro, ſicuti fraudibus, dolis atque negligentiis in genere mille portæ patent, quamprimum a recto juris tramite deflectens ad devia animum quis converterit: ita, quas in adminiſtratione atque exercitio ſubalterno jurium territorialium & regalium miniſtri ſeu officiales Principis fraudes & negligentias admittunt, infinitæ ſunt numero. Quandoque enim indulgentia ſive patientia peccant, dum ſcilicet regalia atque ſuperioritatis jura ſive præmeditato animo, ſive culpa a vicinis ſtatibus, aut ſubditis & landſaſſiis tanquam propria invadi atque exerceri ſuſtinent. Subinde II. taciturnitate ſive ſilentio, quando regalium jurium uſurpationes atque temerarias invaſiones, quas ſuſcipi ab aliis ipſi contuentur, ad ſuperioris, quorſum ejus rei cognitio ſpectat, notitiam haud deferunt: ſive, quod uſurpatorum præpotentiam & futuras iras extimeſcant; ſive, quod taciturnitatis ſuæ pinguia præmia & emolumenta expectent. III. Vicinorum in reipublicæ & Principis jura intruſiones, nec non ſub- & obreptitie patrata poſſeſſionis facta doloſe occultando, fraudibusque ita aliorum adverſus juratam ſuperiori fidem nefaſtas manus porrigendo. IV. Miniſtrorum atque officialium negligentia ſeſe manifeſtat, quando documenta, acta publica & regiſtra, ex quibus jura Principis demonſtrari debebant, diſperdunt, corrumpunt, celant, aut in uſurpatorum plane manus venire patiuntur. V. Dum contradictionibus aliorum, qui in putatitiam jurium Principis poſſeſſionem ſeſe aſſerunt, reproteſtationibus aliisque mediis efficacibus obviam haud eunt; quin iisdem plane acquieſcunt: ac proin VI. partim ex levitate animi, partim etiam fraudulento conſilio manifeſtas jurium Principis poſſeſſiones defendere, earundemque exercitium continuare

negli-

negligunt. In eundem cenſum venit VII. quando colluſione prorſus nefaria accepta in partem pecunia, aut pro compactatis aliis lucris jura Principis territorialia atque regalia divendere conantur; aut VIII. dum vicinis ſtatibus atque nobilibus, imo & landſaſſiis & ſubditis familiarem regalium uſum indulgent, absque præſcitu & conſenſu ſuperioris, quin nec acceptis in futuram ſecuritatem reverſalibus, quo fit, ut quæ nonniſi precario & ad nutum revocabili jure exercebantur, poſt lapſum aliquot annorum veluti propria detineantur, aut ſaltem non ſine moleſtia & longo litium ſufflamine ab uſurpatoribus avocentur.

§. XIIII. Quin per non uſum etiam, ſeu intermiſſum ab officialibus regalium exercitium, jura Principis haud raro dubia redduntur, aut prorſus extinguuntur: veluti tum accidit, quando miniſtri ſeu officiales ſive turpis quæſtus cauſa, ſive quod cataſtra, urbaria, aliosque codices jurium Principis indices pro officii ratione haud inſpiciant, unius alteriusve regalis exercitium negligunt, atque, ut ſucceſſu temporis dubium reddatur, anſam ſubminiſtrant; cujus negligentiæ effectus in regalibus præcipue utilibus, puta jure vectigalium, collectandi, detractus & his ſimilibus, conſpicui ſunt.

SCHOLION. Alios modos, quibus miniſtri atque officiales propriæ utilitatis cauſa juribus Principis inſidias ſtruunt, eaque negligendo imminuunt, enumerare ſuperſedeo. Tu vide ſis interea celeberr. AUGUST. LEYSERI *Meditat.* ad π. *Tom. VIII. p. 789. verb.*: *Quidam miniſtri callidiores non aperte quidem & ſuo nomine ſed per ſuppoſitas perſonas iſtiusmodi contractus celebrant, ita tamen, ut ad ipſos omne, vel potiſſimum emolumentum redundet. Detexit jam hanc fraudem & improbavit* HERMOGENIANUS *in L. 46. §. 2. π. de J. fiſci, & damnatus propter eam eſt* FUQUETUS LUDOVICI *Galliæ Regis XIV. Miniſter, cui in Tom. II. du recueil. des defenſes de Monſieur FOUQUET, objicitur; quod*

quod ipse subjectis aliorum nominibus conductiones & contractus inierit, atque exigua pecunia jura & bona Regis adquisierit. Item *Specim. XXXIII. p.* 784. ubi impudentiam ministrorum atque officialium nonnullorum redarguit, qui importunis flagitationibus bonorumque petitionibus Principem exspoliare, divitias cumulare, & prædia multa acquirere non erubescunt; nihil hoc esse putidius inquiens, cum augere jura fisci, non imminuere ministri aut officialis sit.

§. XIV. Ministri atque officiales Principis regalia atque eximia territorii jura alienandi nulla facultate præditi sunt (§. V. & VI.). Idque manifesti adeo & explorati juris est, ut ejusdem ignorantiam nemo sanus prætexere valeat; præsertim, qui in officiis publicis constituti, aut *non omnino* rudes, quanti hæc sua jura Principes facere *soleant*, *compertum* habent (§. VII.). Sive igitur ex deliberato proposito & dolo proprio, sive adminiculante ministrorum atque officialium Principis negligentia (§. VIII.) territorialium nec non regalium jurium possessionem quis nactus fuerit, is rem sese alienam possidere ignorare nequit. Enimvero, quæ cum scientia rei alienæ conjuncta est *possessio*, *malæ fidei* audit (a). Quare qui regalia & territorialia alterius jura dolo atque negligentia officialium possident, in mala fide constitutos esse, evidens est.

SCHOLION. Neque refert, an ipse Princeps, an vero officiales ejusdem dicta ratione in regalium possessionem subintrent; quum mandatarii, aut procuratoris mala fides nemini patrocinari debeat. Et si Princeps dolo aut negligentia sui ministri territorialia aut regalia jura haud amitti credit: quo, obsecro! juris atque justitiæ colore hunc titulum adversus alium probare poterit?

(a) *§ 35. Instit. de Rer. divisione* §. 2. *de Usucap. eod. L. 5. L. 6. L. 7. π. de acquir. vel amitt. possess. L. 22. C. de Rei vind.*

§. XV.

§. XV. Quapropter, cum malæ fidei poſſeſſio nonniſi per abuſum hoc nomine dignanda, ac potius contrectatio rei alienæ nuncupanda ſit (Opuſc. X. §. XXII. Schol.): poſſeſſionem regalium, quam vicini ſtatus, nobiles, landſaſſii, aut ſubditi, negligentia & dolo officialium acquirunt, ſpuriam, id eſt, pro nulla prorſus, omnique valore ac robore deſtituta, reputandam eſſe liquet.

SCHOLION. De landſaſſiis & ſubditis id eo minus dubii habet, quod jurium ſuperioritatis & regalium ne capaces quidem ſint; conſequenter aptitudine ad poſſidendum ejuscemodi jura careant. Verum & de aliis vicinis ſtatibus & membris imperii immediatis id expeditum videtur, quum Principes in ipſa officialium conſtitutione (§. VII.) quibuscunque alienationibus, translationibus & imminutionibus jurium ſuorum aperte contradicant, easque pro nullis habeant. Utut igitur ſegnitie, dolo & ſocordia officialium in alienas manus pervenerunt: ea tamen poſſeſſio omni juris effectu deſtituitur, poſſeſſione civili, & petitorio ex parte Principis deſpoliati ſemper liquido (a). Ac licet jurium, ſive rerum incorporalium, poſſeſſio patientia tradatur: ut tamen in regalibus idem procedat, ſcientia, &, quod ad ſubditos attinet, conceſſione Principis opus eſt. Atque adeo a non domino præſtita patientia nullius eſt efficaciæ, aut momenti (b).

(a) *Ibid.* §. 123. *ſeq.* Item SCHILTER. *Inſtit. J. publ. Lib. III. tit. 6.* quo loco Principem ex facto miniſtri, ſeu officialis, haud obligari, ex profeſſo oſtendit.

(b) *L. 2. C. de ſervit. & Aqu.* BERTR. de GOBEL. *P. I. n. 28.*

§. XVI. Conſequens eſt, ut, poſſeſſione hacce vitioſa nec quicquam obſtante, poſſeſſionem veram ac genuinam penes Principem atque rempublicam ſalvam manſiſſe dicamus, quam proin ab injuſtis detentoribus nullo non tempore avocare, & ratione optima recuperare valeat. Mala quippe fide, nulloque titulo, & plane non poſſidere, quod

effectus juris attinet, unum idemque sunt (a). Namque minister, aut officialis, regalia aut territorialia Principis jura in alios transferens, aliud, quam quod ipsi commissum erat, negotium fecisse censendus est (b). Unde civilem Principis possessionem nequaquam intervertere aptus erit.

SCHOLION. Nimirum, uti in casu simili in præjudicium mandantis dominium in emtorem haud transfertur (c), atque adeo, traditione haud obstante, mandator rem suam semper vindicat, nec repetenti exceptio rei venditæ & traditæ cum effectu opponitur (d): ita Principi aut reipublicæ, possessionem jurium suorum ab usurpatoribus eorundem repetenti, dolosum aut culposum ministri & officialis, in aliud plane constituti (*§. II. seq.*), factum obesse haud poterit. Veluti enim in casu priori *mandantis dominium*, ita in posteriori possessio in liquido *posita esse dignoscitur* (§ XV.).

(a) *Arg. L. 7. C. de acquir. possess.* REINKING. *Lib. I. Cl. III. C. III. n. 4.*
(b) *L. diligenter in pr. L. 33. circa fin. π. mandati* CARPZ. *Decis. CXXX. n. 1.*
(c) *L. cum mandat. 12. C. Mand.* CARPZ. *d. l. n 7.*
(d) *Arg. L. 1. §. Celsus π. de Except. rei venditæ.*

§. XVII. Porro, quum ministros atque officiales Principis nulla, reipublicæ & territorii jura alienandi aut in alios transferendi, potestate pollere, neminem latere queat (§§. VI. & VII.); consequenter s[illegible]ente & connivente ministro aut officiali jus quoddam regale aut territoriale Principis sibi asserens rei alienæ notitiam manifesto habeat (§. XIV.): patet, quam parum præsidii jurium Principis detentores ac usurpatores in eo inveniant, quando ad scientiam ministrorum & officialium provocant, eoque sese securos reputant.

SCHOLION. Confundunt scilicet scientiam ministrorum & officialium cum scientia Principis, & pares utrique effectus tribuunt, cum tamen toto cœlo differant (a). Scientia Principis, positis

poſitis terminis habilibus, operatur conſenſum tacitum in re ac negotio, quod Princeps licite gerit: non vero perinde miniſtri, ſeu officialis, ſcientia, utpote quæ nullius efficaciæ eſſe poteſt in re ac negotio, cui Principalis mandans aperte contradicit (§. VII.), quodque extra fines commiſſi officii eſſe, liquido conſtat (§. VI.).

(a) Conf. *Diſput. Baſilenſ. Vol. III. D. V.* §. 24. *lit. b.*

§. XVIII. Cui ſententiæ eo proniores ſuffragamur, quod, quum tam miniſtri & officiales dolo ac negligentia alienantes, maxime vero ſub hocce palladio in ſuperioritatis & regalia jura ſtatuum imperii ſubrepentes in notoria mala fide, & rei alienæ ſcientia verſentur (§. XIV.), eadem ita detentá atque uſurpata optimo jure pro rebus furtivis habeantur (a); atque adeo hoc ipſo ad omnes ſucceſſores & heredes tranſeuntia, omnesque tam in naturali æquitate fundatos, quam in jure communi definitos rerum furtivarum effectus poſt ſe trahentia vitia contraxiſſe dicenda ſint (b).

SCHOLION. Jura Principis regalia ejus ſunt naturæ atque indolis, ut, cujus ea ſint, facile diſcerni, proindeque ſuo domino reſtitui queant. Minus itaque excuſandi ſunt, qui clandeſtine ſubrepta jura Principis, quam qui furtivas privatorum res detinent, harum proprietariis haud ita facile detegendis; id quod agnovit JCtus ſagaciſſimus JO. SCHILTERIUS *in inſtit. J. P. lib. III. tit. 6.* de efficacia & valore poſſeſſionis, negligentia officialium indeptæ, *magis eſſe*, inquiens, *ut Princeps non teneatur, quum mandati fines egrediens committendo vel omittendo non obliget mandantem, quod & natura rei non patitur. Res per culpam vel & conniventiam officialis vel miniſtri ſurrepta, eſt furtiva, ita & actus aut uſurpatio, per eam admiſſa, manet reſpectu Domini clandeſtina & vitioſa.* In quo nec ipſas leges refragantes habet, ut eidem potius per omnia adſtipulentur (c).

(a) *§. 7. Inſtit. de Uſucap L. 24. §. 1. π. de Uſurpat* & *Uſucap. L. 12. C de retinend. poſſeſſ. L. 2. & ſeq. de Uſucap. pro Emt.*
(b) LAUTERB. *Colleg. Theor. pract. lib. LXI. tit. III.* §. 20.
(c) LAUTERB. *d. l.*

§. XIX. Cum mala fide nullam unquam procedere præscriptionem (a), nec consciis rei alienæ detentoribus qualemcunque temporis lapsum suffragari, aut jus aliquod firmum, stabile & perpetuum tribuere, ex universaliter recepta, summaque æquitatis ratione subnixa juris canonici doctrina expeditum est (b). Quin, si res vitio reali affecta, vitio licet purgato, perinde, ut a tertio bonæ fidei possessore, non nisi tempore longissimo, id est, XXX. vel XL. annorum spatio acquiritur (c). Quapropter, cum aut dolo, aut negligentia ministrorum atque officialium regalia & territorialia Principis jura sibi, sive per se, sive officiales suos (XIV. schol.) asserentes, malæ fidei possessores, *scientesque* rerum alienarum detentores habendi (§. XIV.); *ipsa vero* sic invasa jura, ceu res furtivæ (§. XVIII.), *vitio* reali affecta sint (§. eod.): Status imperii, dolo aut negligentia ministrorum & officialium invadentes statuum aliorum regalia, pleno atque irrevocabili jure eadem nunquam acquirere; bonæ autem fidei possessorem tertium, non minus atque ipsum dicta ratione acquirentem, vitio purgato regalia sua jura revocantem Principem, aut statum imperii alium, non nisi post XXX. vel XL. annorum lapsum exceptione præscriptionis excludere, prono consecutionis filo deducimus.

SCHOLION. Priori quippe casu tam ipsi acquirenti, quam ejusdem successoribus juxta communem in praxi receptam doctorum sententiam, mala fides in infinitum obstat: secus in casu altero. Cum enim inter pares, superiorem agnoscentes judicem, & legibus inter se patriis viventes, nisi aliud forte obstaculum, uti ex jure canonico mala fides, XXX. vel XL. annorum lapsu omnia jura extinguantur, exclusa quidem ordinaria, longissimi temporis præscriptio locum obtinebit (d), objecti qualitate, scilicet regalium & jurium territorialium natura atque indole nequipiam refragante. Siquidem respectus ille superioris ad inferiorem, qui solus hic diversitatem inducere poterat, inter status imperii, ceu pares, cessat: neque etiam, quod sola naturæ

atque

atque gentium jura enatis inter imperii membra controverſiis pro cynoſura atque norma habenda, praxis imperii & innumeræ coram ſummis imperii tribunalibus pendentes lites comprobent.

(a) *Cap. fin. de Præſcript. in 6.* Cap *poſſeſſor. de reg. J. in 6. Gloſſa in Cap. 1. de præſcript.* ibid. ANGEL §. *furtiva. Inſtit. de Uſucap.* MENOCH. *Conſ. CCLI. n. XL. n. LVI.*
(b) *Gloſſ. & DD. in Cap. 1. de præſcript. c. l.* PANORMIT. *in Cap. fin.* ✕ *de conſtit.* CRAVETTA *Conſil. CXLVI. n. 2. Vol. 1.*
(c) *Novell. 117. cap. 7. Auth. malæ fidei C. de præſcript. long. temp. L. 8. §. 1. C. de præſcript. 30. vel 40. Ann.* LAUTERB. *Colleg. Theoret. pract. lib. XLI. tit. III. §. 38.*
(d) LAUTERB. *d. l. ibique alleg. DD. & LL.*

§. XX. Nobiles imperii immediati, licet Imperatori & imperio ſine medio ſubſint, atque regalium capaces eſſe dignoſcantur (a), non tamen ſublimibus territorii juribus inſtructi ſunt (b). Unde quæ §. præcedenti de non præſcribendis aut acquirendis ex dolo & negligentia miniſtrorum & officialium regalibus, nec non ſuperioritatis territorialis juribus demonſtrata dedimus, a potiori tum locum ſibi vendicabunt, quando Principi cum nobili immediato res eſt: ita ut, quod territorii jura attinet, omnis hic præſcriptio exulet, & quæ negligentia officialium amiſſa fuere, nullo non tempore juſte repetantur; quoad regalia autem attendendum ſit, an ipſe acquirens, an vero tertius B. F. poſſeſſeſſor fraude ac negligentia miniſtri aut officialis invaſa jura Principis ſibi aſſertum eat? ac tum priori caſu propter malam fidem (§. XIV.), & inhærens rei vitium (§. XVIII.) nulla, poſteriori non niſi longiſſimi temporis præſcriptio currat (§. XIX.).

SCHOLION. Sunt præterea multæ rationes aliæ, quæ hanc, quam intuitu nobilitatis immediatæ fovemus, ſententiam commendent; quas inter haud poſtrema, quod in iis principatibus & ſtatuum territoriis ubi nobiles immediati prædia ſua eque-

ſtria intermixta poſſident, ſimulque præfecturas gerunt, juribus Principum vix ſatis proſpectum foret, ſi is fraudulentæ aut ſupinæ officialium negligentiæ effectus foret, ut ſub hoc iniquitatis palladio occupata jura Principis tempore præſcriptionis ordinario acquirerentur, atque ab iisdem revindicandis ſtatus in perpetuum excluderentur.

(a) PFEFFINGER *Vitriar. Illuſt. Tom. IV. lib. III. tit. 21. lit. m. p. 235.*
(b) STRUVE *Corp. J. Publ. Cap. XXXII. §. 8.*

§. XXI. Subditi & landſaſſii ſublimia territorii *jura* nunquam (a), regalia vero, in ſpecie ita dicta, & ſub*ordinatum* jurium territorialium exercitium ſola Princip*is conceſſione* (b), &, quæ eidem æquivalet, immemori*ali temporis* præſcriptione acquirere apti ſunt (c). Unde indeptam dolo aut negligentia officialium regalium aut territorialium jurium poſſeſſionem, per centum licet & plures annos continuatam, landſaſſiis & ſubditis ad acquirendum atque uſucapiendum necquicpiam proficere liquido pateſcit.

SCHOLION. Duplex hic adverſus Principem perfidia, dolus, atque negligentia concurrit, nimirum ex parte officialis, qui contra juratam ſuperiori ſuo fidelitatem regalia in landſaſſiorum ac ſubditorum manus venire patitur: dein ex parte ſubditorum, ſive landſaſſiorum, queis pro fide ac obſequio, quod Principi ac reipublicæ debent, citra inſignis offenſæ & criminis notam in ſacrarium ſummæ poteſtatis ſe ingerere, aut regalia jura uſurpare, haud convenit (d).

(a) COVARRUV. ad *Cap. poſſeſſ. p. 2. §. 2. n. 10.* HERT. de *ſuperiorit. territor. §. 97.*
Opuſc. X. §. 111. *ſeqq.*
(b) *Ibid.* §. 122.
(c) *Ibid.* §. 124.
(d) *Ibid.* §. 115. & 129.

§. XXII.

§. XXII. Habent vero dicta tum minus dubii, quando landsaffii aut subditi, in ministerio & officiis Principis constituti, ipsi in putatitiam jurium regalium possessionem sese intromittunt; consequenter ex propria fraude, dolo aut negligentia compendium quærunt. Quippe manifestæ eorundem malæ fidei, & nullo titulo cœptæ possessioni nullum tunc temporis lapsum adminiculari, aut jus stabile tribuere patescit (a).

SCHOLION. I. Quod si ALBERICUS de *J. B. & P. c.* 22. recte neget, negligentiam XC. vel C. annorum regnis & principatibus haud obesse, eosque semper posse repetere ab antecessoribus derelicta (b): id multo magis tum asserendum, quando non ipsi Principes, sed eorum officiales, negligentes extitere, & segnitie sua jura reipublicæ pessum ire passi sunt (c); potissimum, si non in pari dignitate constituti neque æquales, sed subjectitio nexu devincti landsassii jurium & rerum Principis usurpatores existant.

SCHOLION II. Concidunt adeo, quæ ex BRUNNEMANNO (d) atque STRYCKIO (e) affert RHODIUS in dissertatione de *præscriptione bonorum Principis C. I. n.* 45. & 46., quæque alii pro tuenda sententia contraria argumenta conquirunt, vel ex eo nullius aut exigui ponderis reputanda, quod de juribus agatur Principis & reipublicæ, ad modulum juris Justinianei aut privati haud dimetiendis: præsertim, quando inter superiorem, & subditos lis vertitur, atque hi adversus rempublicam eadem usurpare contendunt. Privatis negotiorum dominis tam dolus, quam culpa, a procuratoribus vel institoribus admissa, non aliter nocet, quam si solvendo sint, vel domino imputari queat, quare tam negligentem præposuerit: veluti adducti ab HARPRECHTO (f) ingenti numero testantur. Eccur diversum in Ministris seu officialibus Principis statuamus? quorum potestas non minus, quam institorum suis circumscripta esse limitibus dignoscitur, quos si egressi fuerint, Principem haud amplius obligant, multo minus eidem præjudicant. Neque enim aliter factum officialis pro fidei, & officii sui formulæ convenienter agit, neutiquam vero quando contra præfinitam instructionis normam jura regalia, atque territorialia negligit (g). (a)

(a) *Cap. dilecti. 7. §. potest. D. 16. 2. 3.*
(b) VITRIAR. *Instit. J. Civ. lib. II. tit. VI. n. 35.*
(c) L. B. ab ANDLER *Jurisprud. lib. I. tit. V. p. 10.*
(d) *Conf. CLXVII. n. 5.*
(e) *Differt. de oblig. Principis. ex facto Ministri. C. IV. n. 16. seqq.*
(f) *Vol. I. Conf. LXXXXV. n. 265.*
(g) PARIS de PUTEO *de Syndicat.* voce *compositio C. IX. n. 5.*

§. XXIII. Porro, quoniam Principes, antequam munerum publicorum candidatos ad officia actu promoveant, eorundem capacitatem, fidem, & morum probitatem quam potest curatissime explorare, atque in ipso officii ingressu sollemni juramenti formula ad exactissimam in concredito sibi munere diligentiam adigere solent; *proin nihil* in se, quod ad partes boni & vigilantis Principis pertinet, desiderari patiuntur: patet, admissam ex post in functionibus negligentiam, dolum aut fraudem ipsis nulla ratione imputari (a), multo minus juribus reipublicæ præjudicium inde enasci posse; attento præcipue, quod a suprema reipublicæ potestate in tanta negotiorum publicorum mole anxium illud, quod a patrefamilias, aut mandante, *requiritur* examen, prætendi neutiquam valeat.

SCHOLION. Atque eapropter nullus dubitat HARPRECHTUS (b), quin, si etiam Princeps suorum quos habet consiliariorum atque officialium juratæ fidei, diligentiæ, & ex plurimis argumentis comprobatæ probitati confiscus in rebus ad officium spectantibus ex ipsorum negligentia vel imperitia, quoad bona administrationi suæ concredita detrimenti quid capiat, isto nomine non Princeps, multo minus Episcopus, sed illi ipsi consiliarii atque officiales, aut qui rerum illarum peritiam profitentur, & sub fide corporalium juramentorum se ad quamvis possibilem diligentiam obstrinxerunt, modis omnibus teneantur, non distinguens (c) inter ministri, seu officialis, sive malitiam, sive negligentiam, cum tam in uno, quam in altero casu mandato omni destituantur.

(a) WESEN-

(a) WESENBEC. *Conſil. LIII. n. 55.* HEESER *de ration. reddend. loco* 10. *n.* 159.
(b) *Tom. I. Conſ. LXCV. n. 256.*
(c) *Ibid. n. 171.*

§. XXIV. Jurium ſuperioritatis territorialis & regalium alienatio res eſt maximi momenti, ad quam Principes & ſtatus imperii citra evidentem utilitatem, aut urgentiſſimam neceſſitatem haud deſcendunt: & ſiquidem eo deventum, alienationes ſive conceſſiones non ſine ſcrupuloſa ſollemnitate, confectis deſuper inſtrumentis publicis, obſervatisque aliis cautelis neceſſariis perfici ſolent; ita ut, ſi Principis voluntate regalia aut territorialia jura in alios translata fuerint, ejus rei vix obſcura eſſe demonſtratio aut probatio poſſit, vel ipſis archivis & actis publicis fidem ſubminiſtrantibus. Quando itaque ex adverſo, qui regalia & territorialia jura Principis poſſident, nec de conceſſione docere, nec immemorialis temporis lapſu ſeſe defendere valent: quid aliud ſupereſt, quam ut, ſub palladio negligentiæ aut doli miniſtrorum atque officialium, eosdem ſeſe in regalia Principis intruſiſſe ſtatuamus? Eſt ſane hæc voluntatis & facti conjectura fortiſſima, & ex negotii indole velut ſua ſponte profluens, ut veritati quam proxime accedat (Opuſc. X. §. LXXXII ſequ.), ac proin in dubio plenæ probationis vicem optimo jure ſuppleat (a), favore in cauſis regalium & jurium territorialium omni modo pro Pincipe & republica militante, ſatisque probato, quod ex juris probatione reſultat (b).

(a) MASCARD. *de probat. Concl. MCCXXII. n. 2.* MENOCH. *1. præſ.* 36. PACIAN. *1. de probat.* 8.
(b) *L. 74* & ibi JASON *n.* 13. *π. de Legat.* 1. COVARRUV. 2. *variar. Reſol. Cap. VI. n. 1.*

§. XXV. Quapropter, si status imperii, regalis aut territorialis cujusdam juris in alieno territorio possessor, adversus Principem aut statum alium, idem repetentem, in possessione manuteneri cupiat, præsumtione malæ fidei (§. XXXIV.) sese purgare, quodque nec proprio, nec antecessoris (a) dolo aut negligentia ministrorum & officialium, sed bona fide possideat, liquido docere necessum habet. In petitorio vero, aut juxta demonstrata superius (§. XIX.), præscriptionem adimpletam, aut pacto, transactione, aliove modo dominii & proprietatis translativo regale, de quo quæritur, se acquisivisse, probare ipsi incumbit. Probationis siquidem onus declinare nequit, qui fortes adeo rei alienæ, aut dolo aut negligentia invasæ, præsumtiones conta se patitur (§. XXIV.) (b).

SCHOLION. Eadem, quod regalia in specie ita dicta attinet (§. I.), ad Nobiles imperii immediatos in statuum territoriis, jura ejusmodi sibi asserentes, applicanda (§. XX.). Sublimia enim territorii jura cum possidendi haud capaces sint: horum intuitu melioris conditionis haud erunt, quam landsassii & status mediati, qui regalia domini territorialis jura usurpant, excepto, quod Nobiles immediati coram aliis instantiis, nimirum summis imperii tribunalibus conveniendi sunt.

(a) *L. cum heres π. de diverf. & temp. præscript. L. vitium C. de acqu. possess.*

(b) *Cap. un. ⁒ de Eccles. benefic.*

§. XXVI. Subditis & landsassiis alia via ad regalia & territorialia Principis jura haud patet, quam facta a domino territoriali concessio, aut immemorialis temporis lapsus (§. XXI.), concessioni æquivalens (a). De hac itaque si non doceant, præsumtamque inde malam possessionis fidem (§. XXIV.) & consciam rei alienæ detentionem non elidant, nulla eosdem possessio relevabit, aut contra Principem, sua

& reipublicæ jura repetentem, ſecuros reddet. Enimvero, ſi quando dolo aut negligentia miniſtrorum & officialium regalia ſibi aſſeruere: conceſſionem nunquam, immemorialis autem temporis lapſum, qualem eximia hæcce jura poſtulant, id eſt, ne per documenta quidem elidendum (b), vix ac ne vix quidem probare potes ſunt; uti per ſe patet. Quare contra ſubditos & landſaſſios, negligentia aut dolo officialium regalia occupantes, æternam Principum & ſtatuum imperii tam in poſſeſſorio, quam in petitorio auctoritatem eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. De poſſeſſorio id jam alio loco in genere demonſtratum dedimus (Opuſc. X.): mirandum ut ſit, eſſe adhuc inter JCtos tam faſcinatæ mentis, qui Principe, cum ſubdito aut landſaſſio de regalibus atque territorialibus ſuis juribus litigante, judicio poſſeſſorio locum eſſe contendant. Aſt ſunt hi pulchri illi effectus neglecti ſtudii juris publici univerſalis, & particularis Imp. R. Germ., cujus doctrina ſolidiori deſtituti, dum legum Juſtinianearum atque juris privati decempeda regalia quoque & ſublimia Principum jura emetiuntur, quodque inter pares (§. XIX. ſchol.), aut privatos juris eſt, nude crude ad ſtatus quoque imperii applicant, mirum quantas in republica confuſiones ſuſcitant. Et tamen quotidie vociferari audias: landſaſſium eſſe in poſſeſſione regalium: deſtitui eundem citra violentiam, ſummamque injuriam haud poſſe: & quæ ſunt ejus generis alia; quaſi vero injuria fiat ei, qui, quod neque ex conceſſionum chartis, neque ex inveſtiturarum litteris, aliisque documentis, aut uſu ſaltem immemoriali, tanquam unicis poſſidendi & acquirendi titulis demonſtrare nequit, ejus poſſeſſionem Principi ſuo dimittere cogitur. Si jura hæcce, perinde ut res aliæ privatæ, in commercio ſubditorum forent, haberet, quod ipſe fateor, æquitatis & juſtitiæ haud leve robur hæc DD. ſententia. Aſt cum de juribus Principis & reipubl. ſermo ſit: omni eo fundamento deſtituitur.

(a) *Opuſc. X. allegatis ſupra* (§. *XXI.*) *locis.*
(b) *Ibid.* §. 83. *ſeq.*
(c) *d. Opuſc. per totum, & præſertim* §. 142. *ſeq.*

§. XXVII. Cum itaque negligentia aut dolus ministrorum atque officialium possessionem Principis haud intervertat (§. XVI.): eandem a quocunque, etiam a constatu, modo ne armorum metus immineat, aut hic ad judicium provocet, avocare poterit (a) : id quod ratione landsassiorum & subditorum nullam dubitationem patitur, cum in causis regalium suorum Princeps indubitatus judex esse dignoscatur ; ita ut usurpationis & mala fide cœptæ possessionis argumentis ex parte fisci & reipublicæ in liquido positis, atque landsassio aut subdito neque concessionem, neque usum immemorialem docente, Princeps tam possessionem, quam ipsa jura regalia judiciali sententia sibi addicendi facultate polleat.

SCHOLION. Quod Princeps, in causas regalium suorum cum subditis controvertens, ipse judex sit, atque delegare ejus rei cognitionem consiliariis suis possit, fuse demonstrat HARPRECHTUS *Volum. novo Consil. Tubingens. Consil. XLVI. n. 68. sequ.* " In hoc plerosque conspirare asserens, quod, uti in universum quoad omnes in alicujus territorio exortas causarum " species, Principes ac domini territoriales ratione jurisdictionis " circa illas competentis, regulariter fundatam habeant inten- " tionem, notante WESENBECIO; *P. III. Consf. CXLVIII. n. 19.* " KIRCHOV. *T. V. var. Germ. ICt. Consil. I. n. 18. & post alios* " KNICHENIO *de J. territ. C. V. n. 100. seqq.* ita in specie " quoque in casu, quando ipsis cum aliquo subditorum suorum " lis vel controversia intercedit, idem pariformiter statuendum " sit, non quidem ad hunc effectum, ut ipse cognoscat, sed ad " hoc, ut ipsi tales subditos coram propriis suis consiliariis, " tanquam competente primæ instantiæ judice delegato, conve- " nire, & ab hisce ejusmodi causæ controversæ decidi valeant; " Hanc, inquiens, esse generalem Germaniæ consuetudinem, " ut Principes, cum suis subditis litem habentes, eosdem coram " propriis suis curiis & dicasteriis convenire possint, nec statim " suprema imperii tribunalia adire teneantur, uti ex praxi te- " statur ZAS. ad *L. 10. n. 13. & 28. π. de Jurisd.*, & in *Paratit. π. eod. tit.* GOEDDE. *Consil. Marpurg. Vol. IV. Consf.* XXXIX.

" *XXXIX. n. 110.* RICHTER *Vol. II. Conſ. CCLIX.* de LUDOLF
" *J. Cameral. p. 29.* ubi dicta tum potiſſimum, quando Principes judicia bene conſtituta habent, locum obtinere docet.

(a) *Arg. Cap. Cæſareæ Art. VIII.* §. Geſtalten auch jeder Chur-Fürſt ꝛc. ſub finem: Und ſoll darneben einem jeden Chur-Fürſten/ Fürſten und Stand/ die freye Reichs-Ritterſchaft mitbegriffen/ erlaubt seyn/ ſich und die ſeinige ſolcher Beſchwerden/ wie alſchon vermeldet/ ſelbſt ſo gut er kan/ zu entledigen/ und befreyen. Conf. ZIEGLER de *J. Majeſt. L. I. C. I. §. 31.* WILDVOGEL *Diſſert. de cauſa propria C. II. §. 18.* SCHWEDER *de foro Illuſtrium.* BLUM. *Proceſſ. Camer. tit. XXVI. n. 27.*

§. XXVIII. At vero, regeris, ſi ita ſeſe res habeat, & neque dolus, neque negligentia officialium juribus Principis ac reipublicæ officiat (§. XVII.), ut potius nullo non tempore a detentoribus avocari valeant (§. XVI. & XXVI.), quid, obſecro! de juribus territorialibus atque regalibus ſtatuum imperii fiet? Siquidem non minus & hæc ad jura Imperatorum atque imperii pertinuiſſe, & ducum, comitum aliorumque regni ſeu dolo, ſeu negligentia ad ſtatus Imp. perveniſſe conſtat: conſequenter æquali ratione inde repeti poſſe videantur. Verum enimvero perperam hæc ad ſtatus imperii trahi, vel inde patet, quod regalia atque territorialia ſua jura maximam partem ex conceſſionibus Imperatorum, inveſtituris, immemoriali uſu, atque obſervantia, legibus imperii publicis, inſtrumento pacis, & capitulationibus cæſareis roborata, adeoque ex titulo plus quam ſufficienti, jureque optimo maximo poſſideant. Statuum provincialium & landſaſſiorum ſortem dudum ſupergreſſi ſunt proceres imperii, ut cum illis citra abſurditatis notam comparari vix poſſint. Imperantium potius claſſi accenſendi veniunt, in vindicandis, atque recuperandis ſublimibus territorii, & regalibus juribus pari cum ſummis rerumpublicarum poteſtatibus jure utentes.

 §. XXIX.

§. XXIX. Statuminatis principiis hisce generalibus, superest, ut ad regalia & superioritatis territorialis jura in specie pedem promoveamus, brevibus ostensuri, qua ratione negligentia & dolo officialium e juribus Principis avelli, usurparique soleant; quoque jure domini territoriales eadem, juxta demonstrata, hucusque revocent.

§. XXX. A potestate itaque Principum legislatoria, quæ inter jura territorialia primum facile locum sibi vindicat, initium faciemus. Multifariam eandem tum a vicinis statibus, & membris Imp. immediatis, tum a landsassiis & subditis usurpari, & conniventibus ministris atque officialibus invadi posse nemo dubitat: id quod fit I., *quando in locis*, jurisdictioni territoriali Principis subjectis, alieno nomine mandata affigi, legesve promulgari patiuntur, aut clandestine & subreptitie promulgatas tanquam normas legales agnoscunt, quin plane executioni mandant; *vel saltem*, quod adversus superioris sui leges ferendi potestatem attentatum, in tempore haud denuntiant, neque protestando, atque contradicendo irritant, II. quando leges & mandata Principis in locis, ubi landsassii & status provinciales nonnisi jurisdictione bassa atque voghteia inferiore gaudent, haud affigunt, & domini territorialis auctoritate atque nomine promulgant, indeque exemtionibus a jurisdictione territoriali attentandis ansam subministrant; III. quando aliorum violationibus obviam haud eunt, neque manu forti possessionem Principis sui defendunt. IV. Denique potestati legislatoriæ præjudicium imminet, quando domini voghtetici sub prætextu evulgandorum mandatorum, ad exercitium jurisdictionis inferioris pertinentium, conniventibus, aut dolose adminiculantibus officialibus Principis limites *suæ* potestatis egrediuntur, atque jus ferendi leges publicas, cum excidio manifesto jurisdictionis territorialis, sibi arrogant.

Enim-

Enimvero, cum ea poteſtas cum ſuperioritate indivulſo nexu cohæreat, ſolique domini territoriales eximio hocce jure ab Imperatoribus inveſtiantur: donec hæc in dubium haud vocatur, nec exemtio argumentis graviſſimis probata fuerit, qualescunque hi ſub palladio negligentiæ & doli officialium patrati actus jus Principis circa ferendas, promulgandas, & exequendas leges haud evertere aut perimere potes ſunt (§§. XV. XIX. ſq.); quin, iisdem non obſtantibus, dominus territorialis mandata ſua in locis, pagis & diſtrictibus landſaſſiorum, intra limites territorii comprehenſis, absque ulla requiſitione (a) publice affiget, leges edicet, & univerſim obſervandas præcipiet, atque per officiales ac miniſtros ſubalternos executioni mandabit, vi & manu forti, ubi opus, uſurus. Nulla hic in contrarium conſuetudo, nulla poſſeſſio quidpiam operabitur (§. XXV. & XXVI.); utpote quæ, ceu ſub- & obreptitie obtenta, nullius roboris eſſe dignoſcitur.

SCHOLION. I. Hæc potiſſimum tunc obtinere debebunt, quando illi ipſi landſaſſii & ſubditi, qui ad ſublimiorem libertatis & exemtionis auram captandam nares erigunt, variis ſeſe artibus & clandeſtinis machinamentis a ſubjectione, ac legislatoria Principis poteſtate eximere, unaque cum ſubditis ſuis voghteticis in ſtatum immedietatis adſerere pertentant. Quippe concurrente cum miniſtrorum & officialium negligentia, dolo atque fraude propria malæ fidei poſſeſſio nihil dubii habet; ac proin nulla præſcriptio, aut temporis lapſus uſurpatoribus ejusmodi poteſtatis legislatoriæ ſuffragabitur.

SCHOLION. II. Apparet tamen, ad præſcindendas omnes exinde enaſcituras controverſias, vel maxime præcavendum eſſe, ne negligentia aut dolo officialium quidpiam juribus Principis adverſum admittatur, nec clandeſtinis exemtionibus, atque jurium voghteticorum extenſionibus locus relinquatur. Qua in re inſcitia miniſtrorum & officialium non una vice peccatur; quando nimirum limitum jurisdictionis voghteticæ haud gnari, ad

eandem

eandem referri patiuntur, quæ juxta veriora juris publici principia, ipsamque bassæ jurisdictionis veram indolem superioritati territoriali magis cohærent; quorum magnum numerum recenset GRIBNERUS in dissertatione, *de Juribus Principis regalibus, quæ vulgo, sed perperam, ad jurisdictionem referuntur*; recte non uno loco innuens, quod Princeps, quando jurisdictionem in inferiores transfert, non legislatoriam, sed jurisdicundi potestatem transtulisse, illamque sibi semper reservasse præsumendus sit.

(a) Probat hoc ex MASCARDO *Concl. CCCCXCVIII. n. 2.* MICHAEL *de Jurisd. CLII l. c.* STEPH. *de jurisd. L. II. P. I. C. VII. n. 350.*; *Auctor* des klugen Beamtens *tit. XVII. §. 11.* addens: Daß derohalben nit könne zugemuthet oder ausgestanden werden/daß der Landes-Herr die Publication erst von dem Inferiori ersuche / und die *Affixion* an die Kirchen-Thüre ausbitte. Item *P. I. tit. XL. §. 18.* quo loco jus mandata affingendi ad superiorem jurisdictionem recte refert, ita ut inconsulto domino voghtetico ea & affigere, & promulgare, atque executioni mandare valeat.

§. XXXI. Eodem modo sese res habet cum jure exigendi homagium subjectionis territorialis, cum superioritate statuum ita connexo, ut unum absque altero concipi nequeat, ac quamprimum subditum se quis profiteatur, ad præstationem homagii insimul obstrictum sese agnoscat (a). Quapropter si negligentia & vecordia ministrorum atque officialium statuum provincialium & landsassiorum subditi mediati hocce subjectionis juramentum, den Landes-Huldigungs-Eyd/præstare intermiserint, indeque immunitatem ab hocce obligationis vinculo prætendant: id domino territoriali fraudi esse nequit, nec ex hac omissione landsassiis, eorumve subditis jus aliquod, seu exemtio acquiritur (§. XV. & XVI.); ut potius quandocunque evocanti territorii domino subjectionis fidem atque homagium jurare necessum habeant.

SCHO-

SCHOLION. Causam, cur subditos suos ad præstandum domino territoriali homagium haud obstrictos esse contendunt, hanc sæpe proferunt landsassii; quod scilicet homagio subjectionis hereditariæ, durch den Erb-Huldigungs-Eyd/ sibi jam jam devincti, consequenter ad præstationem alterius homagii adigi haud queant. Enimvero quis non videt, confundi hic homagium subjectionis territorialis, die Landes-Huldigung/ cum juramento sive homagio subjectionis hereditariæ, der Erb-Huldigung/ dominis hereditariis ab hominibus propriis, & subditis suis mediatis præstari solito, nec aliam inducente obligationem, quam ut suis dominis in actibus jurisdictionis voghteticæ pareant; cum prius multo latius pateat, & ad jura tam belli, quam pacis, sequelæ, verbo, ad universum jurium territorialium complexum sese protendat; ac proin præstito homagio priori, posterioris obligatio nequaquam cesset: adeo ut dominus territorii idem pro lubitu exigere possit, quod & meo judicio consultum videtur, ne, dum subditi isti mediati nullam Principi fidelitatem jurant, erronea ipsis opinio in animo ingeneneretur, quasi ab omni subjectione territoriali immunes forent, indeque infinitis litigiis ansa ac fomentum subministretur.

SCHOLION. II. Quod si tamen landsassii, dum domino territoriali fidem homagialem & subjectionem jurato firmant, subditorum suorum voghteticorum, id est, intuitu Principis mediatorum, insimul mentionem faciant, ac velut procuratorio nomine pro iisdem quoque juramentum homagiale præstent, aliter sentiendum; nec ulteriori tunc subjectionis vinculo illigandi erunt; de quibus juramentorum, a landsassiis præstandorum, formulis in casibus particularibus plenior notitia hauriri poterit: quin nec pacta & recessus, Principes inter & status suos provinciales legitime initi, insuper habendi, utpote in ipsis rerum momentis omne pene punctum ferentes.

(a) STRUVE *Corp. Jur. publ. Cap. XXX. §. 4. seq.*

§. XXXII. Jurisdictio, quam domini territoriales in subditos suos exercent, non minus inter eminentiora superioritatis territorialis effluvia referenda; qua quod tacito con-

sensu sese abdicaverint, nulla præsumtio militat (§ XXIV). Quapropter, si aut vicini constatus, aut landsassii & subditi negligentia vel dolo ministrorum atque officialium jurisdictionem qualemcunque, sive criminalem & centenariam, civilem, voghteticam, forestalem, aliamve ejus speciem, in subditos sibi asseruerint, atque se suosque ab eadem eximere attemptaverint: ea officialium vecordia Principi in recuperandis suis juribus neutiquam nocumento erit, sed subditos, jurisdictioni suæ clandestine subtractos, mediis convenientibus (§. XXVII.) optimo jure ad judicia atque forum pristinum revocabit (§. XXVI.).

SCHOLION. Falluntur itaque, qui alia, quam *supra* (§. *eod.* XXVI.) explanavimus, ratione manuteneri *se posse* existimant; potissimum landsassii & status provinciales, qui uti non nisi subordinatam domino territoriali, & ab ejus suprema jurisdictione per omnia dependentem, jurisdicundi potestatem possidere apti sunt, ita, hanc ipsam ex indubiis documentis & immemorialis temporis usu demonstrandi, onus, atque necessitas ipsis incumbit (a).

(a) ENGELBRECHT *de Jurisdict. n.* 172. COVARRUV. *Cap. possess. §. 2. n.* 12. RICHTER. *decis.* 21. *n.* 49. COTHMAN. *Vol. IV. Consil. I.*

§. XXXIII. Ex dictis facile colligitur, multo minus extremum provocandi jus, ceu nobilissimam atque essentialem superioritatis territorialis partem (a), ministrorum, præfectorum, atque officialium negligentia landsassiis acquiri, proindeque e juribus Principis avelli; perpenso præsertim, quod landsassiorum fraudulentæ machinationes, & præmeditatus dolus ut plurimum concurrant, consequenter acquirere volentes in aperta mala fide constituti deprehendantur: in quem finem subditis suis, datis ad id clandestinis mandatis, severe subinde inhibere solent, ne qualescunque causas judiciales

diciales via appellationis ad dicasteria superioris sui Principis territorialis deferant, sed aut per modum revisionis coram priori instantia, vel transactione amicabili privatim finiant, aut, si neutrum succedat, præterito contra LL. Imp. publicas ordinario superiori judice (b), ad suprema imperii tribunalia provolent; parum tamen prospero inde sperando successu, quum, extremum hocce provocandi jus nullo unquam tempore ab inferiori, seu subdito, adversus territorii dominum præscribi, notorii (§. XXVI.) atque expediti juris sit (c).

SCHOLION. Quare, cum tantopere intersit, ut eximium hocce superioritatis territorialis effluvium Principi sartum & illibatum servetur, patet, justam superioris vindictam, atque pœnas accerrimas in se provocare, qui nefariis hisce ausibus & callidis machinamentis se & subditos suos mediatos ab omnimodâ domini territorialis subjectione subtrahere, & in plenariæ exemtionis statum adserere attemptant, indictis mulctis pecuniariis, aut privatione jurisdictionis suæ voghreticæ, aliisque mediis convenientibus in ordinem redigendi. Maxima hic ministrorum & officialium sollicitudo, quin & vigilantia summa requiritur, quo initiis obviam eatur, atque præparata in ruinam jurium reipublicæ retia in tempore disrumpantur.

(a) REINKING *Reg. Sec. & Eccl. Cl. I. V. IV. n. 120.* KNICHEN. *Encyclop. C. LXI. n. 31.* ZACHAR. VIETOR. *de exemt. Concl. XXXVI.* RUTGER. RULAND. *de Commiss. P. IV. Lib. II.* MASCARD. *de probat. Concl. CXLVI. n. 4.* GAIL. *de arrestis. C. VIII. n. 45.*

(b) *Capit. Cæsareæ. Art. XV.* verbis: Wir wollen die mittelbaren/ und der Stände Lands-Unterthanen in unserm Kayserlichen Schutz haben/ und zum schuldigen Gehorsam gegen ihre Landes-Obrigkeiten anhalten/ wie Wir dann von keinem Chur-Fürsten/ Fürsten und Stand (die unmittelbare Reichs Ritterschafft mit begriffen) seine Landsassen/ ihme mit oder ohne Mittel unterworffene Unterthanen/ und mit Landes Fürstlichen/ auch andern Pflichten zugethane eingesessene und zum Lande gehöri-

ge / von deren Bothmäßigkeit und Jurisdiction, wie auch wegen Landes Fürstlicher hohen Obrigkeit rechtmäßig hergebrachten respective Steuern - - - - - eximiren und befreyen / noch solches andern gestatten.

(c) KNICHEN *d. l. n. 3.* STEPHAN. *de Jurisdict. lib. II. p. I. c. 7. n. 376.* & potissimum SL VOGHT *de jure recipiendi provocationes ex jure superioritatis oriundo Cap. II. §. 11.*

§. XXXIV. Jus quoque politiæ territorialis, ad jura Principis eminentiora haud dubie pertinens (a), a vicinis statibus, potissimum vero landsassiis & dominis *jurisdictionalibus*, conniventibus atque indulgentibus *ministris & officialibus* Principis varie usurpari ac invadi *experientia comprobat*; eoque crebriores hic sese abusus *manifestant*, quod jurisdictionis bassæ sive inferioris civilis limites nulla in re magis obscuri esse deprehendantur, multis ad eandem referentibus, quæ meliori longe jure jurisdictioui territoriali Principis vindicantur. In quo conflictu ex sanioribus juris publici principiis ego ita judico: commerciorum florem per universum territorium salutaribus legibus augendi, opificiorum ordinationes publico proficuas condendi, pondera, mensuras, & ulnas uniformiter determinandi, immutandive, pro avertendis morbis contagiosis tam hominum, quam pecudum, nec non incendiis tum præcavendis, tum restinguendis similibusque ad bonum civitatis & territorii commune tendentibus institutis introducendis media necessaria præscribendi, & in omnibus territorii partibus promulgandi facultatem soli domino territoriali competere, eumque, quo minus hæc omnia tam in landsassiorum bonis & terris mediatis, quam propriis & immediatis ad effectum deducat, nullo jure impediri; universali territorii regimine non landsassiis, sed Principibus ab Imperatore & imperio concredito. Fieri interim haud raro, ut levioris

notæ

notæ politiæ jura, neceſſitate præſertim publica, & communi bono inſpectionem officiumque ſupremum Principis haud adeo flagitante, dominis jurisdictionalibus & landſaſſiis familiaritatis quodam jure relinquantur; ut ſcilicet Principis nomine ea procurent, quo pervigil ejusdem oculus ob nimiam negotiorum molem haud pertingit, ſuprema directione, & in caſu neceſſitatis aliter providendi facultate ſemper ſalva.

SCHOLION. Hæc in regula: quo ipſo tamen peculiaribus obſervantiis, in uno alterove territorio legitime introductis, nec clandeſtine atque negligentia officialium ſub-& obreptive emendicatis, neutiquam præjudicatum volumus; id ſolum monentes ejusmodi aberrationibus a regula & contrariis obſervantiis non facile dandum eſſe, ne, dum quilibet domicellus in pago ſuo leges ferendi & politiam proprio arbitrio moderandi poteſtatem ſibi ſumit, loco regularis reipublicæ prodeat tandem *Monſtrum horrendum ingens, terribile viſu.*

(a) STRUVE *Corp. J. publ. Cap. XXX.* §. *14.*

§. XXXV. Jus con-atque deſtituendi magiſtratus, aliosque officiales publicos inter prima majeſtatis axiomata connumerant civilis prudentiæ doctores (a), adeo, ut, ſiquis privatus ſine legitimi ſui ſuperioris auctoritate eam facultatem ſibi aſſerere præſumſerit, is majeſtatis læſæ crimen haud immerito incurriſſe dicendus ſit (b). Unde prona fluit concluſio, quod, qui in territorio Principis, ſive vicini ſtatus & membra imperii immediata, ſive landſaſſii, ſtatus provinciales, & civitates municipales ſola miniſtrorum atque officialium negligentia ſeu dolo magiſtratus civiles, quorum alias conſtitutio ad dominum territorii ſpectat, ordinandi aut deſtituendi jus ſibi adſcribunt, adverſus Principem in poſſeſſorio nunquam, in petitorio autem nonniſi

probata conceffione, aut immemoriali poffeffione, purgatove vitio fecuri fint (§§. XXV. XXVI).

SCHOLION. Probe hic attendendum, ne fubordinati magiftratus & domini jurisdictionales conceffa fibi poteftate abutantur, juftosve ejusdem limites egrediantur; id quod multoties fieri videmus, quando voghteiæ inferioris jura cum evidenti dominorum territorialium atque Principum præjudicio jufto latius extenduntur, pro colorandis hifce abufibus, nefcio qua putatitia obfervantia in fubfidium vocata: quam tamen omni carere effectu ex dictis liquet, ut potius læfi in fuis juribus Principes inhibere tales actus, & ufurpatam ab inferiori poteftatem quovis tempore revocare valeant (c).

(a) ZIEGLER *de J. Majeft. lib. I. Cap. XXIX. §. 3. fub fin.* allegans Ariftot. *lib. IV. polit. c.* 14.
(b) *Ibid. L. 3. ad L. Jul. Majeft.*
(c) ZIEGLER *d. l. §. 44.*

§. XXXVI. Belli & pacis, eisque cohærentia fequelæ, delectus, fortalitiorum, præfidii, guardiæ, aperturæ, metatorum & fimilia jura cum fuperioritate territoriali effentiali nexu ita conjuncta funt (a), ut feparari ab eadem nulla ratione valeant (b). Quando itaque a miniftris & officialibus negligi, atque a vicinis ftatibus invadi, aut plane a landfaffiis & fubditis propriis ufurpari ea contigerit: actus ifti, atque ufurpationes tanquam clandeftinæ, vitiofæ, & malæ fidei nullius effe valoris aut roboris queunt. Quo enim effectu dominus jurisdictionalis & voghteticus, alterius fuperioritati fubjectus, jura præfidii, delectus, metatorum &c. fibi tanquam propria vindicare poterit? cum id folis ftatibus leges imperii publicæ adfcribant (b), & Princeps, abolito infefto jure manuario, vim aut apparatum bellicum privatum in fuo territorio tolerare nequeat. Nil igitur obftabit, quo minus, putativis poffeffionis factis necquicquam

remo-

remorantibus, omnia hæcce jura ad se trahat, & veluti legitimus eorundem dominus ac possessor privative exerceat.

SCHOLION. Quoniam Nobiles imperii immediati sigillatim jure belli ac pacis, præsidii, aut fortalitiorum haud gaudent (c): patet, quantum eximia hæcce & sublimia jura attinet, eosdem adversus imperii status, de competente sibi in loco controverso superioritate legitime docentes, nulla ratione nec in possessorio, nec in petitorio manutenendos, aut defendendos esse. Quod vero equestria bona immediata concernit, aut Imperator immediate, aut ejusdem nomine Nobilitas in corpore has majestatis & supremæ potestatis partes exercebit.

(a) STRUVE *Corp. J. publ. Cap. XXIX. §. 56. sequ.*
(b) *Capit Cæsarea. Art. VI. §.* So viel aber die Stände des Reichs ꝛc. *Item Art. IV. §.* Jedoch sollen und wollen ꝛc sub f Immassen dieses (scil. jus exstruendi fortalitia.) allein die Landes-Herrn nach denen Reichs-Satzungen in ihren territoriis zu thun befugt sind.
(c) STRUVE *d. l. cap. XXXII. §. 8.*

§. XXXVII. Ut idem quoque de jure collectandi obtinere statuamus, nullis novis argumentis opus est; quum ab alio, quam a territorii domino, atque immediato Imp. membro aut ejusdem nomine exerceri nequeat (a). Quantocunque adeo tempore collectæ dolo & negligentia officialium præstitæ haud fuerint, eas tamen exigendi, atque subditis suis tam mediatis, quam immediatis imponendi Principi facultas semper integra erit (b); hac potissimum ex ratione, quod tributa intuitu prædiorum in signum subjectionis territorialis præstentur, qualia quæ sunt, negligentia officialium haud pereunt: præsertim, quousque subjectionis vinculum haud dissolutum appareat (c), ipsique landsassii eorumque subditi superioritatem Principis comiter venerantur.

SCHO-

SCHOLION An? & quatenus pacta, quibus certam collectarum quotam landsassii sibi stipulantur, valeant, de eo alio loco dispiciemus. Negligentia saltem officialium & intermissione exercitii regale hocce Principum haud perire, expeditum est; in eamque sententiam responderunt Hallenses *Tom. II. Lib. II. Resp. 64. n. 55.* ibi: Dieweilen aber der Landes Herr seinen Consens zu diser Uberlassung des Juris collectandi Herrschaftlichen Unterthanen nicht schlechterdings/ sondern unter der Condition ertheilt/ . . . . & paulo post: Wogegen dasjenige/ was nachhero geschehen/ den Principem deswegen nicht beschweren mag: theils weilen einem Landes-Herrn nicht anzumuthen/ daß er sich bey seiner Regierungs-Last um dergleichen Umstände bekümmere: theils auch/ wenn seine Bediente hierunter nachläßig gewesen/ und sich von dem Credit des Ministers intimidiren/ und Pflicht vergessen machen lassen/ dem Landes-Herrn negligentia officialium keineswegs sein Recht nehmen können/ am allerwenigsten aber ein Unterthan und Bedienter wieder seinen Amts-Eyd/ nach welchen er des Herrn Nutzen zu suchen/ und disen dem seinigen vorzuziehen verbunden/ von dergleichen profitiren mag.

(a) STRUVE *Corp. J. P. Cap. XXX. §. 28. Cap. Cæsar. Art. XV.* ibi: auch nicht gut heissen/ oder zugeben/ daß die Land-Stände . . wider des jüngsten Reichs-Abschieds ausdrückliche Verordnung/ sich des Beytrags/ womit jedes Churfürsten und Standes Landsassen und Unterthanen zu Besetz- und Erhaltung derer/ einem und andern Reichs-Stande zugehöriger nöthiger Vestungen/ Pläze und Guarnisonen/ wie auch zu unseres/ und des Heiligen Reichs-Cammer-Gerichts-Unterhalt/ an Hand zu gehen schuldig seyn/ zur Ungebühr entschlagen.

(b) LYNCKER *Resp. XXXV.*

(c) BOEHMER *Tom. I. P. II. Resp. XVIII. n. 2.* ibi: Das Jus subcollectandi ist als ein hohes Regal anzusehen/ welches keiner Præscription unterworffen 2c.

§. XXXVIII. Nullis autem Principum atque statuum imperii juribus magis infesta est ministrorum atque officia-

lium

lium negligentia, quam utilibus, ſeu in ſpecie ita dictis fiſci regalibus (§. I.): in quem cenſum jus venandi, jus foreſtæ, vectigalium, minerarum & metallifodinarum, regale jus fluminum, & pontium, jus detractus, atque his ſimilia alia plura refero. Vix credi poteſt, quantum iisdem diſcriminis partim a vicinis ſtatibus & nobilibus immediatis, partim a landſaſſiis atque ſubditis immineat; ut ſane, ſi negligentia officialium, jure eadem in alios transferri, admitteremus, Principes ac ſtatus opimioribus ſuis juribus mox exutum iri, tam certum foret, quam quod certiſſimum: atque id vel in ſolo regali venandi jure exemplis illuſtrare poſſemus quamplurimis. Nec equidem infrequens eſt, ut, qui per plura luſtra vel ex contractu locati conducti, vel familiari atque precario jure, connivente agnato, aut amico, tum temporis præfecto, in territorio Principis venationes exercuere, ex poſt bannum ferinum tanquam proprium ſibi vendicent, ſuaque idem auctoritate exercere intendant. Verum enim vero, ſi Princeps vel ex præſumtione generali territorii, vel ex documentis & chartis antiquis de competente ſibi jure regali fidem faciat, parum uſurpantibus proderit ſub- & obreptitie nacta poſſeſſio (§. XV. ſeq.): perinde, ut civitas aut municipium, aliique ſubditi mediati neque a detractus, neque a vectigalium jure immunitatem jure prætendere poterunt, ſi negligentia aut dolo officialium intra C. & plures annos ab emigrantibus, aut merces transvehentibus, emigrationis cenſus, ſeu vectigal exactum haud fuerit (§. XXVI.).

SCHOLION. Idem de regalibus reliquis eſto judicium. Ab initio tamen poſſeſſionem ſartam tectam ſervare, & uſurpatores modis omnibus ab invadendis Principis & reipublicæ juribus arcere, conſultum eſſe, nemo non perſpicit; in quem finem vim quoque adhibere domino territorii integrum eſt, juxta ea, quæ ſupra (§. XXVII.) demonſtrata dedimus, quæque tradit ERTL

lib. II. prax. aur. de jurisd. cap. 26. in fin. pulchro exemplo illustrans, qua ratione ex usu venationis familiari possessores precarii tandem jus firmum exsculpere pertentent.

§. XXXIX. Quæ brevitatis studio impræsens prætermittimus alia, tam territorialia, quam regalia Principum jura, ex iisdem prorsus principiis dijudicanda erunt: sic e. g. *jus recipiendi judæos*, iisque protectionem concedendi, quod ad reservata jura Imperatoris olim ita pertinuit, ut, donec in A. B. Electoribus, atque successu temporis tacita observantia, legibus imp. publicis (a) roborata, reliquis quoque imperii statibus ejusdem facultas facta fuisset, *his ne in* territoriis quidem propriis eosdem protegere, *aut domicilium* mansionemque indulgere integrum fuer*it, hodie inter* insignia territorii jura, atque eminentiora superioritatis effluvia connumeratur. Quod si itaque negligentia ac dolo officialium abusus irrepserint, atque domini jurisdictionales voghtetici in pagis suis & prædiis mediatis eandem sibi potestatem adscribere conati fors fuerint: id possessores ejusmodi landsassios in spuria hacce possessione necquicquam tuebitur; quin potius, Princeps, tanquam territorii dominus, sub cujus solius tutamine judæi vivunt, optimo jure eam sibi non tantum protectionem, sed & inde provenientes utilitates & reditus vindicaturus est.

SCHOLION. Olim plane nobilibus immediatis ea facultas negabatur (b): cujus tamen asserti falsitatem notoria imperii praxis abunde hodie comprobat. Landsassios vero citra specialem Principis concessionem nulla ratione ejusdem juris capaces esse, pervulgati, atque explorati juris est; verbis ordinationis politicæ de a. 1548. idem indubium relinquentibus: Setzen / ordnen / und wollen Wir / daß führohin niemand Juden anzunehmen / oder zu halten gestattet werden soll / dann denjenigen / die von Uns / und dem Heiligen Reich Regalia haben / oder insonderheit derhalben privilegiret seyn. Item de a. 1577. Da aber jemand darüber Juden aufnehmen würde: So sollen doch dieselbe

an

an keinem Ort Sicherheit / und Geleit haben / daneben von Uns ernſtlich Einſehens dargegen vorgenommen und abgeſchaffet werden (c). Ac licet juxta ERTELIUM in praxi *Aur. Jurisdiction.* (d) in Franconia domini etiam voghtetici jus recipiendi judæos exercere prætendant; ſubjungit tamen, recteque monet, id de facto magis, quam jure fieri, proindeque in receptatores condignas a domino territorii pœnas merito ſtatui, judæis ita receptis nulla neque ſecuritate, neque protectione gaudentibus (e). Nec obſtant, quæ apud WEHNERUM in *obſervationibus practicis* (f) leguntur: Daß die von Adel im Lande zu Francken / auch Macht haben in ihren Flecken / und auf ihren Gütern denen Juden Begräbnuß und Schulen einzugeben. Siquidem, advertente LOCHNERO *d. diſſert. C. II.* §. 4. & BECKIO *tr.* Vom Juden-Recht *cap. III.* §. *4. p. 31.* alisque ibi citatis, ea verba de ſuperiori vogthteia, qua pollent Nobiles immediati intelligenda ſunt; utpote, quæ voghteia eſt ſpecies ſuperioritatis territorialis, exceptis grandioribus quatuor delictis, aut jurisdictione centenali: eidem ſaltem quam proxime accedit.

(a) *Ordinat. polit. de a. 1577. tit.* von Juden.
(b) *Vid.* PFEFFINGER. *Vitriar. Illuſtr. Tom. III. Lib. III. tit. 7. §. 82. lit. c.*
(c) *Confer. quoque* LOCHNER *diſſert. de reſervato imperatoris exigendi aurum coronarium a Judæis. C. II.* §. *4.* verbis: *Sed ceteris mediatis membris hæc facultas non competit.*
(d) *P. II. Cap. VIII p* 410. *edit. German.*
(e) *Idem cit l.* cum SCHWANNEM. *Obſerv. Jur. Cam. 152. & 125.* PETR. DENAIS. *de J. Camer. C. CL. n. 7.* MANZ. *deciſ. palat. 95. n 17.* exemplo idem in Palatinatu ſuperiori illuſtrans, judæis quippe in pago quodam ordinis Teutonici haud aliter toleratis, quam dum apud dominum territorii, ducem ſcil. Neoburgenſem, pro protectione ſupplicaſſent, eandemque impetraſſent.
(f) *Lit. I. verb.* Juden §. *an Judæi. V.* verb. Vogthey.

§. XL. Quæ de ſæcularibus dominorum territorialium juribus, negligentia ac dolo miniſtrorum & officialium haud amittendis hucusque ediſſeruimus, optima ratione ad

eximia quoque Episcoporum jura trahi, nemo non videt; quum & hæc cum dignitate, officio & charactere episcopali ita connexa esse videantur, ut inde avulsa non nisi mutilam & mancam Episcoporum potestatem, atque pastorale officium relinquant. Unde tam in conciliis, quam canonum jure provide cautum, ne quis adversus Episcopum ejusmodi jura usurpet, aut sub palladio & prætextu qualicunque sese eximat (a). Episcopis itaque ministrorum & officialium ecclesiasticorum negligentia æque parum officiet, neque clandestinæ exemturientium artes possessioni eorundem putatitiæ colorem obducere poterunt. Aut enim *incapaces* sunt jurium, in quæ sese ingerere attemptant, *aut tentamina* illa ad relaxationem disciplinæ colli*mant, Ecclesiæ* summopere nocivam, atque Episcopo*rum* pastorale officium, dignitatem, ac potestatem, ni in tempore obex ponatur, susque deque versuram.

SCHOLION. Gravissimis hisce argumentis commotus haud dubie S. BERNARDUS, hasce exemtiones in abominatione habuit, & ordinis sui viris severe inhibuit, ne sub qualicunque prætextu ab Episcoporum potestate se suosque subtraherent. Digna sunt, quæ hanc in rem scribit *Epistola* XLII. *seu tractat. ad Henricum Senonensem Archi Episcopum Cap. IX* ibi: *Miror quosdam in nostro ordine monasteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod pejus est, habitu & tonsura tam superbe sapere, ut, cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, isti propriis obedire contemnant Episcopis. Spoliant ecclesias, ut emancipentur: redimunt se, ne obediant. Non ita Christus. Ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua isti ut careant, totum fere suum suorumque victum expendunt. Quid hoc est præsumtionis o monachi?* - - - - - - - - -
Sed non propter me, inquis, facio, sed quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, servitute servilior! Patienter

ab

ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessimæ addicat superbiæ servituti. Plus timeo dentes lupi, quam virgam pastoris. Certus enim sum ego monachus, & monachorum qualiscunque Abbas, si mei quandoque Pontificis a propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod satanæ mox tyrannidi me ipsum subjicio. - *Ite nunc ergo, resistite Christi Vicario, cum nec suo adversario Christus restiterit, aut dicite, si audetis, sui præsulis Deum ordinationem nescire, cum Romani Præsidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse cœlitus ordinatam.* Verum aperte indicant quidam horum, quid cogitent, dum multo labore ac pretio per ipsa sibi vindicant insignia pontificalia, *utentes & ipsi more Pontificum mitra, annulo, atque sandaliis. Sane si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio: si ministerium, solis liquet congruere Pontificibus. Profecto esse desiderant, quod videri gestiunt. Quid si & nomen eis conferre posset privilegiorum auctoritas, quanto putas auro redimerent, ut appellantur Pontifices.* Quo ista o monachi? Ubi timor mentis? Ubi rubor frontis! *Quis unquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus magister.* (S. Benedict.) *edisserit, propriisque distinguit descriptionibus. In quo, quæso, illorum docetur aut continetur, ut hoc fastu delectari monachus, has quærere debeat dignitates? Labor & latebræ, & voluntaria paupertas, hæ sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam, - - - - - Tamen si ita oportet, ut emancipati a subjectione Pontificum, pari cum successoribus Apostolorum gloria, pari cathedra, iisdemque solemnium indumentorum insignibus attollamini: cur non & sacros Ordines celebratis & benedictiones datis in populis?* Quam multa moveor dicere adversus impudentissimam præsumtionem, &c.

(a) *Cap. 2. de præscript. in 6. Cap. 7. de Privileg. in 6.* aliisque textibus pluribus.

OPUSCULUM XII.

SEU

ORATIO DE EURYTHMIA POLITICA, SIVE PULCRITUDINE ÆDIFICII CIVILIS, EX UNIFORMITATE, FIRMISSIMO CIVITATIS FULCRO, EFFLORESCENTE.

§. I. Mirari ſæpius animum ſubiit, qua ratione fiat, ut, quæ in architectura civili in *ſymmetriæ atque eurythmiæ* regulas peccantur, tantam apud contuentes, non inſipidos rerum æſtimatores, nauſeam excitent, primoque ſtatim adſpectu diſpliceant: ex adverſo, in quibus ad amuſſim obſervatas easdem eſſe deprehendimus, ædes, palatia, baſilicæ, templa, incredibili quadam voluptate ſpectatorum animos perfundant, atque in ſuavem quandam juſti ordinis, & decoris admirationem trahant.

§. II. Eſſe equidem aliquam hujus ſive diſplicentiæ, ſive voluptatis cauſam, haud difficulter perſuaſero iis, qui in mundo materiali non minus, quam immateriali nihil ſine ratione ſufficienti fieri, ex primis Philoſophiæ principiis perſpectum tenent: neque tamen indagatu ea facilis eſt, uti tentanti obſcurum eſſe nequit, & in ſimili quodam caſu experiuntur, qui jucundos animæ affectus, & ſuaves corporis organici motus, quos ex harmonico muſices concentu ſentimus, ex intrinſeca animæ natura, atque organorum corporis diſpoſitione mechanica explanare contendunt.

§. III. Neu me omnia fallunt, in ardua hujus rei diſquiſitione optima ii via incedunt, qui in uniformitate, *identitate*,

titate, atque conſenſu determinationum in variis ædificii partibus voluptatis; in difformitate autem, ac diſſenſu earundem, tædii iſtius, atque diſplicentiæ cauſas quærunt. Placent quippe ædificia, in quibus varia obſervanda occurrunt: aſt non aliter, niſi tam inter ſe, quam cum fine totali ædificii conſentiant; nec præterea nimia determinationum diverſarum multitudine mentem obruant: quod poſtremum tum denique prudens obtinebit architectus, ſi rationes atque proportiones partium ſimilarium adhibeat easdem, inter ipſas vero proportiones eas ſeligat, quas omnium facillime atque uno obtutu comprehendat animus, quæque ſine faſtidioſa indagine in oculos incidant (a).

(a) *Perill.* L. B. de WOLFF *Element. Architect. Civ. C. I.* §. *23.*

§. IV. His rite cuſtoditis ſua ædificio ſymmetria, ſua conſtabit perfectio; nec non, quæ eurythmiæ effectus eſt, pulcritudo tam in toto, quam in ſingulis ejusdem partibus conſpicua erit: inſuper vero habitis nonniſi deformem, adſpectu fœdam, rudem, nauſeantem, indigeſtamque molem exſurgere neceſſum eſt. Ecquis enim, obſecro! veſtrum guſtu tam eſt depravato, aut tam inſipidus rerum arbiter, cui ſtomachum non moveat domus, cujus feneſtræ in eadem contignationis parte, aliæ circulorum, aliæ quadratorum, aliæ paralellogrammorum, aliæ denique parabolarum, aut ſimiles alias figuras referant, non minus altitudine, latitudine, vitris ac reliquo ornatu inter ſe diverſæ? Quis non rideat ejusdem ædificii portas ab utraque medii diſſimilis parte alias trium, alias quatuor, alias ſex pedum latas, hinc in quadratum, inde in ſegmentum circuli, mox in ovalem figuram deſinere? Quis hebetus adeo, ut ſine ſelectu, ſine diſcrimine ab uno latere Dorici, aut

Co-

Corynthii, ex altero latere Jonici, Toſcani, aut Romani ordinis columnas probet? verbo:

Frigida ubi pugnent calidis, humentia ſiccis
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

§. V. Quis veſtrum ex adverſo primo ſtatim ædificii, in quo juſto omnia ordine cohærent, adſpectu, ſuavi pulcritudinis ſenſu applaudentem ſubito mentem non ſentiat? Quis majeſtatem operis non deprædicet? Quis in eodem conſtruendo dexteritatem, ſolertiamque architecti debitis encomiis non extollat, quem in diſponendis, *diſtribuendis* ornandisque variis ædium partibus has, quas *diximus*, artis architectonicæ ſupremas leges ſancte obſervaſſe *perſpiciat?*

§. VI. Augetur hæc ſive voluptas, ſive tædium, dum, qui altius ſapiunt, emolumenta ex partium rythmico conſenſu, ex diſſenſu vero, atque determinationum *diverſitate* propullulantia incommoda quam plurima expendunt. Variæ illæ figuræ, diverſæ altitudinum atque latitudinum inter ſe relationes, varii denique & diverſi partium ſimilarium ornatus mentis ſerenæ oculo, atque imaginationi, vel inde accidunt moleſtiſſimæ, quod ſenſus humanus in tanta rerum diverſarum confuſione talis ædificii ne ideam quidem uno obtutu complecti valeat. Cogitate, quæſo! quam diverſos apud diverſos artifices diſſimiles illæ feneſtræ, portæ, januæ atque columnæ labores progenerent: adeo, ut ipſi etiam operarii ac mercenarii difformitatis hujus faſtidia veluti per traducem non minus, quam qui ædes inhabitant, inquilini, perſentiſcant.

§. VII. Proin non immerito Flondellius (a) Peraltium erroris arguit, quod eurythmiam atque ſymetriam in architectura nonniſi arbitrariis inniti regulis, & uſui

magis

magis ac obſervantiæ deberi ſtatuat (b). Æterna potius, divinaque naturæ lege ſtabilitas easdem, & firmatas eſſe, ex dictis hactenus abunde pateſcit, & ex earum neglectu eſſentialem ædificia turpitudinem atque difformitatem contrahere, indubia jam pridem experientia comprobatum eſt.

(a) *Cours d' Architecture P. V. lib. V. C. XIV.* & *XVIII. fol.* 761. *ſeqq.*
(b) *Præf. oper. ſui de quinque ordinib. fol.* 11. *ſeqq.*

§. VIII. Hæc ego de ſymmetriæ, atque eurythmiæ architectonicæ genuinis fundamentis, nec non intrinſecis earum cauſis cum animo volverem, atque revolverem ſæpius, cogitare mecum cœpi, an non accurata uniformitatis in variis ædificii civilis, ſive reipublicæ, partibus cuſtodia, & determinationum identitas illud ipſum conſtituat, quod in civili ſocietate *eurythmiam politicam* non incongruo vocabulo ſalutare poſſes; quæ non minus, quam illa domum, civilem cœtum exornet, eique inſignem illam, quam acutiores politici tantopere mirantur, venuſtatem conciliet? Non diſſimilis certe architecturæ mechanicæ, atque politicæ hujus noſtræ ratio mihi eſſe videtur. Ex variis architectus mechanicus rebus materialibus, lignis, lapidibus, calce, arena, ferro, & ſimilibus ædificium ſuum juxta artis ſuæ regulas exſtruit. At vero, an non idem civilis noſter architectus in ſimili præſtat? Structuram hic ſuam, rempublicam intelligo, ex ſufficienti familiarum ſegregum numero civilis ſocietatis coagulo conglutinat, juſto, uniformi, atque harmonico ordine ſingula diſponens; legibus civitatem inſtruit; judicia ordinat; magiſtratus conſtituit; monetas, pondera, menſuras, & tempora determinat; ſcientiarum atque artium ſeminaria erigit, eaque omnia ſalutariter ſancit, queis ſine publica ſalus, & civilis ordo conſiſtere nequit. Quin igitur eurythmiæ architectonicæ

regulas civilis architectus noſter feliciter adhibeat, atque in uſus ſuos luculentiſſimos convertat, nullum mihi dubium ſedet. Ex iisdem ſane rationibus, propter quas uniformes in eadem contignatione feneſtræ, portarum concinnæ tam inter ſe, quam cum reliquis domus partibus, proportiones, columnæ, recto ordine diſpoſitæ, eurythmiam in ædificium, atque venuſtatem inducunt, ſalutares in republica, atque uniformes leges, monetarum, ponderum, menſurarum ac temporum in omnibus reipublicæ partibus uniformes determinationes, pulcritudinem, & venuſtatem ædificio civili conciliare aptæ ſunt.

§. IX. Idem illud, quod architecti *mechanici ſtructuram* devenuſtat, in ſtructuram civilem *disrythmiam* non poteſt non inducere, rectique ordinis amatori non ſummam nauſeam movere. Quapropter magna utique *inter* utrumque architectum ſimilitudo deprehenditur. Eædem eurythmiæ, eædem disrythmiæ utrinque cauſæ: niſi quod, quæ ex disrythmia politica in rempublicam redundant incommoda, multo ſint extantiora, & cum præſentiſſimo totius civitatis excidio haud raro conjuncta.

§. X. Hinc a pluribus jam retro annis, queis ſublimiora juris publici univerſalis principia ex limpidis ſolidioris Philoſophiæ fontibus haurire datum eſt, eurythmiam politicam, ſive uniformitatem, fulcrum civitatis fortiſſimum, principium omnium in republica adminiſtranda palmarium, munimen adverſum pernicioſas mutationes invictum eſſe, conſtanter tenui, & tanquam medicinam univerſalem viris politicis, veris corporis civilis Æſculapiis, non ſine fructu inculcaſſe me exiſtimo. Hoc inſuper habito in diffor*mi* rerum omnium disrythmia nonniſi hiulcam, male cohærentem, ſibique diſſimilem enaſci civitatem opus eſt. Poly-

bius

BIUS certe, ut Achæorum conſpirantes inter ſe voluntates doceret, univerſam Achaiam & Peloponneſum non modo eadem religione, iisdem magiſtratibus, iisdem legibus, eadem diſciplina, verum etiam iisdem numis, ponderibus, ac menſuris uſas fuiſſe ſcribit (a).

(a) BODIN *lib. I. cap. X. p. 265.*

§. XI. Neque moleſtiarum atque incommodorum, ex difformitate hac enaſcentium, cauſæ in obſcuro ſunt. Etenim, cum agendorum in republica per ſe ſat ingens ſit numerus, ſi in qualibet publicorum negotiorum claſſe difformes nimium, atque varias determinationes lege publica inducat ſummus imperans, non poteſt non ea multitudo illorum, queis publicorum negotiorum cura concredita eſt, memoriam obruere, ipſamque executionem non una ratione difficilem reddere: cui conſequens eſt, ut aut negligantur prorſus, aut nonniſi inſigni cum moleſtia executioni mandentur. Taceo, quod, eurythmica illa conſtitutionum atque determinationum uniformitate in omnibus reipublicæ partibus ſtabilita, ipſius ſummi Principis majeſtaticum officium mirum in modum facilitetur. Etenim, quoniam, quæ uniformiter determinata ſunt, uno & ſimultaneo obtutu comprehendi, perviderique queunt: conſequitur, quod varia illa ſummæ poteſtatis effluvia, quo ordine inter ſeſe cohæreant, conſiſtantve, conferri melius, emendari & corrigi collapſa, & quæ ſalutariter conſtituta ſunt, nullo, ut ita dicam, negotio, multoque facilius conſervari valeant, quam ſi ob multifarias diverſasque in diverſis reipublicæ partibus determinationes totidem quaſi civitates diverſimode gubernandas, non ſine tædio ſuſpiciat ſummus imperans. ter felix, ſi prout abſque executione juſta & limata architectonica ſymmetria conſurgere, & ſatis-

facere nequit, ſic, quæ in publicum civitatis bonum ſapienter ordinata ſunt, dextre perficiantur, eoque ipſo debita reipublicæ eurythmia conſtat. Secus ſi faxint, queis id negotii incumbit, quamvis aliunde in mente concinna, & optime meditata ſint, nec ſymmetriam iis, nec eurythmiam actu conſtare poſſe facile comprehenditis; cum fruſtra leges condantur, & eurythmicæ regulæ conſtituantur, quæ nec ad actum promte deducuntur, nec, quod tamen omnis eurythmiæ implementum eſt, executioni mandantur.

§. XII. Accedunt his in ſingulis ſummi imperii partibus peculiaria, quæ disrythmiam atque difformitatem conſequuntur incommoda, aut eurythmiam comitantur compendia: de quibus nunc ordine paucis disquirere in animum induxi.

§. XIII. Ac primo quidem, ut a cultu religioſo, quatenus in communis civitatis rationes influit, initium faciam; quotusquisque veſtrum eſt AA. quem lateat, quantis calamitatibus religionis ab antiquo & avito civitatis cultu difformitas respublicas premat: quam beatæ contra ſint, in quibus cultus unus, verus, atque uniformis inter cives ſtabilitus effloreſcit? Quam diu ſuave hoc animorum conciliabulum cives ligat, pax interna inconcuſſa baſi immota ſubſiſtit: nulla interna odia, nullæ ſimultates, diſcordiæ nullæ cives in partes diſcindunt. Quippe qui diverſa de ſupremo ente, & cultu eidem exhibendo principia fovent, atque alii alio modo Deum colendum eſſe perſuaſi ſunt, non poſſunt non animis inter ſeſe diſſidere quam longiſſime, eo magis, quo major inter religionis quam profitentur, principia atque dogmata diverſitas deprehenditur. Quomodo, obſecro! ſincero ſeſe amoris affectu proſequi? Quomodo concordi virium unione in unum reipublicæ communem

finem

finem conſpirare poterunt, qui anticipato judicio tanquam dubiæ fidei mancipia ſeſe mutuo intertuentur, omneque mutuum animorum conſortium procul defugiunt, in partes diverſa opinione tracti? Qui fieri poteſt, ut perdurabilis inter eos vigeat amicitia, qui in illud, quod unus colit, Numen, alterum injurium eſſe pro certo & explorato tenent. Atque utinam intra nudarum ſpeculationum aut diſputationum cancellos difformitatis in religione effectus ſeſe continerent! Foras ii erumpunt, ipſisque civilibus civium negotiis fatali quadam contagione ſeſe communicant. Inde mutua in contractibus diffidentia, in bono communi promovendo ſocordia. Hinc factionum lata ſeges, atque partium infauſta ſtudia. Quorum omnium, o felices! niſi ipſam hanc noſtram, quam incolimus, patriam, Germaniam inquam, teſtem haberemus luculentiſſimam.

§. XIV. Superi! quas illa clades ex difformitate atque disrythmia in religione experta eſt? Quot inde cædes, quot bella, atque interneciones tanquam ex equo Trojano proruperunt, quorum nunc refricare nolo memoriam? Futuris vero regulis dent ſuperi concordem lineam.

§. XV. Recte omnino Bodinus (a) peregrinos ritus, quos maxima pars civium execratur, arceri a civitate utile ducit, ad tuendam inter cives ipſos amicitiam, quæ præcipue rerum divinarum & conſenſu alitur, ac ſuſtentatur. Hanc itaque eurythmiæ partem, niſi ſummus magiſtratus, ſive civilis, ſive eccleſiaſticus in ædificium ſuum & corpus politicum inducere modis allaborarit omnibus: vereor ne non deforme adſpectu, fragili ſubnitens baſi, interniſque exeſum diſcordiis collabatur, tandem prorſus nonniſi triſtes poſt ſe ruinas porro relicturum, quamvis in Germania noſt-

ra, lex patria aliud ſuaſum, aliud realiter conditum velit, adeoque favente Deo feliciora ſentire ſperet (b).

(a) *De Republ. lib. IV.*

(b) *Vid.* CONRING. *de Mutat. Rerumpubl. §. XX. ſub fin. denique quoniam nihil aque valet ad moderandas ſtabiliendasque reſpublicas, & ad religandos hominum animos, quam religio, eaque una, una in civitate: facile patet, quam periculoſum ſit cuique ſtatui religionis diſſidium; tranquilla certe, aut diu ſalva eſſe non poterit.*

§. XXI. Nec minus de uniformitate morum, inter cives ſtabilienda, ſollicitum decet eſſe Principem architectum politicum. Morum quippe diverſitas eadem ratione, qua religionis difformitas, pacem turbare internam atque concordiam disrumpere apta eſt. Summam igitur curarum eo diriget, ne, qui minus populo ſuo conveniunt, peregrini mores, ritusque furtim in rempublicam gliſcant, eamque in fatalem cataſtrophen inclinent: expeditum ſiquidem eſt, diſcordantiam illam, atque diſſimilitudinem morum non inter poſtremas everſionis rerumpublicarum cauſas jure meritoque a Politicis collocari. Nam ſicut vera ac firma amicitia nonniſi inter ſimiles vel natione, vel moribus, vel genere, vel uniformi genio vel ſtudio, vel quacunque alia re contrahi poteſt, ſed contracta querelis, ac diſſidiis perpetuis laborat: ſic civilis ſocietas ex hominibus diſpari genere, diſpari lingua, diſpari natione, diſpari genio aut ſtudio, immo aliis alio more viventibus coaleſcens durare nequit. Id minimum, architecto ſymmetriæ atque eurythmiæ regulas ſpernenti, eveniet, ut in tanta morum diverſitate invenuſta, & indecora reipublicæ exſurgat facies, quam omnes luctuoſæ disrythmiæ effectus conſequuntur, experientia vix non teſte, peregrinis moribus, patriam honeſtatem per totas ſæpe nationes corruptam fuiſſe.

§. XVII.

§. XVII Ad eurythmiam nunc, & uniformitatem monetæ transeo, partem ædificii nostri civilis summopere necessariam, quæ ut recte ornetur, recteque gubernetur, reipublicæ vel maxime interest. Quantus ex monetæ uniformi determinatione civitati splendor, quanta commerciis facilitas, quæ peregrinantibus commoda accedant, quantum denique illi ipsi, qui reditus Principis colligunt, dispensantque, sentiant sublevaminis, ii norunt, qui reductionum difficillimarum speciei monetæ unius ad alteram tædia, qui computos intricatissimos re ipsa experti sunt. Quid? quod dolis atque fraudibus nefariorum hominum illa monetæ diversitas latissimas vias pandat, præsertim vero itinerantes summis molestiis oneret, atque cauponum technis fallaciisque exponat: id quod tum multo magis obtinere debet, quando, qui το κυριον in republica exercent, non ipsi tantum hujus difformitatis causæ existunt, sed & insuper monetæ tum bonitatem tum valorem pro lubitu, sæpiusque mutant, tollunt, aut deprimunt, prout privatis suis id commodis expedire visum fuerit.

§. XVIII. Non Morpheus sane in tot diversas sese transformare figuras valet, quod ipsi monetas speciebus induunt. Exemplis, quod obvia sint, abstineo. Sed meminisse debebant illi, qui aut specierum valorem citra fas & æquum diminuunt, aut quas contra leges & constitutiones publicas cudi fecere, plane commercio eximunt, atque prohibent, substantias eos subditorum nil tale meritorum intervertere; ita, ut non raro, qui rerum omnium copia affluebant hodie, cras ad incitas redacti cum summa miseria luctari necessum habeant: quod boni Principis esse, atque eurythmiæ politicæ regulis consentire, nemo sanus dixerit.

§. XIX.

§. XIX. Bonitatis igitur, valoriſque monetæ uniformis, conſtantis ac perpetui in omnibus & ſingulis reipublicæ partibus conſervandi tenaciſſimos eſſe Principes convenit, adeo, ut ne augere quidem monetæ valorem in animum inducant; cum ne ſic quidem ditiores cives efficiantur. Præterquam enim, quod creſcente ſpecierum valore ipſarum quoque mercium valor creſcat, in tanta valoris incertitudine, imminutus licet fuerit valor, eadem nihilo ſecius aucta rerum pretia perſiſtunt (a).

(a) *L. 2. de veter. numism. poteſt. lib. XI.*

§. XX. Memini ego, in vicino quo*dam regno, dum* collectæ pecuniæque a ſubditis pendendæ *eſſent*, ſpecies tam auri, quam argenti longe infra verum pretium depreſſas fuiſſe, eoque factum, ut ſubditi plus altero tanto non *raro* perſolvere neceſſum habuerint. Auctis poſtmodum *iisdem* ſpeciebus ultra triplum, debita fiſci cum inſigni rurſum creditorum jactura contra fas & æquum extincta fuere. Decreſcente certe cum pernicioſo hoc ærarii maris in- & refluxu, ſubditorum & ſubſtantia, & crumena, non poſſunt non hi in ſummam paupertatem deturbari.

§. XXI. Pluribus de hoc eurythmiæ civilis eſſentiali capite diſſerere deſino, ne ad Germaniam invitum etiam deducat oratio, neve in eos calamum ſtringere neceſſum habeam, qui turpe Principibus lucrum inde ſuggerunt, ut conflatis notæ bonitatis ſpeciebus, alias bonitate longe inferiores cudere faciant, non ſine fiſci præſenti quidem, ſed imaginario lucro; quod commerciorum omnium excidium, caritatem, miſeriam, paupertatem denique ſummam comitem habet, ipſosque Principis reditus miris modis oſcitanter imminuit. Energice de hoc abuſu Bodinus ſcribit (a):

"Mihi

" Mihi firmiſſima quæque rerumpublicarum munimenta " contemplanti, rei numariæ curatio non tantum utilis, " ſed etiam civitatibus tantopere neceſſaria videtur, ut ſine " ea commode conſiſtere non poſſit: & quo major neceſ- " ſitas eſt, eo magis numorum depravationi proſpicien- " dum; cum ea res incredibile afferat univerſis ac ſingulis " detrimentum. At non modo non corrumpi moneta, " ſed ne mutari quidem poteſt ſine incommodo civitatis; " quoniam mutatio pretii ac materiæ numismatum cen- " ſus etiam ac bonorum cujusque dubitationem infert. " Quo fit, ut nemo, quod habeat, conſtituere poſſit: in- " certa ſunt pacta conventa, quæ verſantur in ſocietatibus, " tutelis, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, loca- " tis, quibus vitæ ſocietas continetur: incerti reditus, in- " certa vectigalia, tributa, denique pœnæ ipſæ, ac præmia, " quæ a legibus & judicibus irrogantur, incerta ſunt futu- " ra. Poſtremo ærarii opes, ac multa tum in publicis, tum " in privatis rebus dubia, ac ſuſpenſa fore neceſſe eſt.

(a) *Lib. VI. cap. III.*

§. XXII. Principi ſane, cui non magis improba numismata cudere, quam occidere, aut graſſari licitum eſt, ſedulo cavendum, ne disrythmia monetaria nobiliſſimam ædificii ſui civilis ſtructuram non devenuſtet ſolum, ſed & titubare baſin, ac plane collabaſcere faciat.

§. XXIII. Hæc ipſa quoque de menſurarum ponderum, temporum, pretiorum, aliarumque dimenſionum eurythmica uniformitate velim teneatis. Eadem ex eorundem difformitate reductionum faſtidia, calculorum tædia, in commerciis fraudes, in commutationibus difficultates, in judiciis remoræ, verbo: in tota civitate confuſio,

horrorque ſeſe manifeſtat: nec aliam reipublicæ faciem præ oculis habuiſſe videtur legislator divinus (a), dum ait: *non facies iniquitatem in judicio, in menſura magna, in pondere, & in menſura parva. Statera juſta, pondera juſta, Ephæ juſtum, & Hin juſtum erit vobis.* Qua enim ratione in enormi adeo ponderum atque menſurarum diverſitate intemeratæ juſtitiæ leges ex amuſſi cuſtodire queant, me hercle non capio: nec poteſt non numerorum multitudine judicium, ac eorum, ad quos earum rerum cura ſpectat, memoria obrui. Hinc inter ſaluberrima Imperatoris CAROLI Magni inſtituta, queis imperium amplificare contendit, merito connumeramus legem illam, qua ponderum, atque menſurarum uniformitatem in omnibus ſuis regnis atque provinciis cuſtodiri voluit: quod ipſum auguſtiſſimi nonnulli ejusdem ſucceſſores, ſine ſucceſſu tamen, quod dolendum, hucusque tentarunt (b).

(a) *Levit. XIX. v. 35.*
(b) *Vid. Reform. polit. de A. 1530.* von Ehlen-Maß.

§. XXIV. Beatum ſane præ aliis regnis hac in parte ſe ſe deprædicat Sinenſium imperium; quod licet amplitudine terrarum atque provinciarum imperia hujus univerſi omnia ſuperet: in tam vaſto tamen terrarum tractu legibus, monetis, ponderibus, ac denique computandi modis uniformibus & iisdem utitur (a). Perpendite, obſecro! quot per uniformitatem adeo ſalutarem jurgiis, quot litibus, atque diſcordiis inter cives anſa præſcindatur! Non in luſtra plurima ibi lites trahuntur: nec, an de hujus, vel illius provinciæ, oppidi, immo pagi, moneta, menſura, aut pondere contractuum formulæ conceptæ fuerint, in dubium vocatur. Nullas unquam, qua bonitate, quo valore, qua menſura, aut pondere pecuniæ, aliæve res reſtitui debeant, contrƒover-

troverſias moveri videris. Adeo in concordi hac uniformitate pacata ſunt omnia.

(a) Vid. LE PERE LE COMTE *Memoires de la Chine*.

§. XXV. Nondum veſtram memoriam effugit, quas confuſiones diverſa, inde a correcto calendario Juliano & introducto Gregoriano, in imperio tempora computandi ratio pepererit, quanta in ſacrorum cultum incertitudo, quin in ipſa tribunalia incommoda irrepſerint. Nulla erat conſtans terminorum judicialium norma: vacillabant cambia: in commerciis, contractibus, aliisque humanis negotiis incerta fuere omnia. Qui dies faſti, qui nefaſti, qui interciſi fuerint, ne extra litigium quidem conſtitutum erat. Quare facile vos conſentientes habebo, nihil hac difformitate in republica excogitari poſſe fœdius, nihil, quod eurythmiam noſtram politicam magis turbet, majusve tædium, atque nauſeam contemplantibus movere queat. Prudentiores jam dudum facti fuerunt Mathematici, queis non potuit non diſplicere ea menſurarum, ponderum, ac dimenſionum temporis diverſitas. Unde uniformes ſibi per univerſam Europam menſuras atque dimenſiones conſtituere, in diviſionibus & ſubdiviſionibus eum ſervantes ordinem, qui in numeris naturalibus conſpicitur, ut nimirum partibus decimalibus tota ſua dimetiantur: qua ratione operoſa illa calculorum, ac reductionum tædia defugiunt; de quo tamen pluribus impræſens diſſerere non fert inſtituti & temporis ratio. Faxint Superi, Mathematicorum exemplum imitaretur reliqua pars hominum, præſertim quos rerum humanarum in hac terra moderatores veneramur! Aliam ſane eliminata procul omni diverſitate atque difformitate reipublicæ faciem contueremur, aureis cum eurythmia noſtra ſæculis redituris.

§. XXVI. At! at! regerere mihi nonnullos audio, potuiſſe hæc a primis rerumpublicarum incunabulis ita ſalutariter conſtitui ; cum difformis monetarum , ponderum, menſurarum , & aliorum inſtitutorum civilium ratio civitatem nondum defœdaſſet ; inveterato nunc morbo fruſtra medicinam parari , nec jam ſine totius ædificii civilis ruina partibus juſtum decorem reſtitui poſſe. Verum enim vero , quæ hic obmoventur , difficultates tanti non ſunt , ut ab inſtituto ſaluberrimo ſapientem publicæ rei architectum dimovere debeant; & quas illi inde lites, in contractibus , ac annuis præſtationibus dubia & incertitudines extimeſcunt, eæ a viris prudentibus,in reductionum *calculo* exercitatis, uno ictu reſecari , præcaveri , atque *ſopiri poterunt.* Sed demus etiam , gangrænam uſque adeo invaluiſſe , ut omnimodam medelam reſpuat: nil tamen obſtabit, quo minus , quod tolli nequit malum, leniatur ſaltem, aut, ne difformitas membris ſe latius communicet, prudens corporis politici moderator diſpiciat.

§. XXVII. Quin, ne in ipſo quidem veſtium uſu rite ordinando eurythmiæ noſtræ regulæ ſpernendæ prorſus, aut inſuper habendæ ſunt ; non levem ſiquidem earundem uniformitas decorem & utilitatem in civitate producit. Riſu ſane dignus foret ſcenicus ille reipublicæ habitus , ubi cives, quos concordes atque unanimes eſſe decebat , alii Gallico , alii Turcico, alii Sinico, alii alio, ſicuti veſtitu, *ita* animis difformes incederent. Quid ? quod ex peregrino varioque veſtium habitu mores civium haud infrequenter pervertantur , ut , dum aliorum levitatem cum veſtimentis eorum inſana quadam æmulatione induunt , generoſos patrum mores exuant : id quod iis præſertim dictum velim , quibus non ſufficiunt condimenta formæ domeſticarum rerum. Uti ille apud Plautum (a) coquus in condituram ſibi aſſerit

Cici-

cicilendrum, polindrum, macidem, ſancaptidem, cicimandrum, liappolopſidem, cataractriam, peregrina & exotica nomina: ita delicatuli iſti transmarinas appetunt merces, Gallicum cum primis ornatum. Bene multi ſane ex peregrinatoribus noſtratium, ſi Galliam limis oculis aspexerunt, Gallica omnia; ſi in Anglia pernoctarunt, Anglica omnia; ſi alterum pedem in Hiſpaniam intulerunt, Hiſpanica omnia; ſi Italiam intuiti ſunt, Italica omnia; & undecunque tandem peregre redierunt, peregrina omnia: mores, geſtus, cærimonias, veſtitum, linguam hiſtrionica temeritate ac ſtultitia probant, jactitant, extollunt, Germanis & paternis omnibus neglectis, faſtiditis, rejectis. Unde ſcite olim Germaniæ quidam Princeps ait: peregrinas veſtes, peregrinos mores, peregrinos mores, hoſtes Germaniæ inducere.

(a) *Pſeudol. act. III. ſcen. III.*

§. XXVIII. Maneat igitur in veſtibus decens quidem diverſitas, ſed quæ eurythmiam minime turbet, nec civitatem devenuſtet, aut publico diſpendioſa ſit Servetur is ordo, ut, qui in pari dignitate conſtituti degunt, aut eidem civium claſſi adſcripti ſunt, veſtibus ſtatui ſuo convenientibus, atque uniformibus utantur. Sicuti non natura ſolum, ſed & veſtes ſexum diſcernunt: ita easdem clericum a laico, nobilem ab ignobili, litteratum ab opifice, Chriſtianum a Judæo, & ita porro diſcernere conveniens eſt. Abſit enim, ut omnimodam in tota republica veſtium uniformitatem probemus; ita enim ab uno extremo ad alterum delaberemur. Aliæ præterea rationes politicæ plures alias ſalutares leges veſtiarias efflagitant, quas ſtudio, ac brevitatis amore nunc prætereo Exemplum hujus, de qua diximus, eurythmiæ hodiernæ militiæ inſtituta ſuppeditant. Legibus exercitus atque legiones reguntur iisdem,

Togis, pileis, tibialibus cohortes incedunt vestitæ prorsus uniformibus. Arma, gladii, bombardæ, sclopeta eadem, quin & incessus, exercitia armorum, aliaque pleraque modo uniformi aspectu suavissimo determinata videris. Qui te hic ordo, quæ te determinationum similitudo, & identitas afficit, alia non est, quam eurythmica illa, quam in æde, aut palatio bene constructo offendis: proin, quod te hic allicit, recreat, delectat, cur non in religione, monetis, ponderibus, mensuris, ac vestibus idem præstet? Scrutare voluptatis causas, quam ex legione uniformiter decenterque vestita, armata, paribusque motibus exercitia peragente sentis: & alias eas esse non comperies, quam *quas supra* adsignavimus. Perinde ut tu ejusdem cohortis *milites panno* diverso, rubri partim, partim flavi, *partim* nigri coloris, alios Gallico, alios Polonico, alios Borussico more vestitos, partim gladiis, partim bombardis, partim furcis, sudibus præustis, atque fustibus armatos fastidis; perinde, *ut* stomachum tibi movent dissimiles gressus, dissimilesque sclopetorum explosiones: ita difformis rerum aliarum in republica adspectus, ita disrythmica varietas attentis ad eandem animis nauseam non potest non ac bilem concitare.

§. XXIX. Sed missa facio, quæ ad cathedram juridicam ne trahenda quidem fuerant, nisi officii mihi concrediti ratio in amplissimum totius doctrinæ politicæ, ac juris publici universalis campum exspatiandi facultatem faceret. Ad uniformitatem igitur potius, & eurythmiam scientiarum & artium propius me nunc accingo. Harum cultura seria publicam salutem & totius civitatis splendorem præcipue contineri, apud prudentes omnes in confesso est. Ecquid enim rerum in vita humana utilium cognitione, & agendorum pragmatica scientia præstantius? quid nobilius? quid jucundius? quid excelso animo dignum magis excogitari potest?

§. XXX.

§. XXX. Me hercle, si cujusquam alterius rei, hujus profecto ut Princeps penitissimam curam habeat, non utile modo, sed & necessarium duco: neque prima nunc vice inculco, quod, qui de restauranda disciplina publica, abolendisque civitatis nævis non invita Minerva cogitationes suscipiunt, præprimis ad rectam scholarum, & academiarum institutionem oculos convertere necessum habeant. Sunt scholæ, sunt academiæ fontes atque scaturigines, ex quibus per totam quaquaversum rempublicam rivuli ducuntur, qui irrigua fertilitate totum solum & civitatis latifundia fœcundant. Nisi fontes limpidi sint, si ipsæ scaturigines infelix lolium, litium, atque discordiarum semina secum vehant: nonne universam rempublicam iisdem contaminari opus erit?

§. XXXI. Curet igitur architectus noster, ut ad hanc nobilissimam ædificii sui civilis partem materias probas, incorruptas, nec vermibus adesas seligat; doctrinas nonnisi utiles in sinu civitatis foveat, semota, quantum licet, omni in studiis difformitate, & nocivo disputandi pruritu; vera, atque hoc ipso uniformia, in omnibus facultatibus scientiarum principia firmo stabiliat talo, fugatis procul strepitosis & inutilibus flabris, quæ nonnisi fastuosa doctores umbratiles arrogantia inflare apta sunt; dispellat inania logomachiarum monstra, aut iis relinquat, qui frustra philosophari, quam generi humano vere prodesse malunt.

§. XXXII. Vigeat præsertim suavis illa principiorum verorum uniformitas in Philosophia, reliquarum scientiarum omnium fundamento ac basi. Harmonico ea influxu in scientias reliquas, in artes, denique in omnem vitam sese diffundat. Prospiciat Princeps, ne, qui juventutem rudem adhuc, & indigestam ad sublimiora studia præparant, loco

veri-

veritatis, quæ ſola reliquis diſciplinis faciem præferre, lucemque affundere valet, ſine mente ſonos ſuggerant, & ingenti verborum, nil ſignificantium, pondere ſuffarcinatos auditores ſuos dimittant. Neque mihi regeras, in Philoſophia incerta, difformia, & diſputationibus obnoxia eſſe omnia. Præterquam enim, quod hunc errorem alii jam dudum refutarint: ipſi vos AA. meliora edocti eſtis. Habet ſuas Philoſophia veritates, habet ſua principia, nonminus, quam Mathematicorum axiomata, aut theoremata certa, & demonſtrabilia. Quare cum veritas nonniſi una ſit: uniformitatem hanc noſtram philoſophicam tanquam chymericam quis, niſi veritatis ipſe oſor, *explodere auſus fuerit?*

§. XXXIII. Neque aliam Theologiæ, atque ſalutaris ſcientiæ faciem in eurythmica republica noſtra eſſe convenit. Et quantum quidem illam concernit, uniformitatem principiorum, ac dogmatum maximo eidem eſſe ornatui, nec ab ea facile abeſſe poſſe, vel ipſa religionis, morumque, quam ſupra evicimus, uniformitas manifeſto loquitur. Plura inde ſecutura animarum commoda, ut conjectemini, acumini veſtro relinquens.

§. XXXIV. Quod autem alteram, ſalutarem ſcilicet corporis humani ſcientiam, concernit, non mediocres ex principiorum verorum grata, & harmonica uniformitate eam ſibi progreſſus promittere poſſe, neminem veſtrum dubitare autumo, ipſaque experientia luculenter teſtatur. Adeat, cui volupe eſt, transactiones Anglicanas, commentarios academiarum ſcientiarum, Londinenſis, Pariſienſis, Berolinenſis, & Petropolitanæ. Perluſtret ſcripta medicorum, profundiſſima ſcientia refertiſſima, ut intelligat, qua ſolertia, quam profunda indagine ex æternis virium motricium

cium regulis, ex combinatione partium, ex constructione organorum corporis humani sapientissima varios & stupendos machinæ hujus motus, concoctiones, excretiones, atque secretiones explanarint. Demonstrarunt medicinæ doctores haud vulgaris eruditionis, omne, quod macrocosmus habet eximium, mathesis certum & demonstratum, mechanica atque statica sublime, hydrostatica, aerometria, atque hydraulica stupendum, physica exploratum, in uno corpore humano concentratum reperiri. O si igitur veris his artis suæ principiis concorditer insisterent! si cessarent opinionum portenta, nec alii Galenicorum, aut Methodicorum, alii Thessalicorum, Chymicorum, Spagyricorum, Hermeticorum, Empyricorum, aut Dogmaticorum nomine delectarentur magis, quam veritatis amore traherentur, quam jucundam, suavem, atque eurythmicam scientiæ hujus, quam recte excoli generis humani tantopere interest, faciem, quantis eandem augmentis, novisque quotidie inventis veritatibus efflorescere cerneremus? Ut adeo longe a vero aberrent, qui nullas in eurythmia medicinæ concilianda Principis partes esse & sibi, & aliis falso persuadent.

§. XXXV. Sed jam diu satis extra oleas versatus, ad jurisprudentiam festino, quæ uti me propius tangit, ita de uniformitatis, quæ in eam inducitur, emolumentis, difformitatis vero incommodis cum bona vestra venia paulo ero prolixior. Ac primo quidem, quod juris naturalis uniformitatem concernit, non alia ratione a Principis ea dispositione dependet, quam de uniformitate philosophica modo audivistis; quippe ipsa hæc doctrina nobilissimam Philosophiæ partem constituit. Viros itaque eidem tradendo præficiat, quos tanto muneri aptos esse noverit, a partium, aut sectarum studio procul alienos, solius veritatis solertes

indagatores: & non poteſt non hæc diſciplina in omnibus reipublicæ partibus uniformis evadere. Quomodo enim, qui vera docent, inter ſe invicem diſſentiant? Duplicis generis in ea leges occurrunt, abſolutæ unæ, hypotheticæ alteræ. Abſolutæ cum ubique, & ſub omnibus circumſtantiis perinde ſeſe habeant, non poſſunt non uniformi conſtantique ratione menti humanæ ſeſe inſinuare, nec, quæ fors circa easdem ſuboriuntur dubia, aliunde, quam a cognoſcentis aut inſufficienti examine, aut imbecillitate *ingenii* proficiſci poterunt. Hypotheticæ ſub determinata ſua hypotheſi eadem eſſentiali, atque neceſſaria ob*ligandi virtute* pollent, mutationibus non magis, *quam abſolutæ* obnoxiæ. Unde quæ de earundem veritate *aut falſitate diſputantur*, inde inſufficiens mentis hu*manæ* lumen, erroneasque hypotheſeos determinationes pro ſui fonte agnoſcunt. Hypotheſin ſi rite determinaveris; ſi circumſtantias omnes, ſub quibus lex naturalis obligat, probe erueris: non video, cur non omnes, qui vera hac docendi methodo inſiſtunt, una, eademque ratione in unifor*mes rectæ* rationis normas ſint conſenſuri. Non igitur juris naturalis uniformitas implicat, nec vani erunt conatus architecti noſtri, ſi de ea in republica ſua introducenda cogitationes ſuſcipiat. Non major ſane reipublicæ hac uniformitate felicitas contingere poſſet. O fortunatas gentes! o felices populos, qui jura, qui controverſias nonniſi ex uno, puriſſimo, uniformi, conſtantique ſanctiſſimi hujus juris fonte haurirent? Firmiſſimum hic vobis AA. pacis, atque concordiæ internæ inter cives coagulum, perenne, & indiſſolubile amicitiæ cum exteris vinculum levibus ſaltem *digitis* commonſtro. Vos latius, ſi lubet, hac mecum via proſequimini. Ego ſane perſuaſiſſimum habeo, non ante firma futura fœdera, non ante pacem conſtantem, nullis obnoxiam viciſſitudinibus orbi affulſuram, quam dum *populi*

populi

puli inter se non in generalibus solum, & absolutis, sed & in specialibus atque hypotheticis naturæ & gentium legibus sint conspiraturi. Dura fateor, atque aspera ad hanc uniformitatem introducendam via est; nec in tanto hominum dissentiendi pruritu obtentu facilis: at impossibilem eam propterea non dixerim; nec vos orbis moderatores ardui laboris pigeat. Cogitate, quantum erronea, atque difformia juris naturalis & juris publici universalis principia illinc in jura majestatica, illinc in regalia involent, adeo, ut & eo audaciæ nonnulli progredi non erubuerint, ut venationum, metallorum, & alia fisci jura citra fas & æquum Principes sibi adscripsisse ex juris naturalis sanctissimis præceptis deducere conati fuerint, quos vel ipsa hac uniformitate in viam rectam reduci, & erroris sui convinci posse pro certo teneo. Ne igitur ædificii vestri postremum hunc ornatum reputate; qui præter naturalem eurythmiæ pulchritudinem reipublicæ vestræ fulcra firmius stabilit, justitiam & amorem inter cives mutuum auget, & ad officia eos præstanda multo proniores efficit.

§. XXXVI. Tandem ad eam, quæ maxime omnium in Principis potestate est, juris civilis uniformitatem pervenimus. In hoc scilicet secundum eurythmiæ nostræ regulas rite concinnando, ferendo, atque stabiliendo majori longe cum efficacia, quam in aliis summi imperii partibus supereminentis potestatis vires sese exerunt. Est quippe jus civile jus positivum, voluntatem superioris pro sui fonte agnoscens, tam civibus in determinandis actionibus suis, quam judicibus, aliisque subordinatis magistratibus ceu norma perpetua, ceu constans regula observandum. Ut in omnibus ejusdem civitatis partibus, provinciis, oppidis, & pagis uniforme sit; ut eædem ubique observentur civiles regulæ, illæ ipsæ, quas prolixe supra exposui,

eurythmiæ rationes efflagitant: nec, ut id evincam, alia, quam in uniformitate religionis, menſurarum, ponderum, atque temporum demonſtranda, via incedo. Qui *alias* leges circa ſtatus perſonarum, alias circa jura rerum, & actionum in hac, alias in alia ſuæ civitatis parte pro norma præſcribit ſummus imperans, non aliud ille agere mihi videtur, quam mechanicus architectus noſter, qui diverſis feneſtras, portas, januas, ipſasque concamerationes figuris induit. Augentur eorum, queis jura, legesque memoriæ mandare incumbit, ſtudia & labores. Difficilis in tanta legum varietate redditur juſtitiæ adminiſtratio: & *quæ per* civiles leges compendia quærebat legislator, *ea omnia multifaria* hæc difformitas intervertit. Quid? *quod ſpeciem* inſuper injuſtitiæ ſapiat, ſiqua ſine ratione inter cives ejusdem patriæ legum diverſitas inducitur. Neque enim ſolida ſubeſſe cauſa poteſt, cur, qui ejusdem civitatis membra eſſe dignoſcuntur, diverſo adeo inter ſe, & vario jure uti debeant? Cur in una provincia teſtamenta trium, in alia *nonniſi* ſeptem teſtium numero vallata ſubſiſtant? Cur *majorennis* ætas in uno civitatis loco annum vigeſimum quintum, in alio annum vigeſimum ſecundum, aut vigeſimum primum pro termino agnoſcat? In hac præfectura jus commune, in altera jus provinciale, in alia aliud obſervandum veniat? Unde non poſſint non multis modis turbari respublicæ, & litibus impleri judicia: quæ ſingula nunc exemplis illuſtrare & prolixum nimis, & a ſcopo alienum foret. Disturbia quippe, quæ hoc difformitatis cacoethes hactenus excitavit, concipi magis, quam pro dignitate materiæ exponi queunt; atque multo magis tum civitatem infeſtant, quando multiplex jurium diverſitas aliunde inevitabilis, operoſa ſatis, atque diuturna ſtudia juridica poſtulat, legumque exactam cuſtodiam oppido quam difficilem reddit.

§. XXXII.

§. XXXVII. Sed tolerabilis forsan fuerit hæc juris difformitas. Est præter hanc alia, quæ non tam a diversis, quæ in diversis provinciis obtinent, legibus, quam ab eorum, qui leges interpretantur, docent, atque applicant, diversis interpretamentis, sententiis, & decisionibus proficiscitur; eoque, priori illa, civitati perniciosior accidit, quod incerta, dubia, atque ambigua jura, & leges efficiat; qua quidem juris incertitudine, mea opinione, major rempublicam pestis afflare nequit. Difformes igitur legum interpretationes, diversos jurium intellectus, ut a limine judiciorum, ut a scholis juridicis procul arceat Princeps, summa eurythmiæ ratio postulat. Habent aliquid civiles leges sancti, & majestatici, a quo privatorum manus procul abstinere jure, meritoque jubentur. Robur illud legale, & constantem obligandi vim in republica bene ordinata aliunde, quam a fonte legum, summo imperante scilicet, derivari non convenit; eandem vero aut intervertere interpretamentis, aut enervare rationibus, legali auctoritate destitutis, nefas civi, nefas docenti, nefas judici haberi debet. Legum intellectum genuinum, veramque legislatoris mentem definire ad Principis sacrarium pertinet: nec periculosius quidquam excogitari potest, quam arbitriis docentium, ac judicantium relinquere hac in re multum potestatis, ita ut non tam de privatorum controversiis, quam de legibus, earundemque auctoritate decernant. Atque inde in judiciis, & scholis non tam ad ipsas leges, quam ad doctorum vacillantem auctoritatem provocari audiveris. Neque est, quod mihi fidem, & religionem judicantium objicias. Etiam bonus interdum dormitat Homerus, eoque facilius labuntur homines, quo facilius est errores summi specie juris tueri. Certe est amor, est odium, est invidia, metus; ambitio, sunt dona, & quæ sunt sexcenta alia, quæ

occœcant mortalium oculos, cordaque in transverſum rapiunt.

§. XXXVIII. Diſpar multum eſt judicis ratio, & illius, qui ad clavum reipublicæ ſedens civitatem omnem gubernat, atque adminiſtrat, usque ſane adeo, ut quod hujus eſt in officio, id alteri nequidem extremo, quod ajunt, digito fas ſit contingere. Occurrere ſubinde, quæ boni viri, id eſt intelligentis, ſapientis, prudentis & probi judicis arbitrio relinquenda ſint, non eo inficias: ſed eadem in facto magis, quam in jure conſiſtere, exploratum eſt. Sic judicis arbitrio committitur, qui teſtes idonei, *quæ indicia* ſufficientia, quanti intereſſe æſtimandum &c.: *quot vero* ad probationem plenam teſtes requir*antur*, *an indicia lo*cum torturæ, aut præſumtioni faciant, & aliæ ſimiles quæſtiones, juris legislatori merito definiendæ relinquuntur.

XXXIX. Neque aliud de ipſis docentibus velim teneatis AA. Hi, ſi officii ſui limites egrediantur, & *non tam* quid lex præcipiat, ſtatuatve, quam ſuam aut diverſorum ſæpe ſcribulorum de legis ſenſu mentem & ſententiam inculcent, nec publica auctoritate ſuffulti, nec privilegio a lege recedendi gaudentes, miris modis eurythmiam noſtram legalem turbant: in quo tamen, ſi leges per ſe ambiguæ ſint, & intrinſeco obſcuritatis vitio laborent, aut fors *una cum* altera pugnet, non tam ipſi, quam leges culpandæ erunt; adeoque disrythmia illa, atque incertitudo juris citra ipſorum culpam oritur, neque judicibus, neque legum doctoribus imputanda. Legislatoris itaque potius eſt medicatricem hoc caſu manum adhibere, & dubia legum auctoritate ſua reſolvere, incerta ex æquitatis regulis certa reddere, & ſic leges in unam, firmam, ſtabilemque conſonantiam, ac uniformitatem redigere: id quod a ſacratiſſimis legislatori-

toribus nostris non una vice observatum fuisse ex historia juris luculenter edocemur. Variæ nimirum rerumpublicarum periodi, varia tempora, varia instituta, moresque cum diversas & novas hinc inde leges efflagitent: vix evitari potest, quo minus tempore succedente lex una cum altera, saltem pro parte, pugnare videatur, aut collidatur; consequenter quæ uniformis, & eurythmica erat jurisprudentia, dubia ac difformis evadat. Cui malo per novas constitutiones, per novos codices, novas legum emendationes, novas interpretationes, & declarationes legales solliciti obviam iverunt augustissimi Imperatores, vel solo JUSTINIANI exemplo idem sat superque corroborante; cujus institutum si posteri secuti fuissent, non cum hiulco, non cum dubio, incertoque jure misere nunc in scholis, fastidiose in foris luctandum nobis foret. Incerta nunc sunt pleraque, queis utimur, jura. Disputatur in cathedris de auctoritate, & receptione juris civilis Romani; utrum in dubio pro patrio, an pro peregrino jure pronunciandum? utrum pacta successoria in Germania valeant, an vero juxta præscriptum legum Romanarum pro improbæ plenis spei reputanda sint An tutor ob culpam latam a tutela remotus infamiæ notam contrahat, an salva fama inde abeat? An si heres minor, cui quis substitutus est, adiit quidem, sed restitutus repudiavit, substitutus succedat, an vero ad proximos ab intestato agnatos devolvatur hereditas? An transactio ob enormissimam læsionem infirmetur, an vero judicati robore subsistat? An remedio *L. 2. C. de rescind. Vend.* in emtore perinde, ac in venditore locus sit? An læsionis in utroque eadem computandi ratio, ita ut in emtore perinde, ac in venditore ex dimidio veri & justi pretii æstimanda veniat, an vero in emtore ex altero tanto veri pretii computetur? Et ita pariter in criminalibus disceptatur, an tertium furtum indistinctim laqueo puniendum, an vero requiratur, ut ob

priora

priora furta semel jam fuerit punitus? An sine respectu ad summam, furto ablatam, poena ordinaria locum habeat, an vero tria furta conjunctim saltem summam ordinationis æquare debeant? & de sexcentis aliis quæstionibus tam jura ipsa, quam in judicio procedendi modum concernentibus, æquo, ut sibi blandiuntur, fortes illi in cathedra heroes utrinque Marte, pari rationum, pari, ut ipsis videtur legum pondere, pace tamen vestra dixisse liceat, sine legali auctoritate utrinque. Quid inde consequitur? Quos ex his disputationibus fructus colligunt? Hos scilicet: quod, quos illi docentes phaleris suis ornatos in forum ablegant, non minus inter se, quam ipsi docentes, diffideant, & in sacratioribus justitiæ atriis non minori cum vehementia sententias suas, quas didicere in scholis, propugnent, sive judicum dein officio defungantur, sive causarum, litiumque patronos agant. Unde videris hodie probata læsione enormi rescindi contractum, sollemnissima transactione firmatum, triduo post in simili prorsus causa contrariam ferri sententiam; nunc pro validitate pacti successorii, alio tempore contra eandem pronunciari; tutorem nunc ob culpam latam infamem, nunc salva fama dimitti; modo substituto, modo heredibus ab intestato in casu supra allegato hereditatem deferri; nunc ob tertium furtum indistincte suspendi reos, alio tempore, nisi summa quatuor aureos superet, salva vita dimitti, nullam aliam ob causam, quam quod diversos priores, a posterioribus judices nacti fuerint, diversis juris scholis enutritos, diversisque imbutos principiis, aut, qui in tanta legum incertitudine, dubiaque earundem auctoritate pro utraque sententia, salva se, & tuta conscientia pronunciare potuisse sibi persuaserint: vel denique, quod causa, via appellationis ad judicem secundæ instantiæ delata, eadem, qua ante, ratione casu mere fortuito judices offenderit, qui ab aliis doctoribus diversa a judicibus primæ instan-

instantiæ principia edocti contrariam sententiam tenent, quam eodem jure, quo illi pro norma, ac judiciorum regula observant. Adeo dissimilis sibi, parumque constans est jurisprudentia, quæ incerta auctoritate regitur! Diceres esse monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademtum est. Quin ipsa etiam, qua nihil in republica sanctius esse debebat, justitia in luctu & squallore hæret, dum tam variis opinionum involucris, judiciorum & collegiorum dissensibus lacerata conspicitur. Ab Italis Germani, a Germanis Galli, ab utrisque Belgæ, Hispani, atque Lusitani dissident: immo a Germanis Germani, a collegiis collegia discrepant, ita ut nulla fere causa sit, quæ inter tot auctorum centurias, & JCtorum cohortes patronum suum & ducem non inveniat. O tempora! o mores! o fatalis difformitas, & lugenda merita juris facies, quæ paratissimam viam sternit, ut loco verorum juris antistitum, & sanctæ justitiæ sacerdotum, qui periclitantem innocentiam præsidio suo sublevent, ambigua causarum fata æqua judicii lance dirimant, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis & privatis lapsa erigant, fatigata reparent, & non minus generi humano prævideant, quam si præliis, ac vulneribus patriam, parentesque salvarent, uti ait Leo & Anthemius (b), nonnisi bonorum extortores, legum contortores, vilissima capita, togatos vultures, fori carcinomata, pessimos juris mangones, forenses prædones, curiarum cerberos, remoras veritatis, justitiæ denique tormina nanciscamur: quo ipso tamen viris conscientiosis & eruditis dicam aut scripsisse, aut dixisse nolim. Quid mirum? si in dubia illa legum auctoritate causarum patroni non habita justitiæ ratione, sed prout partes sese offerunt, sententias quascunque, immo contrarias prorsus, & juxta se pugnantes defendant? Eccur enim non idem, quod docentibus, quod judicantibus licet, licere sibi existiment? Noli succensere

causarum patrono, si clientis, minore restituto, successionem ab intestato petentis hodie, cras in simili prorsus casu alterius contra heredes ab intestato ex capite substitutionis hereditatem sibi adserentis causam jure se agere posse credat. Quamdiu enim jure dubio utitur respublica, quid prohibet, quo minus utrique victricem sententiam & promittat, & obtineat? Crederes difformem adeo jurisprudentiam ad ditandos rabulas forenses totam quantam comparatam esse; plane, ut pro parata pecunia obvia cuivis mercenariam suam operam locent, insuper habita omni & justitiæ, & legum, quas cereo nasu instruunt, consideratione ac norma; a quibus, si nares eorum *perflaverit cujusquam* rubiginosi aura marsupii, *confestim videris oculos* Argi, manus Briarei, Sphyngum ungues, cum eo & perjuria Laomedontis, & Ulyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi; venalis quibus justitia, venale patrocinium juxta *illos* Satyrici versus:

Quisquis habet numos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet imperio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit.
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes,
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus paret, non paret, habeto,
Atque esto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor: quidquid numis præsentibus opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Jovem.

(a) *L. pen. C. de pact.*
(b) *Lib. 14. C. de Advocat.*

§. XL.

§. XL. Atque hi ſunt potiſſimi, qui difformitatem & incertitudinem juris conſequuntur effectus; hic deplorandus reipublicæ ſtatus, in qua, qui victor in prima inſtantia triumphavit, ob ſolam hanc legum incertitudinem in ſecunda inſtantia ſuccumbens, præter jacturam cauſæ, ſine ulla ſua culpa ad mille forſan, & ultra excurrentes ſumtus ferre cogitur. Quodſi iniqua cauſa, ſi condemnandus erat aut actor, aut reus, cur non in prima inſtantia a limine judicii repulſi? Cur non inconcuſſo, ſtabilique legum robore ſubnixa ſententia lata fuit, quo ſaltem ſecundæ inſtantiæ ſumtus, & tædioſos litis proceſſus devitaſſent? Miſeratione igitur digni ſunt pauperculi iſti, qui legum vacillante auctoritate decepti, ſubſtantiæ ſimul, & bonorum omnium jacturam nulla ſua culpa faciunt.

§. XLI. Levi ſaltem penicillo adumbratam hic cernis civilis ædificii ſtructuram, quæ pulcherrimo eurythmiæ legalis ornatu deſtituitur. Disrythmica ibi nauſeant, fœtent, ſordent omnia, ſub ſpecie juris ſummi ſumma committuntur latrocinia, furta, rapinæ, fraudes forenſes foventur, perfidia denique, maliſque technis referta ſunt omnia. Tantum difformitas potuit ſuadere malorum!

§. XLII. Quæ cum ita ſint, publice certe intereſt, varie in jure ſentiendi libertatem in miſerorum ſolatium coerceri. Nullas omnino Princeps bonus, æquus, piuſque, architectonicæ hujus eurythmiæ ſtatuminator legum incertitudines toleret; ambiguos verborum ſenſus legislatoria auctoritas explicet, omnemque inter leges diſſonantiam, & dubias interpretationes procul e civitate eliminet, aliam doctoribus leges interpretandi facultatem non indulgens, quam quæ ad eruendas legis rationes politicas, morales, hiſtoricas, & legales pertineat. Id agat, ut normæ, atque

regulæ actionum civilium in theoria, quam vocant, aliæ non doceantur, quam quæ legali auctoritate stabilitæ, firmæque certam, fixam, & stabilem praxin generent. Illæ ipsæ in foro applicentur leges, quæ a Principe latæ in tribunalia, & juris cathedras, ab his ad subditos, & auditores dimanarint. Unam eandemque determinatam actionem juxta unam & constantem normam dirimendam esse jubeat, præcipiat. Inutiles altercationes cessent, & si quando iisdem aut pasci, aut exerceri juvenes convenit, sciant eas legum auctoritatem minime debere infringere, aut uniformitatem quavis ratione evertere.

§. XLIII. Ita sane futurum erit, *ut in pulcherrimo legum consentientium & uniformium ornatu*, in contemplatione ædificii politici non minori cum voluptate versemur, quam dum palatium magnificum, juxta artis architectonicæ regulas exstructum, eurythmico ornatu suo *superbiens* contuemur, miramur, probamus.

§. XLIV. Hæc tamen AA. non in eum finem a me dicta sunto, quasi obscuris ego lucem, dubiis fidem, desperatis medicinam afferre aut velim, aut præsumam. Scio majoris manus id opus esse, viri intelligo, qui in juris studio summa cum diligentia multos annos fuerit versatus, ac pene totam in ea ætatem contriverit. Tentandum saltem aliquid erat sub Principe ARCHITECTORUM CIVILIUM nostro ævo vere PRINCIPE, sub MODERATORE, quem in harmonica totius imperii structura ad eurythmiæ regulas ordinanda a pluribus jam retro annis indefessa opera incubuisse universa Europa non sine admiratione suspexit, & in dulcissimum sui solatium hodiedum lætabunda suspicit hæc, quam incolimus, patria. Nolite credere, sapientissimum architectum nostrum minori studio, ac contentione in euryth-

eurythmia episcopatibus, ac ducatui suo concilianda, quam in magnificentissimo palatio suo symmetrice construendo versari. In UTROQUE CÆSAR EST. Tu igitur Franconia inter felicitates tuas vel maxime hanc numera, quod ex singulari Dei clementia, forte benigna Princeps tibi contigerit, qui dulce non modo decus, & præsidium suis, saluberrimis & eurythmicis legibus civitates tuas ornat, scientias & bonas artes stabilit, bonos omnes protegit, sed ipso etiam suo exemplo robur suppeditat, & gradum monstrat, quo enitendum sit iis, qui digni suo Principe cives voluerint censeri. Sub hujus tu moderamine eos uniformitatis fructus collige, quos ex veræ religionis, monetarum, ponderum, mensurarum, scientiarum, legum, & jurium eurythmica uniformitate prono alveo consequi luculentis hucusque argumentis evictum dedi. Macte igitur pro incolumitate TANTI PRINCIPIS, pro salute PATRIS PATRIÆ OPTIMI MAXIMI uniformia vota conjungentes eurythmiam nostram politicam devotissima mente claudamus.

VIVe ergo FRIDERICE franConIæ DVX
patrIæ sospes DIV.

Coronidis loco subjungere hic lubuit quæstionem: an sententiæ judicum inter casus fortuitos sint referendæ?

§. I. FOrtuitum cum Philosophis dicimus, quod ex causis minime prævisis, extra naturæ ordinem, citra exspectationem, atque intentionem nostram accidit: quodsi præterea causæ illæ potestatem agentis rationalis plane defugiant, ita ut, quæ inde oriuntur aut bona, aut mala, sub directionem voluntatis liberæ

non cadant, eventus illos, sive prosperos, sive adversos, *casus fortuitos* appellamus. Non igitur, quæ fortuito nobis incidunt, caussis prorsus destituuntur, utpote quod cum principio rationis sufficientis non consisteret: extra potestatem saltem nostram, & vires agentis rationalis, cujus respectu fortuitum aliquid dicitur, constituta intelliguntur. Sic dum subitaneo terræ motu templa, ædesque in ruinam concidunt, dum præceps imber fruges quatit, hominum, nil quidquam tale exspectantium, intuitu casus hi fortuiti quidem audiunt: at vero rationibus eosdem suis destitui, nemo, nisi prorsus in physica hospes, asseruerit. Ita similiter, quæ alii nobis insciis, & nil tale cogitantibus, in bonam, aut adversam fortunam nostram machinantur, si ad nos referas, pro fortuitis haberi nil prohibet. Quid si enim, quem credebas minime patronum tuum, citra spem & expectationem pinguem tibi spartam conferat? *Quid si, quem neutiquam* præstolabaris, amicus tuus ædes subintret? *An non fortuitos hos casus* reputas? An non improviso spartam *te nactum* fuisse; præter expectationem amicum adventasse, vulgari etiam sermone effers? Opponuntur his, quæ aut præmeditato ab ente rationali perpetrantur, aut per ipsam rei alicujus naturam, & rationes intrinsecas sufficienter determinata contingunt. Sic fortuita minime haberi debet sterilitas agri, qui ex natura sua fruges producere ineptus est; sic fortuita non sunt mala, quæ actionum, legibus adversantium, effectus esse ex ipsis legibus concipiuntur.

§. II. His præmissis statum quæstionis rite ita formari existimo; quæri scilicet: an sententiæ judicum, intuitu partium litigantium, pro meris fortunæ, atque infortunii casibus habendæ sint? quæ, licet caussis suis juxta dicta non destituantur, non tamen ex intrinseca negotii, de quo controvertitur, justitia, aut injustitia, ejusdemque cum legibus civitatis sive conformitate, sive difformitate, sed ex arbitrariis potius, atque extrinsecis rationibus, quæ æqua alea in utramque partem cadere queunt, & extra litigantium sphæram ut plurimum constitutæ sunt, proveniunt, atque determinantur. De quo ut paucis, quantum per temporis angustias licet, mentem meam explicem, prænoto I. ad id, ut justa a judice feratur sententia, tria requiri, jus, sive legem, certam & constantem actionis civilis normam; II. facti, de quo litigatur, evidentiam, III. denique, ut lex ad factum rite, recteque applicetur. In quolibet horum requisitorum, intuitu saltem partium litigantium, fortunæ incertæ aleam concurrere non implicat. Quid si enim legum dubia, ambigua & vacil-

lans auctoritas sit? Quidsi facti perplexi circumstantiæ in obscuro lateant, nec erui facile queant? Quidsi imperitia, amor, favor, odium, amicitia, atque avaritia judicis in sententiam magis, quam interna causæ justitia influat? Triplici itaque ratione contingere poterit, ut sententia a judice lata casibus fortuitis adnumeranda veniat; scilicet I. quando jure incerto, dubio, & ambiguo respublica regitur; II. quando intricatæ adeo sunt facti circumstantiæ, ut omni adhibita opera, earundem veritas in apricum protrahi nequeat, consequenter ex probabilibus saltem causæ momentis judex sententiam concipere cogatur, eoque locum habeat vulgatum illud: non jus, sed probationem parti deficere; uti in domino a bonæ fidei possessore rem suam, cujus tamen dominium ob deperdita fors instrumenta, aliasve ob causas demonstrare nequit, repente accidit; III. denique, si supra dictæ causæ judicem a via justitiæ deflectant, ut aliter, quam juxta leges, & demonstratam facti veritatem oportebat, pronunciet.

§. III. Alterum causarum fontem, quæ ex sententia judicis fortunæ, atque infortunii casum faciunt, quoniam rarius incidunt, impræsens silentio prætermitto; uti nec de tertio causarum genere multum ero sollicitus. Neque enim in republica bene ordinata judicem nisi justum, pium, probum, legumque sufficienti scientia instructum præsumere fas est, & si fors unum alterumve sua culpa minus æquam pronunciare sententiam contigerit, luculenta in civitate pro impetranda meliori justitia media prostant. Id igitur hodie discutiendum tantum mihi sumsi; an & qua ratione jus incertum, atque ambiguum in causa sit, ut judicum pronunciatis seu sententiis inter casus fortuitos & fortunæ eventus locus adsignandus sit.

§. IV. Quodsi certæ sint leges, atque indubiæ auctoritatis, ita ut ab iisdem, ceu normis actionum communibus, legali robore stabilitis, impune & citra nullitatis vitium recedere judici integrum non sit: facti, de quo controvertitur, veritate in apricum posita, hoc ipso, juxta quam legem lis decidenda, & pro qua parte ferenda sit sententia, per modum conclusionis elicitur. Ex lege quippe, & intrinsecis causæ visceribus determinatur; atque adeo antequam pro tribunali eandem judex pronuntiat, a partibus, & causarum patronis prænosci, ac præviderí poterit. Non fortuito ea impulsu, non vago, & incerto ad neutram partem determinato judicis arbitrio, non ex rationibus extrinsecis, sed ex necessitate legis ad factum,

prout

prout jacet, applicandæ fertur, atque publicatur. Nullæ hic fortunæ, nullæ incertæ aleæ partes. Finge tibi de testamento, quatuor tantum testium numero vallato, controversiam moveri, utrum jure subsistat, an vero ab intestato heredes admittendi? Lex ait: *testamentum*, quod septem testium, rite convocatorum, signis munitum non fuerit, nullo validitatis robore subsistere. Per hanc testamenti forma determinatur; hæc *major* est propositio syllogismi practici, quo lex ad factum adplicatur, & causa controversa deciditur. Quod si indubia, certa, atque immota eandem obligandi vi, ac potestate pollere supponas, ac præterea de facti evidentia, scilicet quatuor tantum testes præsentes fuisse constet: non potest non conclusio certa de testamenti nullitate inde colligi; atque hoc ipso, vigore alterius legis non minus certæ, heredes ab intestato vocari. Hanc sententiam partes non arbitrariis, & intrinsecis *causis*, *sed legi* & facto imputant. Quod igitur damnum *unus*, *alter emolumentum* sentit, casui fortuito minus recte *adscribitur*. *Non intuitu judicis*: nam constans illi regula præscripta erat, juxta quam factum litigiosum dirimere debebat; de hoc dum constitit, aliam, quam diximus, sententiam citra nefas, & manifestam injuriam ferre non *poterat*. Non etiam intuitu partium, seu litigantium: utpote *quos*, dum tacite saltem in leges patrias consentiunt, aliam, quam quæ legibus & facto consentanea erat, sententiam exspectare haud conveniebat. Quæ actori adjudicatur hereditas, non forensis *alea*, sed aliunde veniens fortuna est: quod succumbens damnum, ac *jacturam* patitur, casus fatalis ea ratione judicati minus congrue censetur. Consequitur, quod ipsi debebatur, actor: damnum reus aliud non sentit, quam quod aut imaginarium est, aut sua ipse culpa sentit, consequenter sentire non videtur. Constans igitur, certa, & uniformis ubi viget juris auctoritas, ubi leges in utramque partem non vacillant, nec oppositæ sibi sententiæ æquali robore pollent, nec præterea judices a tramite recti, ut supponimus, abeunt, proposita quæstio utique neganda venit; & quæ pro tribunali judex pronunciat, non cœco fati arbitrio, non casui, sed saluberrimis justitiæ legibus debentur.

§. V. At! at! dubia ubi legum auctoritas, quando ambigua & inconstans earundem ad facta applicatio, sive judicum, *concrediti* sibi muneris limites excedentium, ultraque legum præscriptum potestatem suam extendentium, sive ex intrinseco ambiguitatis *vitio*,

&

& vago obligationis vinculo ea proveniat, non poteſt non rerum judicatarum ſumma incertitudo rempublicam inundare; ita ut, quoniam certam & determinatam actiones civiles normam non agnoscunt, judiciales ſententiæ ex cauſis extrinſecis, aut ſaltem incerto judicis arbitrio concipiendæ ſint; quas ne vigilantiſſimus quidem rerum ſuarum adminiſtrator prævidere, multo minus de litis exitu ex intrinſecis cauſæ momentis pro certo ſtatuere poſſit. Uterque litigantium ad judicem, tanquam ad ollam fortunæ accedit, quam fortunam dederit, ſententiam exſpectans. Caſus fortunæ erit, ſi Sempronius victor e judicio diſcedat; infortunium, ſi Mevio victo ſuccumbendi neceſſitas incumbat. Non ille conformitati actionis ſuæ cum lege, non juſtitiæ ipſius cauſæ, utpote quæ ex parte adverſa in dubiis legibus eadem eſſe deprehenditur, victoriam: non alter injuſtitiæ, ſive iniquitati petiti ſui, quam ſentit, cladem imputare poteſt. Fortuna eſt, quod faventem actor, infortunium, quod minus faventem, aut adverſæ ſententiæ adſtipulantem judicem reus nactus fuerit. Fingite vobis caſum, quo dominus, qui a Sempronio b. f. poſſeſſore rem ſuam vindicatum it, cum fructibus extantibus, necdum uſucaptis, perceptos præterea & conſumtos, quantum ex iis notorie factus eſt locupletior, repetit. Quantum ad reſtitutionem fructuum poſterioris generis attinet, JCtos in diverſas abire ſententias, noſtis omnes. Perceptos & conſumtos a b. f. poſſeſſore, etiamſi locupletior factus ſit, reſtituendos eſſe negant Coccejus, Hartmannus Piſtorius, Strauchius, Curtius cum ſexcentis aliis, juris civilis auctoritate freti: affirmant Carpzovius, Struvius, Müllerus, cum infinito aliorum numero, naturalem magis æquitatem, & fortius dominii jus præ oculis habentes; verbo: jus dubium, incertum, & ambiguum, nec quid in foro tenendum, legali auctoritate definitum eſt. Cogita porro diviſos eſſe judices, perinde ut ipſi, a quibus legum ſcientiam hauſere, doctores, diviſos quoque eſſe cauſarum patronos. Quodſi cauſa in judicium deducta majorem eorum numerum eſſe contingat, qui redacta ex fructibus ultimi, aut antepenultimi anni pretia, & quæ ex fructibus aliunde lucratus eſt, reſtituenda eſſe exiſtimant: vincet ſane eo caſu dominus non propter intrinſecam cauſæ juſtitiam, ſed quoniam ita fortuna voluit, ut qui pro ipſo ſentiunt, plures numero deprehendantur; ſuccumbet b. f. poſſeſſor non quod virtute legis injuſta cenſenda ſint, quæ tenet lucra, ſed quod itidem fatali caſu evenerit, ut pauciores, quæ pro ipſo facit, ſententiæ adſtipulentur. Tam victoria prioris, quam

posterioris succumbentia causas mere extrinsecas, scilicet fortuitam tribunalis constitutionem, pro causa agnoscit. Qui modo succumbit b. f. possessor, obtinuisset fortasse, si paucos ante annos, aut menses ea lis in judicium tracta fuisset, qui contrariæ adstipulantur sententiæ, numerum tunc majorem constituentibus; & ita vicissim succubuisset dominus, si sors ita voluisset, nec morte præmatura unum alterumve judicem fata eripuissent. Forensis igitur, tam unius lucrum, quam alterius damnum alea & merus casus fortuitus est. Neque donec dubiæ erunt, & ambiguæ leges a legislatore neque definitæ, neque ad unam consonantiam redactæ, aliter fieri poterit; uti ex præliminari oratione mea luculenter intellexistis. Id tamen ex dictis patet, non in judicis culpam hanc sententiarum fortuitam aleam constanter, ac perpetuo imputandam esse. Juris incerti fatales hi effectus sunt, quod quam diu rempublicam *infestat*, *quam diu* non sublatum, fixum, determinatumque *fuerit*, *quam diu ipsi*, *qui* leges applicare debent, judices in *ancipiti hærent*, *nec*, *quam ex* duabus sententiis contrariis in foro *sequi*, oporteat, pro certo statuere queunt, non minus indubio veritatis robore subsistit, pronunciata tribunalium pro meris fortunæ casibus, pro alea habenda, neque justitiæ causæ aut victoris, aut victi imputanda esse. *Non* colonus, non vinitor incertos agrorum & vinearum proventus, sterilitatem, aut ubertatem, incertæ & fortuitæ cœli temperiei, magis, quam partes, dum dubia jura sunt, sententias adscribent. Quibus non obstat, quod, qui aut agendo jus sibi suum *tribui postulant*, aut excipiendo defendunt, quibus judices sententiis adstipulentur, inquirere, & sic de futuris judicatis edocti secum statuere queant, an prosequi litem, an cedere malint. Præterquam enim, quod incivile admodum sit, sanctam legum auctoritatem a judice magis, quam a legum fonte, summo imperante intelligo, profluere; in id republica bene ordinata ne præsumendum quidem erat; atque hoc insuper sequeretur absurdi, quod sic Advocatorum solerti astutia lites in plura sœpe lustra traherentur, quo mutata tribunalis facie, & substitutis in locum demortuorum, judicibus aliis, aliam a prioribus sententiam foventibus, favorabilem sententiam expiscentur; quod an justitiæ rationibus ex asse conveniat vestræ AA. ego examini, judicioque relinquo. Atque hæc pro brevitate temporis de materia, quæ fusiorem multo deductionem, & amplius dicendi spatium sibi postulat, dicta sufficiant.

INDEX

INDEX.

Numerus Rom. prior *opusculum*; alter *caput*: minor *paragraphum*; postremus *paginam*; A. *appendicem* indicat.

A.

B.

hiben-

tibus

Ex-

F.

G.

H.

I.

Justi-

M.

 batio-

Prelium

R.

 juris

T.

Trans-

FINIS.



Ingolstadii, Typis Joannis Pauli Schleig, Typographi Academici. Anno 1747.

Digitized by Google